The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IURISPRUDENTIA

ECCLESIASTICA

AD USUM ET COMMODITATEM UTRIUSQUE CLERI

AUCTORE

P. PETRO MOCCHEGIANI O. F. M.

EX-DEFINITORE GENERALI

SACRAE INDULGENTIARUM CONGREGATIONIS CONSULTORE

TOMUS III.

(Opus postumum)

WITHDRAWN
LIBRARY
Chicago, Ill.

EX LIBRIS
U. S. A.
PROV. SS. CORDIS

AD CLARAS AQUAS
(QUARACCHI)
Ex Typ. Collegii S. Bonaventurae

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
Typographus Editor Pontificius

1905.

249.02

Proprietas litteraria.

16347

FR. DIONYSIUS SCHULER

MINISTER GENERALIS TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

DECRETUM

Cum opus, cui titulus: *Iurisprudentia ecclesiastica ad usum et commoditatem utriusque Cleri* ab A. R. P. Petro Mocchegiani, Ex-Def. Gli O. F. M. concinnatum, duo revisores, quibus id commissum fuit, examinaverint omnique commendatione iudicaverint dignum, Nos vigore praesentium libenter concedimus facultatem, ut tertium volumen praelaudati operis, servatis de iure servandis, typis mandetur.

Datum Romae, e Collegio S. Antonii die 24 Novembris 1905.

L. ✠ S.

Fr. Dionysius Schuler
Min. Glis.

IMPRIMATUR

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 29 Novembris 1905.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Gen.*

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/iurisprudentiaec0000unse_v4i2

Dum tertius hic tomus sub prelo fuit, pie in Domino obdormivit Camerini die 14 Septembris venerandus operis auctor P. Petrus Mocchegiani.

« In Dioecesi Aesina loco Monsano honesto genere, honestissimis moribus, primam lucem aspexit 10 Februarii anno 1839. Pueritiam et primos adolescentiae annos innocenter transegit inter suos, rudimentis litterarum vacans, donec divinis illustrationibus obtemperans, die 23 Iulii anni 1855 nostro Seraphico Ordini est adnumeratus in Sacro Recessu SSmae Annuntiationis ad moenia Auximi, ac ibidem sequenti anno eademque die solemnia nuncupavit vota. Deinde litteris humanioribus, Philosophiae, Sacrae Theologiae, denique mathematicis disciplinis, physicae, ac absolutiori Philosophiae studio egregiam navavit operam, ingenio et diligentia nemini secundus. Quo expleto studio et facto periculo, partes Lectoris Generalis a Superioribus ei demandatae fuerunt anno 1865, quasque adamussim perfecit magno plausu magnoque profectu alumnorum.

Tum vero Iaderae, quae caput est Dalmatiae regni, a Patribus vocalibus illius Ordinis Provinciae, quae a S. Hie-

ronymo nuncupatur, in Ministrum electus est. Triennio exacto in eo munere, a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Romam accitur, ut eidem a secretis esset pro toto Ordine; et quam laudabiliter mandatum istud adimpleverit, notum est omnibus, qui ab eo tempore inter nos adhuc vita fruuntur. In Conventu maximo Romae habito anno 1889 Definitor Generalis creatus est. Post Congregationem vero generalem Assisii in Protocoenobio S. Mariae Angelorum anno 1895 coactam, in qua prae aliis de Unione Ordinis actum fuerat, pro sciscendis novis Constitutionibus, quibus Ordo ipse, unione peracta, regeretur, socius cum duobus aliis Rmo P. Aloysio Lauer eorumdem praesidi datus fuit in Collegio S. Isidori Urbis. Ad haec tum intra tum extra Italiam pluries fuit missus qua Commissarius Generalis ad visitandas varias Ordinis Provincias, magno harum bono parique utilitate.

Ista sunt praecipua munia, quae Adm. R. P. Petrus Mocchegiani in Ordine obivit. Ad maiora vero profecto evectus esset, eo quod maximi fiebat ab omnibus, nisi adversa valetudine continuo tentatus fuisset. Pene enim vix nuncupatis votis religiosis, gula coepit laborare, et Romae degens qua Generalis Definitor, morbo diabetico; quae sensim sine sensu vires eius imminuit, lumine eum orbavit per unum fere annum, et tandem confecit.

Ob eximiam suam doctrinam multi multa sciscitabantur ab eo per epistolas; iamdiu Consultor selectus fuerat S. Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum, et nuperrime inter eos adscitus, quibus conflatur Commissio Pontificia de legibus ecclesiasticis in unum redigendis.

Quamvis autem perpetuo aeger, et multis distentus negotiis, tamen quia perspicuo pollebat ingenio felicique memoria, atque pervigil erat temporis custos, amplam adeptus

fuerat scientiam et eruditionem in rebus potissimum sacris, quemadmodum oppido testantur multa quae edidit, a viris doctis valde probata. Inter ea eminent opera duo ponderosa, nempe primum ‚Collectio Indulgentiarum theologice, canonice, et historice digesta', alterum ‚Iurisprudentia Ecclesiastica ad usum et commoditatem utriusque Cleri' (1) ».

Ultimum hoc opus auctor absolvit in fine dierum, laboribus et doloribus fractus, oculorum lumine fere orbatus; unde veniam rogare potest lectoris, qui hic illicve ultimam manum desideraverit. Minime intenderat de iure ecclesiastico methodo scientifica tractare, cur iniuste ipsum de hac neglecta quis increpabit. Non pro schola, sed pro vita quotidiana scripsit. Ordine neglecto librorum consueto hoc prae oculis habuit, ut clare et diserte leges hodie in Ecclesia vigentes sub nonnullis capitibus componeret, nec dubitavit de eadem re iterato agere, cum utilitati esse videbatur. Liber in suo genere singularis multis optimus magister in quaestionibus practicis evadet. Doctrina est sanissima ex fontibus genuinis cum pietate et sagaci prudentia hausta; auctor inter media Curiae Romanae negotia per multos annos est versatus et Decreta Romanorum Pontificum ac Congregationum diu noctuque pervolvit.

Quare iure meritoque « Opus reverenter offerimus iis, qui in sortem Domini vocati sunt » (Praefatio tomi I), et animam auctoris precibus lectorum enixe commendamus.

---

(1) Ex *Acta Ordinis Minorum*, 1905, pag. 398.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

In coetu ecclesiastico existere diversos gradus, in quos distribuuntur et distinguuntur magistratus ecclesiastici, eisque diversa officia, iura ac praerogativas competere, omnes norunt et etiam vident. Sciunt pariter omnes, Ecclesiam universam a Romano Pontifice regi et gubernari, unamquamque Dioecesim per Episcopum, Provinciam per Metropolitam, et regnum vel nationes saltem olim, per Primates vel Patriarchas. Adde Collegia stabilia et ordinaria, quorum opera Praesules in administranda ecclesia sibi credita iuvantur. Porro Summus Pontifex pro expediendis innumeris gravissimisque negotiis universam Ecclesiam respicientibus, consilio, opera ac subsidio utitur Sacri Collegii Cardinalium et Sacrarum eorumdem Congregationum; Metropolitis et Episcopis operam praestant et consiliis adiuvant Capitula sive Metropolitana, sive Cathedralia. Alii quoque sunt in partem ministerii pastoralis vocati, qui Episcoporum vere adiutores et cooperatores sunt. Adde *ministros*, presbyteris inferiores, ad quas saltem *diaconi* ex divina institutione pertinent. Et de hoc sacro Principatu (non praetermissis simplicibus clericis) qui constitutionem seu formam Ecclesiae exteriorem attingit, sermo erit in hoc et subsequentibus Libris.

CAPUT I.

De Ecclesiae Christi constitutione (1).

1. Antequam de diversis gradibus Hierarchiae Ecclesiasticae instituatur sermo, utile censemus nonnullas veritates, Ecclesiae constitutionem attingentes, in memoriam revocare.

A) I. Unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Ioan. XX, 21). — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 20). Igitur sicut Iesus Christus in terras venit, ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (Ioan. X, 10), eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animarum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta: *Praedicate Evangelium omni creaturae* (Marc. XVI, 15).

II. Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse *magistratus assignavit* qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit: *Tibi dabo claves regni coelorum* (Matth. XVI, 19). — *Pasce agnos... pasce oves* (Ioan. XXI, 16, 17). — *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua* (Luc. XXII, 32).

III. Quamvis haec societas (id est *Ecclesia catholica*) ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen *propter finem* sibi constitutum atque *instrumenta*, quibus ad finem contendit, *supernaturalis* est et *spiritualis*: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et iure *perfecta*, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia *in se et per se* ipsa possideat. Et iam antea, Summus Pon-

(1) Vid. Epistola Encycl. Summi Pont. Leonis XIII die 1 Nov. 1885 incip. *Immortale Dei*, de civitatum constitutione christiana; apud *Acta S. Sed.* vol. XVIII, p. 161.

tifex Pius IX in Syllabo hanc propositionem (XIX) proscripserat: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat ».

IV. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius *potestas* est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia.

V. Revera Iesus Christus Apostolis suis *libera mandata dedit in sacra,* adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate. « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* » (Matth. XXVIII, 18, 19, 20). — Et alibi: « *Si non audierit eos, dic Ecclesiae* » (Matth. XVIII, 17). Atque iterum: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (II. Cor. X, 6). — Rursus: « *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem* » (II. Cor. XIII, 10).

VI. Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet *ecclesiasticam* et *civilem,* alteram quidem *divinis,* alteram *humanis* rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus continentur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos... Quidquid est in rebus humanis quoquo modo *sacrum,* quidquid *ad salutem animorum cultumve Dei* pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam, ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque *Ecclesiae:* cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. (Leo PP. XIII, Epist. *Immortale Dei*).

VII. *Monita eiusdem Summi Pontificis.* His temporibus consentaneum est, haec maiorum exempla renovari; — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios *et esse et videri velle:* — quae res

nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: — institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis iustitiaeque patrocinium uti: — elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat: — dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode poterit, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, *si praescripta Sedis Apostolicae* legem vitae singuli putent, atque *Episcopis* obtemperent, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (*Act.* XX, 28).

VIII. Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, *una sit omnium sententia, et summa constantia,* et hoc ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo connivet, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt *opinabilia* licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ob rem, ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo. Pariter *non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice,* ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute christiana deficere (Leo XIII, loc. cit.).

Quibus praemissis, sequentia subiicimus.

B) Descriptio Ecclesiae. Ecclesia est Societas hominum eiusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, et Romani Pontificis aliisque legitimis Pastoribus subiectione coniunctorum, a Christo Domino instituta, ut homines in ea et per eam salutem aeternam consequantur.

2. Iesus Christus Ecclesiam instituit ut societatem *non aequalem*, sed *inaequalem*, seu membrorum disparia iura et officia habentium. Quemadmodum ergo in societate civili seu in politicis civitatibus magistratus atque imperantes extant, qui supra ceteros auctoritate eminent, ita plane in Ecclesia Christi, quae, ut supra dictum est, societas perfectissima est, coetus specialiter electus existit, rectoria atque publica potestate instructus, cui ceteri sese submittere et obtemperare debent, ne secus alieni ab aeterna salute fiant.

3. Consequenter Ecclesia Christi alia *docens* est et *imperans*, alia *discens* et *obtemperans*. « Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam Hierarchiam, quae est ut *castrorum acies ordinata*, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores » (*Conc. Trid. sess. XXIII, cap. IV*). *Iure* ergo *divino* datur discrimen inter Clerum et populum.

4. Potestas ecclesiastica, si consideretur relate ad *obiectum* quod respicit et ad *finem*, ad quem consequendum tradita est Ecclesiae, distinguitur in potestatem *Magisterii*, *Ministerii* et *Imperii* iuxta triplicem potestatem, qua Christus Dominus excelluit, nempe potestate *regia*, *sacerdotali* et *prophetica*. Christus enim in sacris Scripturis dicitur *Rex regum*, *Summus Sacerdos*, et *magni consilii Angelus* seu *Propheta*.

Magisterium, et quidem infallibile, institutum est ad verae fidei conservationem et propagationem, nec non ad dubia et quaestiones circa eamdem fidem exortas, authentice dirimendas.

Ministerium sacrum institutum est ad conservandam et dispensandam *gratiam Christi*, quod fit per oblationem sacrificii Missae et per Sacramenta a Christo Domino instituta.

Imperium seu regimen vel potestas regia Ecclesiae institutum est et ordinatur ad leges condendas et ad poenas ferendas, seu ad sacram disciplinam sartam tectamque servandam, ut sic Christifideles in vera fide detineantur et ad aeternam salutem perducantur.

5. Hucusque locuti sumus de potestate ecclesiastica in ratione *obiecti* et *finis* inspecta. Ast considerari etiam potest et debet ra-

tione *fontis,* a quo derivatur, et ratione *modi,* quo acquiritur; et sub hoc respectu Ecclesiae potestas vel est *Ordinis* aut *iurisdictionis.* Potestas *Ordinis* est, si ea immediata per Ordinem seu sacram Ordinationem accipitur. Est autem potestas *iurisdictionis,* si ea per commissionem seu deputationem habetur.

6. Praedictas duas potestates differre inter se liquido patet. *Potestas enim Ordinis* nec restringi nec amitti potest: in sacra etenim Ordinatione *character imprimitur,* qui nec deleri, nec auferri potest *(Conc. Trid. sess. 23, cap. IV);* adeoque nec potestas Ordinis, quae est essentialis eiusdem Ordinis vis et efficacia, tolli potest. Aliter dicendum *de potestate iurisdictionis,* utpote quae ex commissione seu deputatione Ecclesiae derivans limitari aut omnino auferri potest. Et revera habetur *limitata* iurisdictio in Episcopis ratione loci, materiae et personarum, et prorsus *tollitur* in Episcopo excommunicato vel deposito aut in eo qui Episcopatui renuntiavit.

7. Ex praefatis binis potestatibus una stare potest sine altera, et hoc palam est et constat ex praxi Ecclesiae. Dantur enim ex. gr. Episcopi quasi honorarii, quibus pro exercenda iurisdictione nulla Dioecesis assignata est. Item Episcopus depositus iurisdictione quidem caret, sed potestas Ordinis remanet, quam proinde *valide certo, sed illicite* exerceret.

Ex opposito potestas iurisdictionis stare potest sine potestate Ordinis. Exemplum habes, ut cetera praetereamus, in Episcopo electo, sed nondum consecrato, qui obtentis a Summo Pontifice Bullis, plenam in suam Dioecesim iurisdictionem sortitur *(De potestate seu iurisdictione ecclesiast. vid. dicta in cap. II. Lib. VII,* pag. 436).

8. Divisio potestatis ecclesiasticae in potestatem magisterii, ministerii et imperii, commodius tum pro usu scientifico tum pro usu practico revocari potest ad nunc expositam partitionem in potestam scilicet *Ordinis* et potestatem *Iurisdictionis.* Spiritualis potestas, inquit D. Thomas, 2. 2. qu. 39, art. 3, una quidem *sacramentalis,* alia *iurisdictionalis;* sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur... et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecra-

tionem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma sive in haeresim labatur... Potestas autem iurisdictionis est, quae ex simplici iniunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhaeret; unde in schismaticis et haereticis non manet».

9. Relate ad potestatem (et ad Hierarchiam) *Ordinis,* Episcopi tanta potestate pollent, quanta ipse Summus Pontifex: «Quod attinet ad hanc Hierarchiam, unus et idem est Ordo, atque una eademque potestas omnium Episcoporum, cum neque Metropolitae, neque Patriarchae, neque ipse Summus Pontifex Ordinem habeant ab Episcopatu distinctum. Nam in iis *quae Ordinis sunt,* in Episcopo inest *plenitudo potestatis,* quae a Deo ipso per sese, sive *immediate,* ut aiunt, ordinatione tribuitur» (Devoti, Lib. I, tit. II, § 3; et cf. Aichner, pag. 388).

10. *C)* Sacra Hierarchia sic dicta a graeco nomine, quod significat *sacrum Principatum;* definiri potest: *Ordinata series personarum, quae certo gradu ecclesiastica potestate pollent.* Huius Hierarchiae caput est Romanus Pontifex qui omnibus praeest et quidem non ut primus inter pares, sed ut Princeps supra subditos.

11. Quemadmodum potestas ecclesiastica duplex est, *Ordinis* nempe et *iurisdictionis,* prout per *Ordinem* immediate, vel per *specialem deputationem* accipitur, ita sacra Hierarchia dupliciter distinguitur, scilicet Hierarchia *ordinis* et Hierarchia *iurisdictionis.*

12. Hierarchia *Ordinis* est ordinata series eorum, qui potestatem Ordinis in certo gradu habent; et haec refertur ad SS. Eucharistiae mysterium, ad reliqua Sacramenta et ad fidelium sanctificationem. Hierarchia Ordinis constat *de iure divino* ex *Episcopis, Presbyteris* et *Ministris* (Conc. Trid. sess. 23 cap. 4): Sub appellatione *Ministrorum* comprehendi Diaconos, extra dubium est: an etiam Subdiaconos, dubitatum est. Verum hodie communis Doctorum sententia tenet, Subdiaconos ad Hierarchiam Ordinis, quae *ex iure humano* est, pertinere, prout etiam quatuor ordines minores, id est acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus.

13. Hierarchia *iurisdictionis* complectitur seriem earum personarum, quae *iuxta mensuram varie distributam* iurisdictionem habent, pro *publico Ecclesiae regimine* instituta. Iurisdictione *pro*

foro externo pollent *de iure divino* Romanus Pontifex, qui plenitudinem potestatis in universam Ecclesiam habet, et Episcopi, qui in partem eius sollicitudinis sunt vocati. Praeterea ad iurisdictionem *pro* foro item externo, *sed iure tantum humano* pertinent gradus illi, qui ex *institutione ecclesiastica* medium tenent locum seu introducti fuerunt inter Summum Pontificem et Episcopos, nempe Metropolitae, Primates, Patriarchae, Vicarii et Legati Apostolici (Cf. Aichner, pag. 76 sq.).

Iis addendi sunt illi, qui etsi ordine episcopali decorati non sint, iurisdictionem tamen episcopalem seu quasi episcopalem exercent, veluti Abbates *Nullius* et Praelati religiosorum Ordinum, qui proculdubio iurisdictione gaudent erga proprios subditos: Item illi quoque accensendi sunt, quos Episcopi ex potestate sibi a iure concessa, per Dioecesim constituunt, commissa eisdem parte suae iurisdictionis, ut sunt Vicarii Generales, olim Archidiaconi, Archipresbyteri etc.

D) Monitum Sacri Concilii Tridentini. De vita et honestate Clericorum universim.

Nihil est quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem (Sess. XXII De Ref. cap. I).

CAPUT II.

De Summo Pontifice eiusque iuribus et praerogativis.

14. Summus Pontifex Pius IX in Concilio Vaticano innovavit oecumenici Concilii Florentini definitionem « *qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et Ro-*

manum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur ».

« *Docemus proinde,* subdit Pontifex, *et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere Episcopalis est, immediatam esse* » (Conc. Vat. Const. *Pastor aeternus;* cap. III).

15. Haec autem Summi Pontificis potestas non solum non officit ordinariae ac immediatae Episcopalis iurisdictionis potestati, sed potius eadem a supremo et universali Pastore asseritur, roboratur ac vindicatur, dicente S. Gregorio Magno: *Meus honor est honor universalis Ecclesiae.*

Meus honor est Fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (Vid. Conc. Vat. loc. cit.).

16. Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio *libere communicandi* cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Hinc laudatus Pontifex Pius IX s. m. *damnat ac reprobat* illorum sententias, qui hanc supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur (Loc. cit.).

Et quoniam Romanus Pontifex vi et ratione Primatus, universae Ecclesiae praeest, sequitur eum esse *Iudicem supremum fidelium,* et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse iudicium recurri, Sedis vero Apostolicae, cuius

auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio (Conc. Vat. et vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.*, lib. IV, cap. V, n. I).

17. Ex adducta doctrina Concilii Vaticani haec tenenda sunt:

1. Primatus Romani Pontificis complectitur non solum officium inspectionis et directionis, sed etiam potestatem *iurisdictionis*.

2. Haec potestas *iurisdictionis* Romani Pontificis est *vere Episcopalis*, quae consistit in potestate pascendi, regendi ac gubernandi gregem sibi commissum.

3. Haec potestas iurisdictionis est *plane universalis* et *immediata* « erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles.... officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae... pertinent. » (Conc. Vat.).

4. Praedicta potestas Summi Pontificis est *ordinaria*; id enim consequitur ex Primatu. Non ergo ipse hac potestate fruitur in casibus extraordinariis tantum, puta in casu negligentiae Episcoporum, sed *semper* et *iure ordinario*.

5. Potestas Summi Pontificis est *suprema* in Ecclesia, ideo ea superior nulla est; et est insuper *plena* tum *extensive*, cui proinde nemo se subtrahere potest, tum *intensive* quatenus nihil deest potestatis requisitae ad pascendam, regendam et gubernandam universalem Ecclesiam, prout patet ex illis verbis amplissimis et notissimis ad Petrum a Christo dicta: *Tibi dabo claves regni coelorum....*, et *pasce agnos meos*, et *pasce oves meas*.

6. Romanus Pontifex est *supra Concilium*: potest proinde a se ferre leges quae universam Ecclesiam obligent, potest leges generales etiam Conciliorum oecumenicorum, abrogare, ipsa Concilia oecumenica convocare, iis praeesse, eaque confirmare.

18. *Si quis itaque dixerit*, (ita Concilium Vaticanum in fine cap. III) *Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam « non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae perti-*

nent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit ».

19. *De Romani Pontificis infallibili Magisterio*, in cap. IV praefati Concilii Vaticani sic definitum est:

« Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: *Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.*

« *Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit* ».

20. Notamus demum Romanum Pontificem, praeter primatialem potestatem in universa Ecclesia, quae ipsi competit, quia est Iesu Christi Vicarius, esse insuper *Episcopum Romanum, Metropolitanum Romanae Provinciae,* quae constituta reperitur inter Capuanam et Pisanam Ecclesiam, *Primatem Italiae,* et *Patriarcham totius Occidentis.*

CAPUT III.

De Curia Romana.

21. Verbo *Curiae* apud antiquos Romanos significabatur locus, in quo Senatus, Magistratus ac populus publica Reipublicae seu Imperii negotia tractabant. Hic autem non de ista Curia profana sermo

est, sed *de Curia Romana christiana,* de qua tamen nonnisi simplicem notitiam damus.

22. *Curiae Romanae nomine* venit complexus tribunalium, Congregationum, Collegiorum ac Officiorum, quibus Summus Pontifex in regimine universae Ecclesiae utitur atque in tanta negotiorum mole coadiuvatur. Considerari potest Curia, ceu organum inter Summum Pontificem et Ecclesiam intermedium, per quod Papa partim opportunas et necessarias informationes recipit, et partim iura atque munus sibi incumbens exequitur.

23. Constituitur Curia Romana in primis *a Cardinalibus*, et a Cardinalium Congregationibus; deinde a *Praelatis Curiae Romanae,* qui vel in Congregationibus operam suam impendunt, vel tamquam singuli certa munia sibi a Summo Pontifice demandata obeunt, uti ex. gr. Collegium *Auditorum Rotae*, Collegium *Protonotariorum Apostolicorum,* omnes *Patriarchae, Archiepiscopi* et *Episcopi Romae residentes,* et etiam plures *exteri Episcopi* bene meriti, aliique ecclesiastici, qui insigniri solent titulo vel *Episcopi solio Pontificio assistentens,* vel *Praelati domestici,* vel *Protonotarii,* aut *Capellani Suae Sanctitatis.*

Adde *Curiales, Advocatos, Procuratores, Notarios, Expeditores, Agentes* etc. (Cf. Aichner, *Compend. Iur. ecclesiast.* pag. 369).

24. *Curia Romana Papae,* scribit Card. De Luca, sive in ipsa materiali Romana civitate, sive in alia qualibet mundi parte sit, dum ibi Papa residet suamque habet Sedem, semper Romana dicitur. Talis enim dicitur non ab huius civitatis praecisa localitate, sed ab origine, quod scilicet in ea B. Petrus cathedram vel sedem constituit. Et hoc quidem verificatur etiam in Episcopatibus, quatenus et isti denominationem accipiant ab ea civitate, in qua erectio Cathedralis facta est ac sedes Episcopalis initio constituta, adeo ut Episcopo in alio Dioecesis loco quantumvis remoto residentiam et Curiam habente non per hoc tamen Ecclesiae titulus vel denominatio immutatur (Vid. Can. De Luca *relat. Rom. Curiae* Pars 2, Disc. I, n. 5 sqq.).

25. Ab Innocentio IV in Concilio Lugdunensi I anno 1244, Cardinalibus concessum est privilegium deferendi *pileum* seu *galerum rubrum,* quod significat, Cardinales *Religionis causam* tueri

debere usque ad effusionem sanguinis. Ornarunt plurimum Cardinales, scribit Devoti, Innocentius IV et Paulus II, quorum alter dedit *rubrum galerum*, alter *rubrum pannum*, quo equitantes sternerent equos, aliaque honoris insignia, quae primum Cardinalibus ex Clero saeculari data sunt, deinceps Gregorius XIV etiam Regularibus rubrum pileum attribuit. Ioan. Devoti, *Institut. Canonicae* tom. I, tit. II. § 26, et alii iam cit. Autores.

Per Decretum consistoriale diei 10 Iunii 1630 Urbanus VIII concessit Cardinalibus titulum *Eminentiae* et *Eminentissimorum*.

26. Ex eo autem, quod Cardinalatus dignitas tam alta et sublimis est, mirum non est si Concilium Tridentinum (*Sess. 24, cap. I de Ref.*) graviter sic moneat: « Ea vero omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et ceteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda ». Et paucis interiectis, eadem sacrosanta Synodus tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiae esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudine universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat, et bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat ».

27. Insuper Sixtus V in Const. incip. *Postquam* edita nonis Decembris 1586 a dignitate Cardinalitia excludendos esse voluit illegitime natos, etiam illos, qui per subsequens matrimonium legitimati fuerint. Praeterea ad removendum omne periculum factionum et simultatum idem Pontifex in laudata Const. *Postquam*, § 17 et 18, absolute prohibet, quominus in Sacro Collegio duae simul personae reperiantur primo vel secundo gradu consangninitatis vinculo coniunctae, ita ut electio secundae, vivente adhuc prima, sit ipso iure nulla. Neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque etiam urgentissima causa cum eis liceat dispensari. Vid. Const. penes *Biblioth. Lucii Ferraris*, loc. cit. art. II, n. 30 sqq.

28. Iuxta mentem Patrum Tridentinorum *in cit. cap.* I, *de Ref. sess.* 24, Cardinales *ex omnibus Christianitatis nationibus*, quantum commode fieri poterit, assumendi sunt: et ita quidem factum esse et fieri a Summis Pontificibus scimus et etiam cernimus·

CAPUT IV.

De Eminentissimis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus (1) deque eorum dignitate, numero et praerogativis.

29. Licet a Doctoribus aliquantulum disputetur circa originem seu derivationem nominis *Cardinalis,* tamen communius illud repetunt vel a Presbyteris et Diaconis, qui iuxta primitivam constitutionem ecclesiarum, ex eo quod erant *intitulati* et *incardinati,* praesertim Romae, alicui Ecclesiae vel Oratorio, dicti sunt *Cardinales;* vel repetunt a *Cardine,* cui opinioni favet Constitutio incip. *Non mediocri* Eugenii IV, in qua Pontifex de Cardinalibus expresse dicit:

« *Quorum Officio nomen ipsum consonat optime; nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super eos Sedis Apostolicae et totius Ecclesiae ostium quiescit.* » (Vid. Lezana, tom. III, *Summa Quaest.* verb. *Cardinales;* Schmalz. tom. I, pars IV, § II).

30. Ceterum nos minime intendimus exponere et examinare varias quaestiones, quae a pluribus Auctoribus fieri solent circa Cardinales, praesertim circa eorum numerum (olim) *modo maiorem modo minorem* iuxta placitum Summorum Pontificum pro temporum et negotiorum exigentiis.

31. Porro sub appellatione *Cardinalium* designantur illi Episcopi, Presbyteri et Diaconi, qui *Sacrum* seu *Apostolicum Collegium,* sive *Senatum Summi Pontificis* constituunt: hinc ipsius Summi Pontificis sunt coadiutores et intimi consiliarii.

32. *Nulla dignitas* in Ecclesia Dei post Papatum *maior est Cardinalatu.* Unde Eugenius IV in cit. Const. *Non mediocri* anno 1428 edita, affirmavit, post Caput Ecclesiae quod est Papa, contigua sui corporis membra, quae sunt Fratres eius Cardinales, prae ce-

(1) De Cardinalibus cf. Fagn. in prim. lib. Decretal. cap. XV, *Cum olim, de maiorit. et obed.;* Card. De Luca, *Relat. Roman. Cur.* Disc. V; Ferraris, verb. *Cardinales;* Franc. Santi lib. I Decretal. Tit. 31, *De officio Iudicis Ordinarii,* n. 13; Gaetano Moroni, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica,* verb. *Cardinali;* D' Avino, *Enciclopedia,* v. *Cardinali.*

teris Ecclesiae membris ac partibus honorari debere, et Cardinalatus dignitatem *esse maiorem et sublimiorem Episcopali, Archiepiscopali et Patriarchali.* Idem habetur in Constitutione Leonis X incip. *Superna.* Quare in hodierna disciplina S. R. E. Cardinales primum locum occupant et primam dignitatem constituunt post Romanum Pontificem.

33. Nec obstat, quod Cardinales Presbyteri et Diaconi ratione Ordinis sacri sint Episcopis inferiores; siquidem in huiusmodi praerogativis praeeminentia non desumitur ab Ordine, sed ab Officio et Iurisdictione, quae tribuunt dignitatem.

Unde Eugenius IV in citata Const. *Non mediocri* ita docet: Nec censetur quispiam, quod Ordo Episcopalis Presbyterio maior sit, quoniam in eiusmodi praelationibus *Officium* et *Dignitas praeponderat Ordini,* quemadmodum iure cautum est, ut Archidiaconus non Presbyter, suae Iurisdictionis obtentu, Archipresbytero praeferatur. Et ratio manifesta est. Nam Cardinales lateri Summi Pontificis adhaerent, eius intimi consiliarii sunt, et cum eodem Magistratum constituunt, qui *Ecclesiae universali* praeest, dum potestas Episcoporum intra certos limites alicuius territorii coarctetur.

34. *Numerus Cardinalium* varius, ut supra adnotavimus, olim fuit. A tempore autem Sixti V *numerus septuagenarius* invariatus remansit, prout idem Pontifex in Const. *Postquam verus ille* edita anno 1586 praedictum septuagenarium numerum Cardinalium constituit ad instar septuaginta Seniorum, quos Deus Moysi adiutores et consiliarios dedit (Vid. Devoti, loc. cit. n. 26).

35. *Ordines Cardinalium* tres sunt, scilicet Ordo Episcopalis, Ordo Presbyteralis, et Ordo Diaconalis, ita distributi ut *sex* Cardinales sint Episcopi, id est Ordinis Episcopalis; *quinquaginta* sint Presbyteri, scilicet Ordinis Presbyteralis; *quatuordecim* sint Diaconi, nempe Ordinis Diaconalis. Et haec partitio Cardinalium in tres Ordines adhuc viget, et ita quidem, ut sex sedes suburbicariae (1)

(1) Tituli Cardinalium Episcoporum olim fuerunt octo, videlicet Hostiensis, Veliternus, Sylvae Candidae, idest S. Rufinae, Portuensis, Sabinus, Praenestinus, Tusculanus et Albanensis. At deinde Episcopatus Veliternus ab Eugenio III unitus fuit Hostiensi, et Episcopatus Sylvae Candidae, nempe S. Rufinae, unitus fuit a Callisto II Episcopatui Portuensi.

titulum Cardinalium Episcoporum praebeant, pro Cardinalibus vero Presbyteris et Diaconis extant in Urbe Ecclesiae fixae, quae *Titulos* vel *Presbyterales* vel *Diaconales* constituunt, quorum singulis pro diversitate Ordinis singuli Cardinales praeficiuntur, et a quibus proprium titulum sortiuntur. Legatur Const. Sixti V incip. *Religiosa Sanctorum Pontificum,* edita Idib.Apr. 1587, relata a Lucio Ferraris, loc. cit. art. I. n. 43; et cf. Schmalz, tom I, pars IV, tit. 31, n. 13.

36. *Optio Cardinalium.* Ius optionis in eo reponitur, ut Cardinales Ordinis inferioris facultatem habeant ascendendi ad Ordinem superiorem. Qua in re notanda sunt sequentia:

1. Cardinales Ordinis diaconalis post decennium, si sacrum Ordinem Presbyteratus suscipiant, optare possunt ad titulum cardinalitium Presbyteralem, et in hoc ordine praecedentiam obtinent supra reliquis Cardinalibus presbyteris post se creatis. Ita statuitur in decreto Clementis VIII, incip. *Sanctissimus,* edito IV Idus Aug. 1596.

2. Cardinalis antiquior Ordinis presbyteralis praesens in Curia, dum aliqua ex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis vacat, exclusis Ecclesiis Ostiensi et Veliterna, necnon Portuensi, quae Cardinalibus, Decano et Sub-Decano, reservari solent, optare potest ad illam vacantem Ecclesiam.

3. Porro optio tam Diaconorum ad Ordinem presbyteralem, quam Presbyterorum ad Ordinem episcopalem fieri nequit absque consensu Summi Pontificis.

37. *Ius creandi* Cardinales proprium est exclusivum Romani Pontificis, quin ei obstet interrogatio, quae in Consistorio fieri solet a Summo Pontifice: *An expediat Cardinales creare, et an Cardinalibus placeat electio singulorum qui proponuntur;* haec enim interrogatio et relativus Cardinalium assensus meram caeremoniam constituunt.

38. Quamvis ab Eugenio IV in Const. *In eminenti* decretum fuerit, quod Cardinales in secreto Consistorio pronuntiati non dicantur Cardinales, neque vocem in electione Summi Pontificis habeant, donec sit eis licentia votandi concessa; tamen hodie novi Cardinales eo ipso creati censentur, quod fuerint publicati in Con-

sistorio. Novis Cardinalibus Summus Pontifex galerum rubrum tradit in alio Consistorio in forma publica celebrato, in quo eisdem os claudit, scilicet prohibet, quominus interim interloquantur et suffragium cum aliis Cardinalibus edant in negotiis collegialiter tractandis. Postea vero in alio Consistorio secreto Summus Pontifex novis Cardinalibus os aperit, annulum cardinalitium tradit, eisque singillatim proprium Titulum, idest propriam Ecclesiam in Urbe, necnon aliquas ex Romanis Congregationibus adsignat, in quibus ceu Iudices sedeant (Santi, lib. I, tit. 31, n. 22).

39. Ex modo dictis facile resolvitur quaestio, quae ita proponitur: Quid dicendum si novis Cardinalibus nec insignia dignitatis tradita fuerint, nec os eis apertum, et interim Papa demoriatur? S. Pius V in Decreto consistoriali die 26 Ian. 1571, statuit: « ut postquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit et consensum suum dederit, is statim vocem et ius eligendi Romanum Pontificem habeat, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit ». Et huius dispositionis adducitur ratio, quiae haec omnia caeremoniam quamdam constituunt, et os clauditur et aperitur, ut modestiae necessitas in Consistoriis et in Congregationibus praedictis novis Cardinalibus insinuetur (Vid. Fagnanus in I. Libr. cap. *Cum olim, De Maioritate et Obed.* n. 48; Card. De Luca, *Relatio Roman. Cur.* Disc. V, n. 11; Ferraris, verb. *Cardinales,* art. I, n. 20 sqq.).

40. *Circa Decanum Sacri Collegii* Summi Pontifices Benedictus XIII, Const. *Romani Pontifices,* septimo Idus Septemb. 1724, § VI, et Clemens XII, Const. *Pastorale Officium,* die 10 Iun. 1731, § III statuerunt, antiquitatem inter Episcopos Cardinales in Curia praesentes non esse metiendam a tempore suae promotionis ad Cardinalatus honorem, sed a tempore eorum ingressus in Ordinem Episcopalem, ita ut *Decanatus* eiusdem Sacri Collegii ad antiquiorem in Ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu, pervenire debeat, et qui prius alicui ex dictis sex Ecclesiis Suburbicariis praefectus fuerit, praeferendus est in assecutione praedicti Decanatus alteri, qui ante ipsum ad Cardinalatus dignitatem promotus fuisset. — Brevius: Praelatio ad assequendum Decanatum

Sacri Collegii *debetur Cardinali antiquiori in Episcopatu, licet sit iunior in Cardinalatu.* Vid. citatas Const. apud Ferraris, verb. *Cardinales.*

41. Cardinalis Episcopus *Hostiensis,* iuxta antiquissimam dispositionem et constantem praxim, gaudet privilegio consecrandi Pontificem Maximum solemni ritu, Pallio etiam adhibito (Clem. XII, Const. cit. § VI).

42. *Cardinalis Vicarius Generalis Romani Pontificis in Urbe, eiusque districtu.*

a) Cardinalis Vicarius est *Ordinarius in Urbe,* ibique repraesentat personam Papae, *non tamquam Papae, sed tamquam Episcopi Romani,* cum plena iurisdictione Episcopali exercenda, tam absente, quam praesente Papa.

b) Cardinalis Vicarii iurisdictio *ordinaria est,* ideoque, etiam Apostolica Sede vacante, in suo vigore perseverat. Eadem vero protenditur usque *ad quadragesimum ab Urbe lapidem,* non tamen complectitur loca intra eumdem circuitum existentia, quae sunt alteri subiecta Episcopo (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* Lib. II, cap. III, n. I sq.).

c) Etsi Cardinalis Vicarius Urbis ea omnia gerat tum quoad potestatem iurisdictionis, quae gerit Episcopus in sua Dioecesi, tamen excipienda est 1° *visitatio pastoralis,* quae commissa est speciali Congregationi, cuius praefecturam sibi reservat Romanus Pontifex; 2° *collatio Beneficiorum,* quae reservata est S. Sedi vel Cardinalibus in suis Titulis.

d) Potest tamen Cardinalis Urbis Vicarius, pro libitu, Romani Cleri dioecesanam Synodum indicere et celebrare (Bened. XIV, loc. cit. n. III).

e) Cardinalis Vicarius habet *Vices-gerentem* charactere Episcopali insignitum, qui ad vitam eligitur, quique eum coadiuvat, ab eoque pendet.

43. *Iura seu munera Cardinalium.* Inter munera S. R. E. Cardinalium, *primum locum* tenet potestas *eligendi Summum Pontificem.* Ius exclusivum Cardinalium eligendi Romanum Pontificem plenum evasit sub Alexandro III in Concilio Lateranensi III anno 1179 celebrato, lata quoque lege, ut ille in Pontificem Maximum

canonice electum censeretur, in quem duae ex tribus Sacri Collegii Cardinalium partibus consensissent. — Ioannes Devoti in loc. supra cit. notat, quod ius eligendi Summum Pontificem non habent Cardinales, nisi *Diaconatus* ordinem acceperint, aut eam facultatem nominatim a Pontifice impetraverint.

Alterum munus Cardinalium magni quidem momenti, licet extraordinarium, in eo situm est, ut Legati a latere mitterentur.

Tertium munus Cardinalium in eo reponitur, ut soli Cardinales Romano Pontifici propriis consiliis adsistant. Quae quidem nobilissima munia causae praecipuae fuerunt, cur Cardinalatus attigerit in Ecclesia summum honoris et praeeminentiae apicem.

44. Munus et potestas *Cardinalium Episcoporum Suburbicariorum* in suis Ecclesiis Cathedralibus et propriis Dioecesibus, quas in titulum obtinent, idem seu eadem est, ac illa quae competit ceteris Episcopis Dioecesanis.

45. Relate vero ad Cardinales Ordinis *presbyteralis* et *diaconalis,* certum est quemlibet Cardinalem in sua Ecclesia habuisse iure antiquo clerum et populum sibi subiectum, ac ideo potitum fuisse in propriis titulis iurisdictione quasi Episcopali. Id patet ex Const. incip. *Religiosa* Sixti V. Ast post Constitutionem Innocentii XII *Romanus Pontifex,* editam die 17 Sept. 1692, *iurisdictio* quasi episcopalis praedictorum Emorum Cardinalium in clerum et populum in propriis titulis cessavit, et haec iurisdictio proprie dicta in Cardinalem Urbis Vicarium transiit, reservata solummodo Cardinalibus titularibus potestate in iis, quae servitium Ecclesiae concernunt, et quidem circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem.

46. Advertendum, immutationem factam ab Innocentio XII respicere ut dictum est, *iurisdictionem.* Ideo quoad iura Pontificalia honorifica et Benedictionem more Episcoporum res integra mansit; siquidem Constitutio Innocentiana de hac re silet, et constans usus confirmat.

47. Cardinales *Diaconi* in suis Diaconiis solemni Missae assistentes, *possunt populo benedicere,* dummodo celebrans non sit Episcopus. Summus Pontifex huic resolutioni annuit (S. R. C. die 15 Sept. 1668. N. 1373).

48. In ecclesiis Tituli Cardinalitii *ius consecrandi Altaria* spectat respectivis Emis Cardinalibus Titularibus, non vero Emo Cardinali Vicario. Quod decretum confirmavit Leo PP. XIII die 30 Ian. 1879 (N. 3478).

49. Cardinalis S. R. E. Missam in Pontificalibus celebrans *extra locum suae iurisdictionis,* habere potest, praeter tres sacros Ministros Altaris, Diaconos sacris paramentis indutos sibi in Cathedra seu Throno assistentes; Clerus quoque sacra paramenta iuxta Ordinum gradus deferens, illi assistere potest et debet; et Cardinali celebranti aut in Cathedra seu Throno assistenti, et habitum Cardinalitium induto, debetur ab omnibus genuflexio, sicuti Ordinario in propria Dioecesi; secus autem non, si scilicet non in Cathedra assideat (S. R. C. die 14 Iul. 1887. N. 3680).

50. Pro Cardinali Presbytero, sed *Episcopo,* in Oratione Missae de Requie dicendum est: *Deus qui inter... famulum* N. *Presbyterum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere* (S. R. C. die 23 Sept. 1885. N. 3642 ad 4).

51. Cardinales Episcopi suburbicarii vel Titulares Ecclesiarum Urbis, Purpuratis tantum Patribus *Thronum cedere possunt;* item Praesules Cardinales aliarum Dioecesium decet, ut suum Thronum nonnisi aliis eadem Cardinalitia dignitate ornatis cedant (Ead. S. C. die 9 Maii 1899).

Dubia super iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserendis.

52. De iuribus et honoribus purpuratis Patribus adserendis in actis quibusdam, quae ad ipsorum munus ac dignitatem spectant, R. P. D. Franciscus Riggi, apostolicis caeremoniis praefectus, S. Congregationi Caeremoniali dubia proposuit quae sequuntur:

Dub. I. — Utrum purpurati Patres ad ordinem Diaconorum vel Presbyterorum pertinentes, sed Episcopali consecratione non aucti, crucem ante pectus more episcoporum, deferre possint, sive domi intra romanam Curiam, sive ubique locorum extra ipsam Curiam.

Dub. II. — Haud semel accidit, ut Patres Cardinales electi Protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus

a solo gradibus usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato, superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam ut, Cardinali Protectore templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu Tituli, antiphona: *Ecce sacerdos magnus* vel *Fidelis namque*. Denique ut idem Cardinalis Protector, in ecclesia publica confraternitatis aut religiosi ordinis, palliolum, seu *mantelletum*, deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur:

1. Utrum Patribus Cardinalibus, qui alicuius ecclesiae Protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant.

2. Utrum purpurati Patres electi Protectores Ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis aula maiori, vel in interiore sacello; aut ad ianuam templi vel adnexi publici oratorii excipi cum cantu antiphonae: *Ecce sacerdos magnus*, vel: *Fidelis namque*.

3. Utrum iidem Cardinales Protectores Ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint in interiore aula religiosae domus vel confraternitatis vel instituti; aut etiam in ecclesia vel publico oratorio, thronum adhibere triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peristromate.

4. Utrum liceat iisdem palliolum deponere et retecto suppari, seu *rocheto* et *mozzeta*, adstare in ecclesia vel in publico oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis.

5. Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati Protectores regnis, civitatibus, academiis, aliisve, competantne peculiaris honoris aliqua signa.

Dub. III. — Si contigua ecclesiae aedes propria sit Cardinalis Titularis, eademque inhabitetur a religiosa familia vel instituto subiecto alteri Cardinali utpote Protectori, utri purpurato liceat intra aedem ipsam incedere cum *mozzeta* tantum.

Dub. IV. — 1. Utrum Cardinalis Protectoris collocari insignia, seu stemmata, possint super ianua domus aut templi ad religiosam familiam, ad confraternitatem aliudve institutum pertinentium.

2. Item probandane sit consuetudo in Urbe recepta, ponendi super ianuis templorum ad confraternitates pertinentium insignia, seu *stemmata,* Primicerii una cum *stemmate* Cardinalis Protectoris.

Super proposita dubia, auditis tribus S. Congregationis Caeremonialis consultoribus, Eminentissimi Patres, in comitiis habitis die 23 mensis Maii an. 1902 in Aedibus Vaticanis, ita respondendum censuerunt;

Ad I. Nihil innovetur.

Ad II. 1. *Affirmative.*

» 2. *Negative,* i. e. excluso cuiusvis antiphonae cantu.

» 3. Ad primam partem *affirmative:* ad secundam *negative.*

» 4. *Negative.*

» 5. *Negative.*

Ad III. Competit utrique.

Ad IV. 1. Insignia, seu *stemmata,* Cardinalis Protectoris super ianuas domus rite apponuntur. Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas ecclesiae, sed una cum stemmate Romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus.

Ad IV. 2. *Negative.*

Facta de his, per me infra scriptum Cardinalem S. Congregat. Caeremoniali Praefectum, relatione SSmo D. N. Leoni XIII Pont. Max., Sanctitas Sua omnia approbavit et confirmavit, die 30 eiusdem mensis et anni.

A. Card. Oreglia, a S. Stephano, *S. C. Caer. Praef.*

L. ✠ S.

Ludovicus Grabinski, *Secret.*

Decretum quo certae normae exhibentur purpuratis Patribus ad sacros ritus splendidius celebrandos.

53. Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat, ut alta de ipsis opinio penes christianum populum vigeat. Quare mirum non est, si Eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus, cum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per

ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur, ut sedulo caveatur ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quotidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere.

I. Pater Cardinalis e Presbyterorum aut Episcoporum ordine invitatus extra proprium titulum aut ad ecclesiam aliquam Urbis ad sacrum solemne, vel ad pontificalia exercenda in Missa aut in Vesperis, ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro atque his conditionibus:

1. Ut aequa sit et probanda causa, cur Emi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius Festi celebritatem;

2. Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignoribus sit atque insignioribus;

3. Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant; ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta, decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri;

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum Emus Vir sacrum solemne peragit: praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, cum numero tum arte nihil desiderandum relinquant.

II. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem Festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi cum rariora quaedam solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo

tantum die haberi poterunt pontificalia Emi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris Festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

III. Ad Missam privatam in publicis Urbis ecclesiis invitatus Pater aliquis Cardinalis, sive ex ordine Episcoporum aut Presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio,* ex ordine Diaconorum, ne annuat, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta Festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem S. C. Rituum praescriptis et caeremoniarum regulis.

IV. Si quis Pater Cardinalis fuerit invitatus ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento, ante ne annuat quam sibi constet omnia parata esse atque disposita iuxta superius descriptas normas; haberi sacros ministros in aliqua Ecclesiae dignitate constitutos; inferiores autem clericos et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis) ne velint quotidie accedere PP. Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

V. Absolutionis ritum post Missam de Requie ab episcopo aut presbytero celebratam, ne peragant PP. Cardinales ordinis Episcoporum aut Presbyterorum, *praesente cadavere,* nisi mandante aut volente Summo Pontifice. *Absente cadavere,* eo fungi ritu poterunt in funebribus aut Pontificis Maximi, aut purpuratorum Patrum, aut catholicorum Principum; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrymabilem casum; modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus.

VI. Ad cavendum ne aliis in ritibus caeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis, aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat, expedit ut PP. Cardinales invitationi non obsequantur, nisi facti certiores per aliquem caeremoniarum apostolicarum magistrum, omnia rite geri, nec Cardinalis decori quidquam obesse.

VII. Purpurati Patres solemnia celebraturi in publicis Urbis ecclesiis, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum, familiares nobiles duos secum ducant. In ritibus haud ita solemnibus ducant saltem ecclesiasticum familiarem nobilem unum, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum.

Quae omnia a S. C. Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in aedibus Vaticanis, die 23 mensis Maii an. 1902, et per me infra scriptum Cardinalem S. C. Caeremoniali Praefectum relata ad SSmum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit die 30 eiusdem mensis et anni.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, *S. C. Caer. Praef.*

L. ✠ S.

Ludovicus Grabinski, *Secretarius.*

CAPUT V.

De Sacris Romanis Congregationibus in genere.

Antequam in particulari de Congregationibus ecclesiasticis Romanis aliquam notitiam exhibeamus lectoribus, utile censemus, claritatis causa, sequentia praemittere.

§ I. *Praenotanda quoad Romanas Congregationes.*

54. A. Romanus Pontifex, quem Christus Dominus Ecclesiae caput constituit omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos tam immensi oneris adiutores advocat atque adsciscit et *praesertim* S. R. E. Cardinales, qui primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, ut *partita inter eos ingenti curarum negotiorumque mole,* ipse Romanus Pontifex tantae potestatis cla-

vem tenens, divina gratia adiutrice non succumbat (Cf. Const. *Immensa aeterni Dei,* decimo Kal. Febr. 1587, in qua Sixtus V Pontifex Maximus plures Congregationes instituit).

55. B. Quam sapiens utilisque fuerit Sacrarum Congregationum institutio ex eo manifeste patet, quod sic praefinita ac determinata habita sit *forma concreta et iuridica,* qua Cardinales operam suam ordinate et ex officio praestarent Summo Pontifici in regimine Ecclesiae universalis, nec non faciliori celeriorique modo expeditioni ecclesiasticorum negotiorum consultum est.

56. C. Sacrae Congregationes Cardinalium constituunt totidem *tribunalia* S. Sedis in *externo et visibili regimine* Ecclesiae universalis. Nam negotia, quae conscientiam seu *forum internum* respiciunt, ad Sacram Poenitentiariam spectant.

57. D. Cuilibet Sacrae Congregationi committitur *peculiare negotiorum genus,* et quodnam hoc sit, decernitur in Bulla institutionis et etiam patet ex titulo cuiusque Congregationis.

58. E. *Stylus Curiae Romanae* seu Sacrarum Congregationum est, ut non soleant expediri negotia, quin prius audiatur Ordinarius proprius oratoris vel Superior Generalis aut saltem Provincialis illius Ordinis seu Instituti, cuius vel personam religiosam vel iura negotium expediendum respicit.

59. F. Sacrae Congregationes, id est S. Sedis tribunalia, operam suam impendunt et procedunt auctoritate et nomine Summi Pontificis; consequenter ex his quaelibet in propria negotiorum provincia tribunal *supremum* constituit, cui omnes fideles obtemperare debent.

60. G. Cardinales in Sacris Congregationibus sunt *veri iudices,* qui sententiam proferunt *collegialiter,* adeoque illud pro iure habetur, quod assensum maioris eorum partis obtinuerit.

§ II. *De efficacia et auctoritate Sacrarum Congregationum.*

61. De hoc argumento a Doctoribus tractatur speciatim relate *ad S. Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.* Quaerunt igitur, an resolutiones seu declarationes praefatae

Sacrae Congregationis habeant vim et auctoritatem iuris sive legis ecclesiasticae?

Prima sententia negat, et hanc sequuntur Petrus de Ledesma, Vega, Sanchez, Diana, Bonacina, Laymann, Pellizarius, et alii, his praesertim moti rationibus, quas nos solummodo enunciamus:

1. Quia lex ferri debet et solet per verba praeceptiva vel prohibitiva, et ut vim obligandi habeat, publice promulgari debet iuxta illud: *leges instituuntur, cum promulgantur;* atqui declarationes seu decisiones Congregationis Concilii non efferuntur per verba praeceptiva vel prohibitiva, sed per verba *censuit* vel similia, quae tantum denotant *iudicium* alicuius de re aliqua: item non promulgantur vel publicantur *instar legum,* sed ad petitionem supplicantium dari solent.

2. Quia ut resolutio seu decisio vim legis habeat, necesse est ut ab eo emanet qui potestatem habet condendi legem. At minime constat, Sedem Apostolicam indulsisse praefatae Congregationi potestatem condendae legis.

3. Decisionibus S. Congregationis non apponitur ut plurimum tempus aut locus, adeoque nequeunt esse validae; siquidem ipsae Constitutiones Apostolicae validae haud sunt, si locum et tempus non contineant seu non indigent.

4. Declarationes a dicta S. Congregatione editae, sunt innumerae; saepe diversis verbis expressae, quandoque etiam contrariae. Iam vero si huiusmodi responsa vim legis obtinerent, legum quotidie subnascentium multitudine iurisprudentia ecclesiastica obrueretur, atque varietate et incertitudine non parum confunderetur.

Secunda sententia affirmat, quam defendunt Fagnanus, cap. *Quoniam,* n. 6 sqq.; Rodriquez *quaest. regul.* tom. I, q. 11 art. I; Miranda, *Manual.* tom. II, quaest. 26, art. 11; Lezana *Summa,* tom. III, verb. *Congregatio,* n. 8; Reiff. *Ius. Canon.* tom. I, prooem. n. 130; Schmalz. *Prooem.* n. 371 sq. et alii passim, quos vide citatos apud nominatos Auctores. Ratio praecipua et fundamentalis, qua innituntur patrocinatores huius sententiae hoc modo exponi potest. Declarationes Concilii Tridentini a Summo Pontifice latae, citra omnem dubitationem vim legis habent; ergo eamdem habent latae a S. Congregatione, 1° quia interpretandi facultas concessa

est Congregationi ab ipso Papa, ac proinde est locus regulae: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum;* 2° Quia ex Constitutione incip. *Immensa* Sixti V declarationes in casibus dubiis (in materia *de morum reformatione, disciplina ac moderatione...*) non fiunt nisi consulto Pontifice, *Nobis tamen consultis,* ait Pontifex. At vero declarationes factae, approbante Summo Pontifice, et eius nomine, eadem auctoritate pollent, ac si factae fuerint ab ipso Pontifice. 3° Declaratio est manifestatio sensus legis; atqui sensus legis, sive ab ipsomet legislatore, sive ipsius nomine et auctoritate ab alio manifestatus, vim legis proculdubio habet. Ergo etc.

Tertia sententia, (quae tamen parum differt a secunda) quam plures Auctores *veriorem* dicunt, distinguit declarationes seu decisiones in *comprehensivas* et *extensivas.* Comprehensivae sunt, si sensus declaratus, a verborum propria et usu recepta significatione non recedat, ita ut Decretis Concilii Tridentini adhaereat, et eadem explicet.

Extensivae, si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, aut prohibeant, vel dispensent.

Porro haec sententia libenter concedit quoad declarationes *extensivas,* istas vim et auctoritatem legis non habere, nisi fiant ex speciali mandato Summi Pontificis et legitime promulgentur. Ratio est, quia ex eo quod non continentur seu non comprehenduntur in verbis decretorum Sacri Concilii Tridentini, declarationes huiusmodi essent novae leges ecclesiasticae, auctoritatem legislativam in declarante exposcentes. Atqui S. Congregatio *ex sua institutione* non habet istam auctoritatem. Ergo etc.

Dictum est, *nisi fiant ex speciali mandato Summi Pontificis et legitime promulgentur;* quia si ita fiant et promulgentur, sine dubio vim legis habent, et hoc planum est.

Relate autem ad declarationes *comprehensivas,* nullum dubium quod istae vim legis habeant, si Summo Pontifice consulto factae fuerint, a Cardinali Praefecto et Secretario subscriptae atque proprio sigillo munitae.

62. Responsa ad difficultates a defensoribus primae sententiae (n. 61) obiectas vide penes Reiffenstuel, loc. cit. n. 130 sqq.;

Schmalzgrueber, loc. cit. 377 sqq. — Nobis satis sit sequentia adnotare summatim.

a) Verum quidem est, S. Congregationem frequentius uti verbo *censere* seu *censuit;* sed iuxta sensum eidem antiquitus attributum et iuxta mentem eiusdem S. Congregationis verbum illud iuridice idem est, ac *constituere, decernere, praecipere,* vel *prohibere*

b) Comprehensiva declaratio legum, ut legis robur obtineat, non indiget promulgatione; siquidem per ipsam *non conditur novum ius, sed iam conditum et promulgatum explicatur.*

c) Quod S. Congregatio Concilii non habeat facultatem condendi leges, videatur responsio ad secundam et tertiam sententiam.

d) Indicatio temporis et loci requiritur quidem in novae legis editione, *non vero in legis editae declaratione.*

e) Ex eo quod declarationes innumerae sunt, et quandoque contrariae appareant, non est inferendum, illas revera pugnare contra declarationes exhibitas *in forma authentica,* quia tales nec multae, nec falsae, nec etiam inter se contrariae facile inveniuntur. Quare, scribit Schmalzgrueber, loc. cit. n. 377, si quae contrariae sibi inveniantur, pro apocryphis habendae sunt, vel si pro veris agnoscendae, ad speciem solum contrariae sunt, quia in diversis circumstantiis datae, aut si contrarietas vitari nequeat, posterior derogabit priori ».

63. *Quid dicendum de resolutionibus ceterarum Congregationum?*

Respondetur: si declarationes munitae sint subscriptione Cardinalis Praefecti et Secretarii ac sigillo consueto, comprehensivae vim et auctoritatem legis habent, modo constet *uniformiter et saepius* super eodem casu et articulo iuris dubii eas fuisse datas. Ratio est, quia uniformitas responsorum ac sententiarum super eodem articulo seu materia, inducit stylum et praxim Curiae. Stylus autem et praxis Curiae, ius facit.

Contra vero si dictae declarationes seu resolutiones praefata subscriptione et sigillo sint destitutae, vim legis *per se* non obtinent. Et revera ipsa S. Congregatio Concilii, de speciali mandato Urbani VIII anno 1631 praecepit: *huiusmodi declarationibus tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse*

in iudicio vel extra a quoquam adhibendam; sed tantum illis, quae in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Emi Cardinalis Praefecti et Secretarii eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitae fuerint. In quorum fidem etc. *Dat. Romae die 2 Augusti* 1631 ». Ita ex Barbosa refert Reiffenstuel, *Ius Canonicum,* Prooemium, § VIII, n. 126: Ferraris, verb. *Congregationes,* art. Cassinen. n. 4.

Ratio huius dispositionis redditur in ipso Decreto, quod scilicet ad S. Congregationis notitiam pervenerit, quamplures ex eius declarationibus alteratas, diminutas, inter se contrarias, et forsan omnino confictas esse.

Advertendum tamen, in Congregatione Supremae Inquisitionis rescripta expediri, munita sigillo proprio et unica subscriptione Notarii Congregationis.

Dictum est *per se;* nam non obstante relati decreti rigore, quamplurimi Auctores docent, declarationibus, quae a privatis, sed *probatis* Doctoribus referuntur, si sensum a verborum proprietate non recedentem, communibus iuris regulis non repugnantem, et aliis declarationibus non contrarium reddant, sicque de vitio aliquo suspectae non sint, haud aegre deferunt; imo addunt, ab illis sine gravi ratione in praxi non esse recedendum (Schmalz. loc. cit. n. 386, et cf. Reiff. n. 127 sqq.). Hodie sane non solent Auctores, saltem ordinarie, decreta omnia in sua integritate referre, eo vel magis quod libri leges canonicas et liturgicas continentes, subiici soleant vel debeant respectivis Sacris Congregationibus.

64. Rebus expositis, sequentia addenda censemus:

I. Tam *dispositio* in negotiis *extraiudicialibus,* quam *decisio* in negotiis ordinis *iudicialis* ab aliqua S. Congregatione emanans, saltem quoad personas in dispositione vel sententia comprehensas, proculdubio facit verum ius et veram obligationem gignit. Utraque enim induit indolem potestatis supremae in Ecclesia. Licet enim neutra per se constituat verum et solemnem actum Papalem, tamen quaelibet S. Congregatio agit et procedit *auctorante Summo Pontifice* et tamquam organum immediatum Sanctae Sedis (Vid. Franc. Santi, lib. I, tit. 31, n. 45 sqq.).

II. In more positum est S. Sedis, ut resolutio alicuius S. Con-

gregationis *in puncto iuris* non solum a Papa ad relationem Secretarii *in Audientia* probetur, sed etiam de speciali mandato Summi Pontificis per solemne Decretum resolutio illa, vel decisio, seu dispositio publicetur. Tale ex. gr. est Decretum Urbis et Orbis S. Rit. Congregationis diei 12 Ian. 1704 circa iura parochialia, functiones atque praeeminentias inter Parochos et Confraternitates laicorum etc. Talia sunt etiam alia quamplurima Decreta, quae prostant in novissima *Collectione* Decretorum S. Rit. Congregationis, Ep. et Reg., Concilii, Indulgentiarum etc. Et huiusmodi quidem dispositiones seu Decreta a Supremo Legislatore approbata et confirmata, pro omnibus vim legis habere, extra dubium est.

CAPUT VI.

De Sacris Congregationibus in particulari.

§ 1. *De S. Congregatione Supremae et Universalis Inquisitionis seu Sancti Officii* (1).

65. Ad haereses iam natas extirpandas vel ad occurrendum ne aliae orirentur, *curativa et praeservativa remedia* adhibendo; Romanus Pontifex, Ecclesiae Catholicae caput et Episcopus, omni tempore per seipsum eiusque ministros diligenter invigilare consuevit, varios adhibendo modos iuxta temporum et circumstantiarum exigentiam.

66. Inquisitionis tribunal fuit primo erectum ab Innocentio III occasione haeresis Albigensium, consilio S. Dominici tunc Canonici Oxomensis, deinde Ordinis Praedicatorum praeclarissimi Patriarchae, cui primo a Gregorio IX Inquisitoris nomen seu titulum attributum esse, scriptum habemus.

67. Post praefatum inclytum Fundatorem aliis subinde alumnis praedicti Ordinis ab eodem Gregorio IX munus Inquisitoris com-

(1) De hac suprema Congregatione videantur Benedictus XIV, Const. *Sollicita*, ann. 1753, septimo Idus Iulii edita; Cardinalis De Luca, *Relatio Rom. Cur. Forensis*, Lib. XV Pars 2, *Discursus* XIV; Ferraris, verb. *Inquisitionis S. Officium*; Santi, *Praelectiones Iuris Canonici*, lib. I, tit. 31, n. 64, pag. 288, edit. 1ª.

missum fuit, ac deinde ab Innocentio IV per Const. *Quia tunc* delegatum etiam fuit Fratribus Minoribus, et aliquando etiam Fratribus Minimis S. Francisci de Paula. Hinc factum est, ut ex mandato Sedis Apostolicae in pluribus Dioecesibus sensim sine sensu peculiaria Inquisitionis tribunalia constituerentur.

68. Sed hic advertendum est, per hanc S. Sedis dispositionem nihil fuisse detractum iuri inquirendi in haereticos, quod Episcopis competit. Unde Episcopi habiti semper sunt, et hodie etiam post institutam Congregationem S. Officii, reputantur et sunt *Inquisitores nati* contra haereticam pravitatem in propriis Dioecesibus.

69. Saeculo XVI, haeresi Lutherana exorta, Paulus III per suam Constitutionem incip. *Licet* sacram Congregationem Universalis Inquisitionis erexit, ut tribunali S. Officii melius consuleret, et maior eidem auctoritas accederet. Sixtus V, Const. cuius initium *Immensa aeterni Dei,* Congregationem restituit seu confirmavit, eamque voluit inter alias principem locum tenere.

70. Ista Congregatio constat ex S. R. E. Cardinalibus a Romano Pontifice delectis seu nominatis, modo maiori modo minori numero pro suo placito; et isti nuncupantur *Cardinales Inquisitores generales.* Praefecturam huius Congregationis Summus Pontifex sibi reservat. Hodie tamen solummodo pro negotiis gravioribus expediendis coram se Congregationem aliquando convocat, eique praeest. Cardinalis vero antiquior in Congregatione officium Secretarii implere solet.

71. Cardinalibus Inquisitoribus auxilium praebet collegium *Consultorum,* qui ex Clero saeculari et regulari assumuntur peritissimi in scientia Canonum et Conciliorum ac sacrae Theologiae. Ipsi diligenti examine quaestiones a Cardinalibus resolvendas expendunt, et proprium votum circa easdem quaestiones proferunt. Qualibet feria secunda collegium Consultorum, et qualibet feria quarta Congregatio Cardinalium adunari solet.

72. *Officiales* huius Congregationis sunt:

Primus inter omnes est *Assessor,* qui *a)* conventui Consultorum praesidet, *b)* Cardinalibus adunatis negotia peragenda et quaestiones resolvendas proponit una cum voto Consultorum prius habito, *c)* demum sententiam Congregationis Summo Pontifici refert.

Secundus Officialis est *Commissarius,* qui ex Ordine Praedicatorum assumitur, quique socium habet ex eodem Ordine. Commissarii munus versatur praecipue in conficiendis processibus.

Tertius Officialis est *Fiscalis,* qui sedet inter Consultores in eorum conventu; ipse legis observantiam propugnat, et instructiones conficit, quibus Curiae Episcopales in actis processuum exarandis dirigantur.

Extat etiam *Advocatus* reorum et *Notarius* cum aliis sibi adiunctis.

73. Congregatio S. Officii, ut ex recitatis facile coniici potest, verum et supremum Inquisitionis tribunal constituit, consequenter eius iurisdictioni fideles omnes cuiuslibet ordinis et dignitatis subiiciuntur, et ab ea omnes alii Inquisitores ubicumque existentes pendent. Ex Const. *Immensa* Summi Pontificis Sixti V ad eamdem Congregationem pertinet inquirere, citare ac definire causas complectentes haeresim, schisma, apostasiam a fide, magiam, sortilegia et cetera huiusmodi. Ad ipsam pariter spectat cognoscere seu iudicare causas de materia sollicitationis in confessione sacramentali, necnon causas matrimoniales inter personas catholicas et acatholicas etc. Infertur, responsa S. Officii de iis similibusque materiis magnam sibi vindicare auctoritatem. Lata enim sunt a tribunali competenti, et post maturum examen virorum ob scientiam et probitatem omni exceptione maiorum.

74. Quaestio: An responsa S. Officii sint *infallibilia* et *irreformabilia?* Respondetur *negative.* Nam infallibilitas *uni Romano Pontifici promissa est;* responsa autem S. Officii haud sunt actus Papales. Quamvis enim Summus Pontifex eadem approbet, semper tamen naturam retinent decisionis S. Congregationis, et uti talia Summus Pontifex probat et vulgari iubet. Aliter esset si Romanus Pontifex decisionem S. Officii faceret suam, eamque per Constitutionem solemniter publicaret. Tunc enim haberetur actus vere Papalis, seu definitio Summi Pontificis in materia doctrinali ex cathedra loquentis, adeoque iudicium irreformabile (Vid. Santi, loc. cit. n. 70 sq.).

75. Praestat adnotare, penes Sacram Congregationem Inquisitionis illud speciale esse, ut in processu actorum *ab omnibus abso-*

lute servetur secretum, quod per antonomasiam appellari solet *Secretum S. Officii.* Et concludimus cum Cardinali De Luca, qui in loc. cit. n. 15, de hac S. Congregatione scribit: Illud autem certum ac indubitatum est (quidquid ignarum vulgus indebite et absque fundamento opinetur) quod stylus est nimium placidus ac benignus, omnique maiori charitate et circumspectione plenus » (De hac et pluribus aliis Congregationibus vid. etiam D'Avino, *Enciclopedia,* verb. *Congregazioni ecclesiastiche di Roma*).

76. *Nota.* Ex dispositione Summi Pontificis Pii X Episcoporum delectus ac promotio Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, defertur per *Motum Proprium* qui integre hic affertur:

MOTU PROPRIO

ELECTIO EPISCOPORUM AD SUPREMAM S. CONGREGATIONEM S. OFFICII AVOCATUR.

PIUS PP. X.

Romanis Pontificibus maximae semper curae fuit, ut singulis in orbe terrarum Ecclesiis tales praeficerentur Pastores qui probe scirent strenueque valerent tantum sustinere *onus* vel ipsis *angelicis humeris formidandum.* Ex quo factum est ut ab antiquis temporibus plura iidem ediderint, quibus vel novae pro Episcoporum felici delectu traderentur normae vel iam traditarum observantia urgeretur.

Haec inter speciali quidem recordatione digna censemus quae, ante Sacrosanctum Tridentinum Concilium, Supremus Pontifex Leo X (1), post illud vero, Xistus V (2), Gregorius XIV (3) atque Urbanus VIII (4) de qualitatibus promovendorum deque forma in eorum promotione servanda sapientissime constituerunt; Nobis tamen in

(1) Bulla « *Supernae dispositionis* » edita 3 Nonas Maii 1514.

(2) Bulla « *Immensa* » edita 11 Kal. Febr. 1587.

(3) Bulla « *Onus* » edita Idibus Maii 1591.

(4) Instructio circa modum servandi praescriptiones Conc. Trid. et Const. « *Onus* » Greg. XIV in processibus de eligendis Episcopis, edita an. 1627. — In Conc. Trid. hac de re agitur sess. VII, cap. 1; sess. XXIV, cap. 2; sess. XXV, cap. 1.

primis memorare libet quae a piae memoriae Decessoribus Nostris Benedicto XIV (1) et Leone XIII (2) decreta sunt. Quorum alter methodum hac in re gravissima a priore invectam ab usu paulatim recessisse dolens, eam instaurare cogitans, inde a primo sui Pontificatus anno, Constitutione « *Immortalis memoriae* » peculiarem S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit, cuius esset, salva manente in omnibus forma et ratione in electione et confirmatione Episcoporum exterarum regionum eousque a Sancta hac Sede servata, operam suam ad promotionem praeficiendorum Italiae dioecesibus sedulo praestare.

Providentissimi huius instituti salutaribus effectibus experientia comprobatis, vix dum, licet inviti, universalis Ecclesiae gubernacula, Deo disponente, tractanda suscepimus, ad illud perficiendum provehendumque animum intendimus. Quem in finem praefatam de eligendis Italiae Episcopis a Leone XIII fundatam Congregationem, Supremae Sacrae Congregationi S. Officii, cui Ipsimet immediate praesidemus, coaugmentantes, decernimus ac statuimus ut, servatis ex integro rationibus et formis quae in electione Episcoporum pro Locis Sacris Congregationibus de Propaganda Fide et Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum subiectis vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesens adhibentur, ceterorum omnium Episcoporum delectus ac promotio eidem Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, deferatur.

Et quoniam huius Congregationis id proprium est, quod eius membra et officiales ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena teneantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a Nobis atque a Nostris pro tempore Successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad S. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem Poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant; eadem

---

(1) Bulla « *Ad Apostolicae* » edita 16 Kal. Nov. 1740, et « *Gravissimum* » edita die 18 Ian. 1757.

(2) Bulla « *Immortalis memoriae* » edita 11 Kal. Oct. 1878.

prorsus obligatione sub iisdem omnino poenis et sanctionibus teneri in posterum volumus atque expresse declaramus omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae sint, quos in negotio de eligendis per supradictam Supremam S. Officii Congregationem Episcopis, quovis modo, ratione vel titulo partem habere contingat.

Ut autem eidem Supremae Congregationi in gravissimo hoc expediendo negotio certa et constans norma praesto foret; methodum ea in re sequendam, opportuna Instructione, singillatim describi curavimus; qua, praeter ea quae de accuratissima circa promovendorum fidem, vitam, mores prudentiamque inquisitione peragenda statuimus, in plenum vigorem revocavimus *periculum de doctrina* quod ab ipsis promovendis, habita ratione praescriptionum S. Caroli Borromaei in Conc. Prov. Mediolan. I, p. 2, omnino faciendum praecipimus.

Quae quidem omnia ut per ipsammet Supremam Congregationem S. Officii plane adimpleri valeant, mandamus denique, ad quos spectat, ut Sedium Episcopalium, ut supra non exceptarum, vacatio eidem in posterum, litteris ad ipsius Cardinalem Secretarium datis, quamprimum ac recto tramite notificetur.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

§ II. *De S. Congregatione Indicis.*

77. Cum Congregatio S. Officii ob multitudinem et gravitatem negotiorum, suam vigilantiam ad omnes libros, qui vulgantur, convertere non posset, et bonos a malis secernere, expedire visum fuit librorum examini ope alterius Congregationis prospiciendum esse. Non est autem putandum, sanctam Ecclesiam, quae fidei integritatem et morum sanctitatem totis viribus curare debet, usum non fuisse antiquioribus temporibus iure et officio arcendi fideles

a pascuis veneno infectis, proscribendo libros quorum lectione vel sana fides vel christiani mores labefactari possunt. Ea enim « *maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet* » (Leo XIII, Const. *Officiorum ac munerum* ann. 1896 VIII Kalendas Februarii).

78. Verum in tota antiquitate usque ad saeculum XVI elenchus librorum perniciosorum confectus non fuit. Exorta autem haeresi Lutherana, et cum subinde praeter modum crevisset atque in omnes partes pervasisset pravorum librorum impura colluvies, Paulus IV primus fuit qui ampliore et praesentiore remedio in illius aevi infelicitate usus est, mandavit scilicet ut conficeretur elenchus seu index scriptorum et librorum, a quorum usu cavere deberent fideles.

79. Non ita multo post Tridentina Synodus gliscentem scribendi legendique licentiam coercendam curavit. Eius quippe iussu, delecti ad id praesules et theologi, augendo ac perpoliendo Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, ac insuper Regulas conscripsere, editione, lectione usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

80. S. Pius V autem specialem Congregationem Cardinalium instituit, cuius officium esset libros pravos proscribendi et eorumdem indicem conficiendi. Quam quidem Congregationem confirmavit et illius auctoritatem ampliavit Sixtus V, in Const. incip. *Immensa*.

81. Constituitur haec S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus, quos Romanus Pontifex pro suo beneplacito eligit, quorum unus Congregationis praefecturam gerit. Pro Secretario habet Religiosum ex Ordine Praedicatorum, necnon plures habet Consultores ex utroque Clero saeculari et regulari ex doctioribus assumptos. De iure autem primarium et fixum Consultorem habet Magistrum Palatii Apostolici ex Ordine Praedicatorum (Cf. De Luca loc. cit. Discurs. XIX, n. 18).

82. Porro salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quod quidem ob immutatas temporum hominumque conditiones

fecerunt (petentibus etiam pluribus Episcopis) Romani Pontifices, nominatim Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV et Pius IX. Audiantur rationes, quibus moti Galliae Episcopi, hanc petitionem Romano Pontifici porrexerunt: « Perlegenti cuique regulas indicis librorum prohibitorum, quae *generales* dicuntur, facile, ut videtur, apparebit, ex illis regulis multas licet ea qua editae sunt aetate sapientissime conditas, nunc statu societatis humanae, maxime vero rei litterariae, ubique et radicitus mutato, partim, iam sat inutiles, partim observatu maxime difficiles, aliquas etiam impossibiles evasisse. Inde fit ut catholicorum conscientiae plusquam aequum esset graventur, scrupulis innumeris anxientur, gravissimaeque exponantur tentationi leges praesenti rerum statui *ita parum accommodatas* praetermittendi. *Omnino igitur necesse et urgens esset, ut illae regulae et universa res Indicis, novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato, et observatu faciliori, instaurentur* » (Collectio Labacensis, VII, 843, apud *Acta S. Sed.* vol. 30, pag. 78, *Commentarium*). Eodem fere modo se habet petitio facta a compluribus Germaniae Episcopis. — Legatur Constitutio *Officiorum ac munerum*, ubi haec et alia a Pontifice Maximo Leone XIII tradita inveniuntur.

83. Hisce incommodis occurrit praelaudatus Pontifex per praefatam Constitutionem *Officiorum*, in qua ita decernit:

« Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt; quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* Sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus ».

Decreta Generalia de libris prohibitis retulimus in Libro XVII.

§ III. *De S. Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita* (1).

84. « Inter praecipuas S. Sedis Congregationes ea profecto recenseri debet, quae negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis et diiudicandis praeposita est, sive rerum numerus et gravitas, sive personarum, quae eidem subsunt, inspiciatur: ea enim utriusque Cleri universale quoddam regimen habet. Praeest etiam Episcopis aliisque locorum Ordinariis, et specialem curam, inspectionem, auctoritatem exercet in Regulares familias, quae de christiana et civili republica optime meritae habendae sunt, quaeque adiutricem operam Antistitibus locorum praestant, et exemplo, doctrina, virtutum exercitio, verbi Dei praedicatione precibusque, Christifideles aedificare et iuvare iuxta proprium institutum satagunt atque contendunt » (Bizzarri, *Collectanea* in Prologo).

85. Initia huius S. Congregationis ad S. Pii V aetatem referenda sunt; officia autem eidem attributa a Sixto V in Constit. *Immensa* habentur praefinita; ideo est, quod huic Pontifici institutio ipsius Congregationis adscribatur.

86. Distincta olim erat S. Congregatio Episcoporum a S. Congregatione Regularium, sed deinde simul iunctae unam tantum effecerunt Congregationem, quae *Sacra Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita* nuncupata est, cui facultates utriusque fuerunt tributae.

87. Componitur haec S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus a Summo Pontifice electis, quorum unus Praefecturam tenet. Habet etiam Secretarium inter Praelatos urbanos assumptum, necnon Substitutum et Auditorem, qui in privatis adunantiis qualibet hebdomada cum Cardinali Praefecto negotiorum directionem disponunt, et minora negotia expediunt. Negotia vero maiora, ad generalem

---

(1) Vid. Card. De Luca *Relatio Rom. Cur. Forens.* Discurs. XVI; Card. Bizzarri, *Collectan. Prolog.* et pag. 11 sqq.; Ferraris, verb. *Congregationes ecclesiasticae Romanae,* art. novus Casinensis; Schmalzgrueber, *Ius Ecclesiasticum,* Dissertatio prooemial. § IX, n. 378; Santi, lib. I, tit. 31, pag. 295, n. 83.

Congregationem Cardinalium remittuntur (Vid. Santi, n. 85, et praesertim Bizz. loc. cit. pag. XXVIII).

88. Habet ista Congregatio, scribit Cardinalis De Luca (*Discursus* XVI, n. 24) latas habenas agendi etiam de illis negotiis, quae aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus VIII dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis quae directe fidei quaestiones concernant, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini: in reliquis enim, licet adsit dicta Congregatio Concilii, attamen de iis quae concernunt executionem vel observantiam eiusdem Concilii eiusque decretorum cognoscit. Prout etiam, licet adsit Congregatio Rituum, cuius peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super praecedentiis aliisque ecclesiasticis praeeminentiis inter Clericos saeculares et regulares, ac etiam super iis quae praetendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis, adhuc tamen ista Congregatio (Episcoporum et Regularium) istas causas cognoscit. Ideoque privativa singularis dictae Congregationis Rituum versatur in praescribendo ritu super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum ».

89. Congregatio de qua agimus olim Consultores non habebat, sed anno 1834 per decretum eiusdem S. Congregationis Nonis Sept. a Gregorio XVI approbatum, etiam Consultores constituti fuerunt; nam *Emi Patres,* ita in nominato decreto, *rati sunt, rem utilem fore, si exemplo aliquarum Congregationum maiorum, nonnulli Consultores deligerentur, quorum esset super dubiis seu quaestionibus, de quibus rogarentur, sententiam suam exponere* » (Vid. Bizz. loc. cit. pag. XXIX et 10).

Methodus seu ratio tractandi negotia, de quibus contentio est inter partes apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

90. In Coetu generali S. C. Ep. et Reg. approbata fuit nova haec methodus tractandi negotia apud eamdem S. Congregationem. In calce exhibetur ratio vetus, quae in nonnullis differt.

1. Quotiescumque in negotiis, quae apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium aguntur, tum ex relationibus Ordina-

riorum, tum ex partium deductionibus videatur expedire, ut res ad viam iuris reducatur, rescribitur: « *Proponatur coram plenario Emorum Patrum coetu, citata parte et concordato dubio* ».

2. In huiusmodi casibus ii tantum uti advocati seu procuratores admittuntur, qui penes SS. Urbis Congregationes rite probati sint.

3. Coram r. d. Summista singuli actus, qui ad iudicandum viam sternunt, conficiuntur.

4. Propterea pars diligentior coram eodem r. d. Summista partem adversam citat « *ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi et disputari infrascriptum* », quod nempe in calce citationis transcribitur.

5. Porro r. d. Summista citationis libello adscribit diem et horam audientiae, in qua citatio « *poterit legi* »; et subinde, vel propositum, vel aliud dubium concordat, de consensu partium: sin minus mandat partes suis iuribus uti per memoriale in plenaria Congregatione. — Praeterea idem r. d. Summista terminum praefinit ad exhibenda summaria et deductiones partium, ut opportuno tempore confici possit restrictus seu *Consultatio* S. Congregationi subiicienda.

6. Si pars citata, infra terminum praefinitum, non compareat, citatur pro secunda vice « *ad concordandum de dubio nec non destinari Congregationem* ».

7. Si pars in sua contumacia perstiterit, r. d. Summista concordat dubium, et Congregationem pro Causae propositione destinat, ita tamen ut spatium saltem triginta dierum intercedat, et decretum intimatur adversae parti per Cursorem sive per litteras apud epistolarum diribitorium commendatas, quaesita receptionis syngrapha, vulgo « con ricevuta di ritorno ».

8. Concordato autem dubio, utraqua pars diligentior deponet apud arcam S. Congregationis congruam pecuniae summam, pro expensis necessariis, in singulis casibus a r. p. d. Secretario taxandam.

9. In casu contumaciae, si post latam sententiam pars contumax postulet *beneficium novae audientiae*, ipsa tenebitur ad deponendam in arca S. Congregationis omnem pecuniae summam pro expensis propositionis necessariam.

10. Documenta unius partis alteri non tradentur nisi exemplaribus *ex officio* exscriptis, praevio superiorum rescripto. Informationes tamen Ordinariorum et documenta secreta, si quae sint, nullatenus tradentur.

11. Advocati seu Procuratores antequam typis edent deductiones et summaria, quibus uti voluerint, ea subiicient r. d. Summistae, ut imprimendi licentiam impetrent: quae quidem imprimendi licentia denegari poterit vel una ea ratione, quod deductiones nimis prolixae inveniantur.

12. Allegationes typis editae decem saltem diebus ante Congregationem destinatam, tum ad *Emos Patres,* in duplici exemplari, tum ad Secretarium, Subsecretarium et Auditorem deferentur: sex autem earumdem allegationum exemplaria, ubi primum fieri poterit, penes Tabularium S. Congregationis deponentur.

13. Mutua inter partes allegationum et summariorum traditio fit decem diebus ante Causae propositionem.

14. Responsiones triduo ante propositionem Causae distribuuntur, ut in art. 12, et partibus invicem traduntur.

15. Resolutionem S. Congr. r. p. d. Secretarius in scriptis tradit, suoque nomine signat; eamque subinde per se, sive per Officialem ad id deputatum, partibus significat.

16. Si intra decem dies pars victa iterum audiri postulet, Emus Cardinalis Praefectus, audito Congressu, novae audientiae beneficium concedere potest.

17. Quoties vero res diiudicata fuerit cum clausula « *et amplius* » tunc beneficium novae audientiae non conceditur nisi a plena Congregatione.

18. Si Causa iterum proponi contingat, servandus erit modus in superioribus articulis respective praescriptus.

19. Diiudicata Causa authenticum resolutionis exemplar Parti seu Partibus petentibus tradetur.

In Congregatione Generali habita die 20 Iulii 1900 Eminentissimi Patres suprascriptam methodum in omnibus probarunt et in posterum accurate servari mandarunt.

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praef.*

A. Panici, *Secret.*

§ IV. *De S. Congregatione super Disciplina Regulari.*

91. Erecta fuit haec S. Congregatio ab Innocentio XII per Constitutionem incip. *Debitum Pastoralis Officii* diei 4 Augusti 1698, relatam a cl. Nervegna in suo opere *de Iure practico Regularium*, nec non a Lucio Ferraris, loco infra cit.

92. Ista Congregatio licet antiquitus habuisset peculiarem Praefectum, hodie tamen subest Cardinali Praefecto Congregationis Episcoporum et Regularium (Cf. Bizz. pag. XXVIII). Hodie caret etiam proprio Secretario, cuius vices gerit Secretarius Congregationis Ep. et Regul. Habet autem Officialem, qui Substitutus nuncupatur (Vid. Santi, n. 89).

93. Officia *seu* facultates huius Congregationis determinantur in citata Constitutione Innocentii XII nec non in altera Constitutione *Singulari providentia* Pii PP. VI, quae legi potest penes Bibliothecam Lucii Ferraris in citato articulo Casinensium, n. 46. Facultates sunt sequentes:

Intra fines Italiae et Insularum adiacentium a) designandi ac deputandi pro Novitiatibus et Professoriis Conventus, Monasteria, Collegia ac domos quorumcumque Monachorum et Regularium Virorum; *b)* nec non Novitiatus et Professoria huiusmodi mutandi, transferendi, suspendendi et supprimendi, prout utilitas et necessitas postulaverit; *c)* dandi licentias Superioribus Regularibus ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum et professionem; *d)* decreto tam Clementis VIII super Reformatione Regularium, ac praesertim ea, quae institutionem et educationem Novitiorum concernunt, quam ab ipsa Congregatione super Disciplina Regulari die 18 Iulii 1695 edita, exequendi; *e)* quascumque inde emergentes controversias decidendi; *f)* potissimum vero exactae vitae communis observantiam promovendi; *g)* omnia denum et singula faciendi, decernendi et exequendi, quae ad eamdem disciplinam regularem efficaciter stabiliendam pertinere possunt.

94. Quod autem pertinet ad reliqua omnia, quae in memoratis decretis generalibus Clementis VIII, super reformatione Regularium statuta sunt, ea tantummodo ad eamdem Congregationem pertinent,

quae respiciunt interiorem disciplinam cuiuscumque Conventus, monasterii seu domus Monachorum et Regularium virorum (Const. cit. Pii VI).

95. Potest insuper praedicta Congregatio in aliquibus casibus particularibus dispensare ab observantia regularum et constitutionum utcumque confirmatarum auctoritate Apostolica. At huiusmodi dispensationes seu habilitationes et sanationes coercendae sunt intra limites facultatum supra expositarum, quatenus pertinere tantummodo debeant, vel ad Novitiorum administrationem, institutionem et professionem, vel ad officia Regularium qui educationi et institutioni Novitiorum immediate praesunt, vel ad simplicem translationem Novitiorum et Regularium professorum de uno ad alium Conventum, sive etiam de una ad aliam Provinciam eiusdem Ordinis, vel demum ad regulas cuiusque Ordinis, respicientes tamen interiorem regularem disciplinam intra Conventus, Monasteria, Collegia ac domos apprime servandam (Pius VI, Bulla cit.).

Has et non alias facultates proprias esse vult Summus Pontifex Pius VI Congregationi *super Disciplina Regulari* intra fines Italiae et Insularum adiacentium.

96. Ceteras omnes facultates quascumque praeter superius expressas, si quas antea dicta Congregatio habuerat aut exercuerat: 1° sive circa electiones Superiorum regularium in Capitulis generalibus et provincialibus faciendas; 2° sive circa personas Regularium quacumque de causa extra claustra degentium; 3° sive circa oeconomicum regimen cuiusque Conventus, monasterii etc.; 4° sive circa numerum Regularium in quovis Conventu etc. pro modo annuorum reddituum constituendum; 5° sive circa fundationes, uniones, dismembrationes ac suppressiones Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum ac domorum Regularium, in quibus neque Novitiatus neque Professoria exercentur; 6° sive demum alia quaecumque negotia quorumcumque Regularium, *eas omnes Pius* PP. VI *transfert ac pertinere* declarat *ad alteram Congregationem Ep. et Reg.*

97. In enunciatis dispositionibus minime comprehenduntur Monasteria Monialium, Collegia, Conservatoria et Societates mulierum, super quibus nulla unquam data fuit Congregationi super Disciplina Regulari potestas (Leg. Bullam Pii VI).

§ V. *De S. Congregatione super Statu Regularium.*

98. Ad removenda mala, quae tristissimis rerum ac temporum vicibus in Religiosas Familias irrepserant vel irrepere poterant, atque ad regularem in illis disciplinam vel tuendam vel instaurandam, Summus Pontifex Pius IX per Epistolam Encyclicam *Ubi primum* 17 Iunii 1847 novam Congregationem, quam *de Statu Regularium Ordinum* nominavit, instituit, quaeque similis quadantenus est Congregationi *super Disciplina Regulari,* de qua supra locuti sumus (Vid. Encyclic. penes Bizz. pag. 867 et 868).

99. Ab huiusmodi S. Congregatione plura prodierunt Decreta et Declarationes, ex quibus sequentia citamus:

1. Decretum *Romani Pontificis* de testimonialibus Ordinariorum litteris quoad Postulantes Religionis ingressum.

2. Decretum *Regulari Disciplinae (pro Italis tantum)* de receptione Novitiorum ad habitum et professionem.

3. *Instructio pro examine personali* eorum, qui ad habitum admitti postulant.

4. *Epistola super vita communi.*

5. Litterae Encyclicae *Neminem latet* de votorum simplicium professione.

6. *Plures Declarationes* supra enunciata materia.

Haec et alia super re reperiuntur collecta a Bizzarri Secretario dictae Congregationis et postea S. R. E. Cardinali, in sua *Collectanea* circa finem voluminis.

100. Tandem duo notentur: *Primo,* aliam iam pridem extitisse Congregationem eiusdem tituli, idest *Super Statu Regularium* ab Innocentio X erectam et a Clemente IX confirmatam. At haec extincta fuit ab Innocentio XII per suam Constitutionem *Debitum Pastoralis,* quam superius memoravimus.

Secundo, eamdem Congregationem a Pio IX erectam, cum iam officia sua sibi a Summo Pontifice commissa expleverit, non videri alia munia per ipsam exercenda in praesenti habere, adeoque nomine potius quam re adhuc existere.

§ VI. *De S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.*

101. Absoluto Concilio Tridentino, Summus Pontifex Pius IV per suam Constitutionem *Benedictus Deus* editam VII Kalendas Februarii ann. 1564 illud confirmavit. Ad vitandam autem perversionem et confusionem, quae oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios et interpretationes facere, ideo Apostolica auctoritate inhibuit omnibus cuiuslibet ordinis, conditionis et gradus et quidem sub gravibus ecclesiasticis poenis, ne quis sine auctoritate Romani Pontificis ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia et in genere interpretationes quocumque modo ederet.

102. Post aliquot menses idem Pontifex aliam edidit Constitutionem incip. *Alias nonnullos,* qua Congregationem Cardinalium instituit, illorum praesertim qui Concilio interfuerant, pro executione et observantia decretorum Concilii.

103. Sixtus V autem in Const. *Immensa* superius citata, eamdem Congregationem confirmavit et ampliavit, simulque officium ei commisit interpretandi decreta Concilii Tridentini quoad ea quae *concernunt disciplinam ac morum reformationem,* non autem fidei dogmata, in quibus sibi suisque successoribus interpretationem reservavit. Exinde factum est, ut huiusmodi Congregatio appellaretur Sacra Congregatio Cardinalium *Concilii Tridentini interpretum.*

104. Haec Congregatio componitur ex pluribus Cardinalibus a Romano Pontifice nominatis, quorum unus est Praefectus, et Secretarium habet inter Praelatos electum.

105. Quamvis facultas interpretandi decreta disciplinaria Concilii Tridentini ad hanc Sacram Congregationem *exclusive* pertineat, tamen *quoad procurandam eorumdem decretorum observantiam,* facultas eius est cumulativa cum aliis Congregationibus, praesertim circa materiam, quae scopum aliarum Congregationum attingit.

106. *Duae aliae speciales Congregationes* hoc in loco commemorandae sunt, quarum *prima* instituta est a Benedicto XIV per Constitutionem *Decet Romanum Pontificem* editam Nono Kalendas

Decembris ann. 1749 *pro inspiciendis et expediendis relationibus Episcoporum* super statu Dioecesium occasione visitationis sacrorum Liminum, necnon *pro responsionibus* ad dubia et consultationes ab Episcopis propositas in eadem occasione. Ista Congregatio constat ex pluribus Romanae Curiae Praelatis, et dependet a S. Congregatione Concilii (Videatur citata Const. *Decet Romanum Pontificem* apud Ferraris, verb. *Congregationes* Art. *Novus Casinensium*, n. 40).

Altera est Congregatio nonnullorum Cardinalium subsidiaria et unita S. Congregationi Concilii, instituta *pro revisione faciendi Conciliorum Provincialium*, quae ex saepe citata Constitutione *Immensa* Sixti V submitti debent examini S. Congregationis Concilii. Utriusque enunciatae Congregationis Cardinalis Praefectus idem est, et idem pariter est Secretarius. Habet autem haec secunda Congregatio suos peculiares Consultores ex Clero saeculari et regulari electos (Santi, n. 92 sq.).

§ VII. *De S. Congregatione de Propaganda Fide* (1).

107. Praeceptum quod Christus Dominus iam iam discessurus Apostolis suis reliquerat his verbis: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae;* Romani Pontifices numquam opere complere destiterunt.

Ideoque vel Episcopi vel alii operarii ab eis semper in universam Domini vineam missi sunt, quorum verba in fines orbis terrae exiverunt.

108. At usque ad totum saeculum XVI peculiare tribunal seu Collegium Cardinalium ad hoc promovendum fidei propagandae opus institutum non erat. Gregorius vero XV per suam Constitutionem, cuius initium *Inscrutabili divinae providentiae arcano*, editam decimo Kal. Iulii 1622 Congregationem Cardinalium erexit christiano nomini propagando addictam, quae proinde Congregatio *de Propaganda Fide* nuncupatur.

---

(1) Cf. *Collectanea S. C. de Propaganda Fide*, pag. 1 sqq.; Ferraris, verb. *Congregationes*, art. Casinensium, n. 47; Santi, lib. I, tit. 31, n. 94; De Luca, tom. XV, Pars 2, *Relatio Romanae Curiae*, Discurs. XXIII.

109. Constat ex pluribus Cardinalibus a Summo Pontifice electis, quorum unus Praefecti munere fungitur, et habet Secretarium unum ex Praelatis nec non Consultores ex utroque Clero electos.

110. Urbanus VIII, ut Missionibus melius consuleretur, Constitutione *Romanus Pontifex* die 1 Aug. 1627 *Pontificium de Propaganda Fide Collegium* erexit, quod ad aeternam Fundatoris memoriam usque ad hunc diem *Urbanum* appellatur. Finis porro Pontificis fuit, ut in Urbe totius catholici orbis principe adolescentibus cuiuscumque regionis et quocumque idiomate loquentibus adminicula omnia praesto essent, qui et scientiis praesertim sacris imbuerentur, et ad sinceram germanamque pietatem informarentur, ut videlicet ad Christi fidem in quavis orbis plaga sive praedicandam primum, sive confirmandam ac propagandam, apti idoneique efficerentur (Vide *Collectan. S. C. de Propag. Fid.* pag. 132, n. 369).

111. Officia et facultates huius Congregationis generali locutione indicantur in citata Constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV his verbis:

« *Volentes ut* (Cardinales) *in unum congregati... in commune consulant, tantaeque rei nobiscum invigilent... omniaque et singula negotia ad Fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent, et maiora... quae tractaverint, ad Nos referant; alia vero per seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia.* Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis tam praemissa quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirunt mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi, *plenam, liberam et amplam facultatem,* auctoritatem et potestatem Apostolica auctoritate tenore praesentium *concedimus et impertimur* ».

112. Ex his conficitur, Congregationem Propagandae Fidei amplissimam exercere in locis sibi subiectis auctoritatem. Ipsa insuper tractat etiam negotium *deputationis Vicariorum Apostolicorum*

16347

in locis Missionum necnon *electionis Episcoporum* in Dioecesibus iam constitutis. Quocirca per organum laudatae S. Congregationis Summus Pontifex pro locis eidem Congregationi subiectis providet de novis pastoribus *Vicariatibus* et *Sedibus Episcopalibus*. Ipsa demum extraiudicialiter componit controversias quae oriri possunt inter Missionarios ipsos, vel inter Missionarios et Parochos aut alios Clericos nationales.

113. Unde Congregatio Propagandae Fidei in locis sibi subiectis negotia omnia pertractat. Quod si agatur de negotio, quod materiam fidei *directe* respiciat, illud ad S. Officium S. Congregatio remittere solet. Si vero negotium forum conscientiae *directe* attingat, a S. Poenitentiaria opportunum remedium vel solutionem quaestionis exposcit (Santi, n. 99).

114. Porro cum negotiorum moles a praefata Congregatione tractanda, nostra potissimum aetate nimium excreverit, Summus Pontifex Pius IX per Constitutionem *Romani Pontifices*, 6 Ianuarii 1862, specialem Congregationem Cardinalium instituit pro expediendis negotiis *Ecclesiarum et Missionum orientalium*. Haec tamen Congregatio, etsi distincta ab alia Congregatione pro negotiis *ritus latini*, et suum Secretarium suosque Consultores et Officiales habeat, tamen unum eumdemque habet cum alia Cardinalem Praefectum.

115. Negotia omnia, quae ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum, sic decrevit Pius PP. IX s. m., *in duas plane distinctas classes divisa*, nempe in negotia *latini ritus*, et negotia *orientalis ritus*. Atque haec Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus Orientalis, cui praecerit *Cardinalis Praefectus Congregationis Propagandae Fidei*, constabit ex sufficienti numero Cardinalium ipsius Congregationis Fidei Propagandae, et *proprios* habebit *Consultores*, ac *distinctum Secretarium, et Secretariam cum suis propriis Officialibus*.

Haec autem Congregatio retinebit titulum *De Propaganda Fide* cum hac tantum accessione:

Pro negotiis ritus Orientalis, et *eodem utetur sigillo*, quo Congregatio Fidei Propagandae utitur. Cetera vide in ipsa Constit., quae prostat apud memoratam *Collect.* pag. 6, n. 13.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.

Vis et valor Decretorum S. Congregationis de Prop. Fide.

116. Relatum fuit a Fr. Antonio a S. Maria Ord. Min. Praefecti Missionis Sinarum, scribente ab insulis Philippinis, esse ibi aliquos Religiosos qui parvipendentes decreta S. Congregationis de Prop. Fide cum maximo animarum praeiudicio, spargunt per illas partes, resolutiones et decreta praefatae S. Congregationis facere tantum opinionem probabilem, uti puram et simplicem Cardinalium declarationem, unde posse etiam contrarium defendi. At vero decreta S. Congregationis Generalis de Prop. Fide, quotiescumque sint a Praefecto eiusdem firmata, a Secretario subscripta, et solito sigillo munita, *vim et valorem habent Constitutionis Apostolicae,* prout declaravit s. m. Urbanus VIII ac deinde confirmavit Innocentius XII decreto diei 30 Iul. 1652. — *Ex litt. S. C. de Prop. Fide* 15 Maii 1779. Vid. *Suppl. ad Ferraris* vol. IX, v. *Congregationes ecclesiast.* n. 6.

Pio Operi summa laude digno, quod a fidei propagatione nobile nomen accepit, Patronus coelestis datus est Franciscus Xaverius eiusque festum ad ritum duplicem maiorem provehitur.

Auctoritate Nostra Apostolica, ita SSmus D. N. Pius PP. X, praesentium vi, quo cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, Sanctum Franciscum Xaverium caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui caelestibus Patronis competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae ampliorisque liturgiae accessio ne desit, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes *ad ritum duplicem maiorem,* servatis rubricis, *apud universam Ecclesiam provehimus.* Est huic Caeliti cum opere « *Fidei Propagandae* » ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret tanto animum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Quapropter spes Nos bona tenet coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium, omniumque qui stipem

conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita Sodalitatem Fidei Propagandae esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen effulgeat... Breve incip. *In Apostolicum* diei 25 Mart. 1904 (*Acta S. Sed.* vol. 36 p. 580) (1).

§ VIII. *De Sacra Congregatione Rituum* (2).

117. Ista S. Congregatio erecta est a Summo Pontifice Sixto V in saepe laudata Const. *Immensa*. Emis Cardinalibus eam componentibus haec praecipue cura ex dicta Constitutione incumbere debet, nimirum: « ut veteres ritus sacri ubivis locorum in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus et caeremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent, Officia divina de Sanctis Patronis examinent. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex Patrum traditione fiant ».

« Controversias de praecedentia in processionibus, aut alibi, ceterasque in huiusmodi sacris ritibus et caeremoniis, incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant » (Vid. Const. quoad praesentem materiam in cit. art. Casinensium penes Lucium Ferraris, n. 18).

---

(1) Ephemerides « *Acta Sanctae Sedis* » authenticae et officiales declaratae sunt Apostolicae Sedis Actis publice evulgandis: Ex Audientia SSmi habita ab Emo Card. Gotti, Praef. S. C. de Prop. Fide, die 23 Mai 1904. Rescriptum prostat in principio vol. 37 ipsarum ephemeridum. — De hoc supremo honore, quo Summus Pontifex Pius X condecorare dignatus est egregium et cuilibet ecclesiastico ordini perutile Periodicum, nos mature cum novo clarissimo Directore eiusque collaboratoribus gratulati sumus.

(2) Cf. Card. De Luca, loc. cit. Discur. XVIII; Schmalzg. Dissert. prooem. § IX, n. 380; Santi, lib. I, tit. 31, pag. 303, n. 102; Art. Casinensium penes Ferraris, verbo Congregationes, n. 18 sqq.; D' Avino, *Enciclopedia*, tom. I, verb. *Congregazioni ecclesiastiche di Roma*.

118. Duplex videtur esse ista Congregatio; *una,* eaque *ordinaria,* pro decidendis controversiis circa ritus, caeremonias praecedentias aliasque praeeminentias; *altera extraordinaria* pro canonizatione Sanctorum et beatificatione servorum Dei. *Ad primam* admittuntur tot Cardinales, quot Pontifex constituerit, et plures Praelati, quorum unus Secretarii munere fungitur. Proceditur in hac extraiudicialiter, et omnia fiunt gratis. *Ad alteram* extraordinariam spectant iidem Cardinales et Secretarius qui ad priorem, sed non iidem Praelati, Officiales et Theologi, nam alii pro hac Congregatione constituuntur. Est etiam in ea *Promotor fidei,* qui ex consuetudine idem esse solet, qui *Advocatus fisci.* Accedunt quoque ad hanc tres antiquiores *Rotae Auditores,* veluti canonum periti; item unus ex Protonotariis Apostolicis participantibus, ac demum etiam medici et philosophi qui iudicent, an operationes, quae miraculis adscribuntur, vere sint supernaturales.

119. Notandum est, in *prima* Congregatione adunari tantum Consultores, inter quos ex officio adnumerantur (unde et *Officiales* dicuntur) Sacrista Papae ex Ordine Eremitarum S. Augustini, et Apostolici Palatii Magister ex Ordine Praedicatorum (Santi et Casinenses loc. cit.).

120. Quamvis a nobis etiam, iuxta sententiam Cardinalis De Luca et aliorum Auctorum post ipsum, Congregatio de qua sermo est, fere in duas distincta sit, revera tamen *una* est Congregatio *Cardinalium* vi Constitutionis *Immensa.* Fortasse exactius esset dicere, *unam eamdemque Congregationem Cardinalium* DUPLICI *fungi* MUNERE, quoad ritus nempe et quoad canonizationem Sanctorum et Beatificationem Servorum Dei.

121. Ultima Collectio *Decretorum authenticorum* Congregationis Sacrorum Rituum approbata est a Summo Pontifice Leone XIII per Decretum Urbis et Orbis diei 16 Februarii 1898.

122. Relate ad modum procedendi et ad regulas servandas in tractandis et definiendis causis Servorum Dei, in promptu est celebre opus *De Beatificatione Servorum Dei et de Beatorum Canonizatione* Summi Pontificis Benedicti XIV.

123. FACULTATES ORDINARIAE ATQUE EXTRAORDINARIAE S. R. CONGREGATIONIS.

I. *Facultates extraordinariae in causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei.*

1. Deputandi Episcopos, in numero a Generalibus Decretis designato, ad construendos Processus Apostolicos.

2. Prorogandi terminum ad explendos Processus Apostolicos.

3. Indulgendi aperitionem Processuum Ordinaria non minus, quam Apostolica Auctoritate constructorum, attamen adiecta clausula: *servatis servandis.*

4. Proponendi in Congregatione Ordinaria absque interventu et voto Consultorum Dubia: I. Validitatis Processuum: II. Signaturae Commissionis Introductionis Causae: III. Reassumptionis Causae ad Canonizationem: IV. Singula, quae communiter nuncupantur *minora*: V. Causas approbationis seu confirmationis Cultus immemorabilis.

5. Proponendi Dubium in Congregatione Ordinaria Signaturae Commissionis Introductionis Causae, quamvis non defluxerit terminus requisitus decem annorum a praesentatione Processuum Ordinaria Auctoritate constructorum.

6. Proponendi dubium super Virtutibus, quamvis requisitus terminus quinquaginta annorum non defluxerit a morte Servorum Dei, de quibus agitur.

7. Concedendi Litteras particulares Sacrorum Rituum Congregationis cum instructionibus R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris: I. Ad perquirenda scripta Servorum Dei: II. Ad recognoscenda, vel transferenda eorum corpora, seu reliquias: III. Ad extrahendas reliquias pro Beatificatione. — Quocumque alio in casu a R. P. D. Sanctae Fidei Promotore instructiones conficiuntur in Causis Servorum Dei particularibus hisce Litteris semper accludendae.

8. Concedendi easdem Litteras particulares quoties eae spectent ad exsecutionem alicuius Decreti Sacrorum Rituum Congregationis, vel pertinent ad aliquam notitiam, quae a R. P. D. Sanctae Fidei Promotore desideretur in Animadversionibus etiam in Monasteriis clausurae inquirendam.

9. Indulgendi compulsationem Processuum Informativorum in Apostolicos.

10. Concedendi Litteras Remissoriales pro constructione Processuum, *ne pereant probationes*, ante examen Dubiorum de Cultu non exhibito, et de Fama sanctitatis.

11. Concedendi Litteras Remissoriales pro constructione Processuum Auctoritate Apostolica, dirigendas non modo Episcopis iuxta Generalia Decreta, verum aliis iuxta exempla allata a sa. me. Benedicto Papa XIV. in opere de *Canonizatione Sanctorum lib.* 2, *cap.* 5, et aliis etiam de quibus aliquod exemplum inveniatur, iuxta circumstantiarum varietatem.

12. Deputandi Emos Cardinales Sacrorum Rituum Congregationis a Postulatoribus requisitos in Ponentes seu Relatores Causarum Beatificationis et Canonizationis.

N. B. *Supradictae facultates*, quamvis ex Audientia SSmi obtineri debeant, a Sacra tamen Congregatione, *vigore facultatum sibi specialiter tributarum*, immediate concedi possunt, *quoties necessitas urgeat, et ad Summum Pontificem non habeatur accessus.*

II. *Aliae Facultates extraordinariae.*

1. Altaria fixa consecrandi per Sacerdotem.
2. Altaria portatilia consecrandi per Sacerdotem.
3. Altarium (Ad) consecrationem subdelegandi *Pro Episcopo.*
4. Altare portatile erigendi sub dio.
5. Altarium consecratorum titulum mutandi.
6. Altarium consecratorum imagines mutandi.
7. Ablutiones in Missa cum sola aqua peragendi.
8. Absolutiones impertiendae in exequiis post Missam lectam.
9. Benedictionum formulas proprias approbandi.
10. Benedicendi novum Abbatem die feriali.
11. Benedictionem solemnem impertiendi nomine Summi Pontificis.
12. Benedictionem solemnem impertiendi post Missam Pontificalem.
13. Benedictionem solemnem impertiendi extra Missam.
14. Benedictionem eamdem cum dispensatione a lectura Brevis.
15. Barbam deferendi.

16. Basilicae minoris titulum concedendi.

17. Beatorum imagines exponendi.

18. Beatorum reliquias deferendi in solemni processione; servata Instructione R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris.

19. Beatis dedicandi altaria.

20. Consecrationem (Ad) altarium fixorum et portatilium subdelegandi *pro Episcopo*.

21. Consecrandi Episcopum die feriali.

22. Consecrandi Ecclesiam cum nonnullis dispensationibus.

23. Chori parvi aperiendi in Ecclesiis et Oratoriis.

24. Candelarum numerum reducendi in expositione SSmi Sacramenti.

25. Dedicationis Anniversarium una eademque die ab omnibus Ecclesiis alicuius Dioeceseos, Ordinis, Congregationis etc. celebrandi.

26. Dispensandi a Missa feriae, vigiliae etc. *pro Capitulo*.

27. Dispensandi a ieiunio ante consecrationem altarium.

28. Festa Beatorum extendendi ad Dioeceses et Ecclesias.

29. Festorum ritus elevandi ad Duplex maius, 2^{ae} et 1^{ae} classis.

30. Festorum ritus reducendi a dupl. mai., 2^{ae} et 1^{ae} classis ad inferiorem ritum.

31. Habitandi super Ecclesiam.

32. Insignia specialia Episcopis, Canonicis, Parochis, Dignitatibus etc. indulgendi, et throni usum Episcopo coadiutori.

33. Kalendaria particularia concedendi, reformandi etc.

34. Missae Conventualis legendae vel non.

35. Missas proprias concedendi et approbandi, iuxta praxim.

36. Missam celebrandi cum nonnullis dispensationibus.

37. Missam celebrandi propriam in quatriduo.

38. Missam celebrandi propriam in octavario.

39. Missam celebrandi in interiori clausurae sacello.

40. Missam celebrandi votivam B. M. V. in Sanctuariis.

41. Missam votivam alicuius Sancti in Sanctuariis.

42. Missam *Rorate* celebrandi durante Sacro Adventu.

43. Missam celebrandi duabus horis ante auroram et post meridiem.

44. Missam celebrandi Feria V. in Coena Dni pro communitate cum Communione Paschali.

45. Officii feriae in aliud commutandi.

46. Officii recitationem anticipandi in choro.

47. Officii recitationem anticipandi ante secundam horam pomeridianam pro aliquo ecclesiastico.

48. Officia concedendi, extendendi, vel supprimendi.

49. Patroni eligendi et approbandi.

50. Patroni eligendi et approbandi pro universa classe vel universitate.

51. Purificationis B. M. V. festum transferendi cum benedictione candelarum.

52. Pileolum gestandi et vittas ad vulnus in capite tegendum.

53. Portam Ecclesiae contiguam aperiendi.

54. Processionem in festo Corporis Christi transferendi ad horas pomeridianas.

55. Pontificalium usum concedendi Canonicis etc.

56. Rocheto utendi *pro Episcopo Regulari.*

57. Ritus et Caeremonias itemque Libros Liturgicos iuxta praxim approbandi.

58. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi ad tempus in Oratorio privato Communitatum et Sanctimonialium.

59. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi in Oratorio Episcopi.

60. SSmum Eucharistiae Sacramentum deferendi in Civitate capite tecto, *galero* vel *pileo* vel *pileolo.*

61. Vesperas, sine vel cum Completorio, anticipandi ante meridiem in Choro.

62. Erigendi alia Oratoria praeter principale in domibus religiosis, iuxta decretum 4007. Nivernen.

III. *Facultates ordinariae quae per S. R. C. obtineri possunt.*

1. Altaris portatilis erigendi ante Imagines Beatorum.

2. Abluendi linteamina sacra *pro Sanctimonialibus.*

3. Benedictionem solemnem Aquae peragendi in Vigilia Epiphaniae.

4. Benedictionum formulas approbatas adhibendi, quae indigent facultate Apostolica.

5. Benedicendi, speciatim, candelas in honorem S. Ioseph.

6. Benedicendi cingula, candelas in honorem S. Ioseph.

7. Benedicendi annulos, candelas in honorem S. Ioseph.

8. Benedicendi coronas angelicas S. Michaelis.

9. Benedicendi aquam in honorem S. Ignatii Conf.

10. Benedicendi numismata S. Benedicti Abb.

11. Benedicendi omnia scapularia.

12. Benedicendi quatuor scapularia sub unica formula.

13. Benedicendi parvam imaginem, ad instar scapularis, S. Cordis Iesu.

14. Benedicendi nolas.

15. Benedicendi nolas non exclusa aqua.

16. Benedicendi sacras supellectiles, in quibus sacra unctio non adhibetur.

17. Benedicendi, seu reconciliandi Ecclesias et Coemeteria per Sacerdotem.

18. Benedicendi, seu reconciliandi Ecclesias et Coemeteria per Sacerdotem cum aqua a Sacerdote benedicta.

19. Benedictiones (Ad) Episcopo reservatas, in quibus sacra unctio non adhibetur, subdelegandi *pro Episcopo*.

20. Benedictionem impertiendi infirmis in honorem S. Annae.

21. Consecrationem (Ad) calicum, patenarum subdelegandi *pro Episcopo*.

22. Consecrationem Altarium per formulam brevem privatim perficiendi.

23. Consecrandi Olea sancta minori Ministrorum numero.

24. Comam adscititiam gerendi.

25. Confessionem sacramentalem in privato oratorio peragendi.

26. Dispensandi a recitanda IX. Lectione Officii simplificati *pro Monialibus*.

27. Dispensandi quamcumque ecclesiasticam Communitatem instantem ab adiunctis Officio feriali, nempe a Psalmis Poenitentia-

libus et Gradualibus, nec non ab Officio parvo Beatae Mariae Virginis et Defunctorum.

28. Festa extendendi ad Dioeceses et Ecclesias.

29. Festorum ritus elevandi ad Dupl. min.

30. Festorum ritus reducendi a duplici minor. ad inferiorem ritum.

31. Functiones hebdomadae maioris peragendi in Oratoriis Sanctimonialium, Religiosorum etc.

32. Functiones supradictas et similes celebrandi, adhibito Memoriali Benedicti XIII., in Ecclesiis et Oratoriis praesertim Sanctimonialium, Religiosorum etc.

33. Imaginem detegendi tempore Passionis.

34. Indumentorum usum ex lana vel gossypio confectorum permittendi, donec consumentur.

35. Matutini privatam recitationem anticipandi.

36. Missam celebrandi nocte Nativitatis Domini *pro Oratoriis privatis* et *pro Oratoriis Sanctimonialium, vel Communitatum.*

37. Missas votivas omnes celebrandi *pro caecutiente.*

38. Missas votivas omnes celebrandi *pro caeco.*

39. Missas proprias celebrandi in Triduo.

40. Missas proprias celebrandi aliqua die, praesertim pro Sacerdote novensili.

41. Missam propriam celebrandi in Oratorio etiam privato.

42. Missas plures celebrandi in Oratorio privato (ter in anno).

43. Missas plures celebrandi in Oratorio privato, die Titularis.

44. Missas plures in Oratorio privato occasione infirmitatis Indultariorum.

45. Missam celebrandi in mari.

46. Missam celebrandi in carcere.

47. Missam Votivam B. M. V. vel alicuius Sancti etc., in Sanctuariis *pro Sacerdotibus peregrinis, aut ducibus peregrinorum.*

48. Missam Votivam Passionis in Hebdomada Maiori.

49. Missam de Requie pluries in hebdomada pro Ecclesiis cum cantu.

50. Missam de Requie lectam ad nuncium mortis.

51. Missam una hora ante auroram et post meridiem.

52. Missam Feria V. in Coena Domini *pro Sacerdote.*

53. Missam cantatam absque Ministris cum thurificatione.

54. Missam solemnem nec non Missas lectas proprias occasione festivitatis extrinsecae alicuius Sancti, vel Beati vel Mysterii iuxta praxim.

55. Missam solemnem de Communi, ubi asservatur Corpus alicuius Sancti Martyris nominis proprii.

56. Missas lectas celebrandi de Communi, ut supra.

57. Officii divini recitandi et Missae peragendae iuxta Kalendarium propriae Religionis *pro Regularibus, qui eiusdem Religionis habitu, iusta de causa dimisso, in statu saeculari versantur* usque dum residentiali aliquo Beneficio non provideantur.

58. Officii divini recitationem commutandi et dispensandi.

59. Officii recitationem anticipandi.

60. Officia transferendi.

61. Oleum sanctum adhibendi ab anno benedictum.

62. Oratorium privatum erigendi tum domi tum ruri, *pro Sacerdotibus infirmis.*

63. Oratorium, ut supra, cum adimplemento praecepti, exceptis diebus solemnioribus pro cohabitantibus.

64. Oratorium, ut supra, *pro altero Sacerdote,* impedito Sacerdote indultario.

65. Oratoria privata erigendi in Coemeteriis tum ad familias tum ad Communitates spectantia.

66. Paramenta caerulei coloris permittendi in Missa de Festo aut votiva Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis *pro regno Hispanico* et regionibus nunc vel olim eidem subiectis.

67. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi sub consuetis clausulis in Ecclesiis non Parochialibus, Oratoriis publicis et semipublicis.

68. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi cum dispensatione a quotidiana Missae celebratione, iuxta praxim.

69. SSmum Sacramentum distribuendi in Oratorio privato, excepto Paschate.

70. SSmum Sacramentum deferendi, capite tecto galero, pileo, *extra civitatem.*

71. SSmum Sacramentum exponendi in forma XL Horarum, cum dispensatione ab horis nocturnis.

72. Extensiones Officiorum et Missarum propriarum et adprobatarum.

73. Evehendi festa ad ritum duplicem maiorem.

74. Satisfaciendi praecepto audiendi Sacrum in Oratoriis privatis:

a) Pro personis cohabitantibus.

b) Pro hospitibus.

c) Pro consanguineis et affinibus.

75. Altera Missa in Oratoriis privatis:

a) Pro unico Sacerdote hospite.

b) Sexies per annum.

76. Privatam Matutini cum Laudibus recitationem anticipandi pridie ab hora prima post mer. cum aliqua rationabili causa.

77. Altera Missa in Oratorio privato, quoties Indultarii ad S. Synaxim accedunt.

78. Missa in Oratorio privato solemnioribus diebus.

79. Missa in Oratorio privato diebus festis Assumptionis et S. Patroni.

80. Et commensales et coloni satisfacere valeant praecepto Sacri audiendi, Missae adstando in Oratorio privato.

Ex Audientia SSmi, die 7 Septembris 1903.

Praedictae facultates a SSmo Dno Nostro Pio Papa X ea lege munitae sunt, qua nec augeri, absque Summi Pontificis venia, unquam possint; deque legis ipsius custodia, S. R. C. Secretarii et Substituti conscientia omnino onoretur.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

124. *Nota.* Meminerint lectores, cum hac Sacra Rituum Congregatione a Summo Pontifice Pio X *Motu proprio* diei 27 Ianuarii 1904, quem infra dabimus, perpetuo coniunctam esse Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam, de qua

modo dicetur, nihil immutando de iis quae ante novissimam Pontificiam dispositionem parata iam erant.

§ IX. *De S. Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, perpetuo coniuncta cum S. Congregatione Rituum.*

125. Clemens IX Pontifex Maximus institutor fuit huius Congregationis, edita die 6 Iulii 1669 Constitutione seu *Motu proprio* incip. *In ipsis Pontificatus nostri.* Ea componitur ex pluribus Cardinalibus, quorum unus Praefecti munus gerit, et habet Secretarium inter Praelatos electum et plures Consultores. Quaenam sint officia, iura seu facultates huius Congregationis, declarat Summus Pontifex Leo XIII in sua Constitutione seu *Motu proprio* incip. *Christianae Reipublicae* de die 31 Octobris 1897 necnon in adnexo Syllabo facultatum, quae omnia hic ad verbum subnectuntur.

LEO PP. XIII.

MOTU PROPRIO.

126. Christianae reipublicae tam late fusa tamque operosa administratio omnino postulabat, ut Pontifici romano viri sapientes et graves perpetuo assiderent, quibuscum et consilia communicare et quotidianam negotiorum molem partiri opportune posset. Hinc ea sunt S. R. E. Cardinalium Consilia sapientissime constituta, quae *Romanae Congregationes* nuncupantur; quorum est quibusdam in caussis ius dicere, de iure respondere, aliaque complura decernere, transigere, quae transigi decernique eorum auctoritate lex et consuetudo iubet. Iis tamen, quod ratio, quod naturalis rerum ordo requirebat, non promiscua universis, sed sua singulis potestas data, suumque negotiorum ad expediendum unicuique assignatum genus. Quod sane nisi decessorum Nostrorum providentia cavisset, magna erat permixtio iuris et confusio futura, simulque spes utilitatum maximarum, quas nomini christiano Congregationes Romanae pepererunt quotidieque pariunt, vel ab initio intercidisset. Iamvero officii Nostri est tueri in eis constitutionem temperationemque nativam, efficiendo ut singularum potestas suis contineatur finibus, ac si quid forte minus consentaneum invexerit diuturnitas, emendare. His de

rebus et caussis cum animum adiecissemus ad sacrum Consilium, cuius muneris est de Indulgentiis Sanctorumque Reliquiis cognoscere ac statuere, aliquod ei officium providentiae Nostrae impertiri vidimus oportere.

Illud videlicet Clemens IX decessor Noster instituit *Motu proprio* die VI Iulii an. MDCLXIX edito, diligenterque eius quae forent partes praescriptis his verbis:... « cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat, Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis, expediendi. Ac si quis abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi. Falsas quoque, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, Nostra seu illius auctoritate reiiciendi... Reliquias de novo inventas recognoscendi quoque et examinandi.... omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curandi ». Verum ad haec posteriorum concessu Pontificum alia accessit facultas, nimirum ipsa sacrae indulgentiae munera dilargiendi, adiecta rescriptis clausula, *praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.*

Sed cum huius generis rescriptorum frequentia crevisset praeter modum, iisdemque de rebus rescribere eodem tempore consuesset Curia a diplomatibus pontificiis, abnormis quaedam ac praepostera agendarum rerum consecuta ratio est. Huic incommodo occurrendum tempestive censuit Pius IX f. r. decessor Noster, datoque in id decreto Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis praepositam extra fines Constitutionis Clementinae excurrere prohibuit, indulgentiarum tribuendarum adempta facultate. « Nos praesenti *Motu proprio,* et ex certa scientia ac matura deliberatione decernimus, ut Congregatio eadem pergat quidem retinere quaestiones et disceptationes quae super Indulgentiis aut Reliquiis forte oboriantur, et peragere etiam atque expedire alia omnia quae suae dumtaxat institutionis munia respiciunt ad tramites *Motus proprii,* quem hac de re praelaudatus Antecessor Noster Clemens IX dedit sub die VI Iulii MDCLXIX; abstineat tamen omnino de emittendis

actis illis quae ad Indulgentiarum pertinent concessionem (1)». Verumtamen huius vis decreti sensim excidit, restituta scilicet ea ipsa, quae fuerat adempta, facultate: ita plane ut non minore quam antea numero rescripta edi soleant cum ea clausula, quam supra diximus. Qua re quoniam perturbationem ordinis debiti ac vetera incommoda plane renovari, multorum testimonio Nobis constiterat, delectis quibusdam S. R. E. Cardinalibus mandavimus, ut causam mature perpenderent, et quo remedio opus esse videretur, aperte significarent. Igitur cognita eorum sententia, ut sua cuique munia serventur integra, *Motu proprio* et certa scientia decernimus:

I. Ut Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ea salva iura permaneant, quae Clemens auctor instituit: praetereaque eidem confirmamus, et, quatenus opus sit, de integro concedimus facultates omnes, quae in syllabo, his litteris adnexo, numerantur.

II. Volumus et statuimus, ceteras concessiones iterationesque indulgentiarum, privilegia altarium, facultates benedicendi et alia eiusmodi ad Nostram Secretariam Brevium exclusive pertinere.

III. Simili ratione decernimus, ut quae facultates Congregationi, de qua agimus, collatae sunt, eae ita sint eius propriae, ut nulli praeterea vel Congregationi vel Secretariae possint esse communes.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Octobris an. MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri Vigesimo.

LEO PP. XIII.

Syllabus

Facultatum quae SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII S. Congregationi Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae confirmat et, quatenus opus sit, de integro concedit iuxta N. I. Sui Motus proprii *sub die XXXI Octobris anni MDCCCLXXXXVII incip.* Christianae reipublicae.

127. 1. Facultatem interpretandi Rescripta de Indulgentiis sacrisque Reliquiis edita, etiam propria manu a Summo Pontifice signata.

(1) *Motu proprio* diei 11 Ianuarii MDCCCLV.

2. Dirimendi quaestiones et dubia minoris momenti, quae ita facile dilui possunt, ut necesse non sit de eis in Eminentissimorum Patrum Congregatione disceptare.

3. Approbandi Summaria Indulgentiarum.

4. Sanandi defectus cuiuslibet generis qui irrepserint in erectione Confraternitatum, piarum Unionum etc., vel etiam in earum aggregatione ad Archiconfraternitates, Primarias, Primo-primarias etc.

5. Sanandi defectus quoscumque quibus affici contingat adscriptiones Christifidelium ad Tertios Ordines, ad Confraternitates, Congregationes, Pias Uniones, etc. Itemque defectus in benedicendis et imponendis scapularibus, in benedictionibus Rosariorum, coronarum etc., in erectione Stationum Viae Crucis et Matris Dolorosae.

6. Dispensandi super defectu distantiae requisitae ad erectionem Confraternitatum, ita tamen ut rescripti exsecutio remittatur prudenti iudicio Ordinarii. Dispensandi etiam super conditione distantiae inter ecclesias, quae praefiniri solet in rescriptis concessionis quarumdam Indulgentiarum.

7. Transferendi Indulgentias favore Sanctimonialium, cum de uno ad aliud Monasterium, sive de una ad aliam domum migrant ob temporum adiuncta.

8. Concedendi, quatenus opus sit, ut Indulgentiae quibus gaudebant ecclesiae Regularium, vigere pergant post ipsorum expulsionem seu violentam conventuum suppressionem. Quae facultas extendatur ad casus tum praeteritarum tum futurarum conventuum suppressionum: extensive etiam ad ecclesias sive Sanctimonialium, sive cuiuslibet Congregationis et Instituti.

9. Concedendi ut regularium Ordinum, et etiam Congregationum sive Institutorum alumni utriusque sexus Indulgentiis et gratiis, quibus gaudebant in propriis respective ecclesiis, frui possint et valeant dum vitam communem agunt in alia domo in qua legitime habent oratorium vel publicum vel privatum.

10. Transferendi a die vel diebus ad diem vel dies alios Indulgentias iam concessas; exceptis *Indulgentia Portiunculae* aliisque Indulgentiis plenariis concessis *toties quoties*.

11. Transferendi ad aliam ecclesiam vel ad aliud oratorium publicum Indulgentias concessas ecclesiae vel publico oratorio.

12. Concedendi Dioecesibus intra et extra Italiam privilegium ut Indulgentias, pro quibus requiritur sacramentalis confessio, iucrari valeant Christifideles qui sacramentalem confessionem peragere solent infra duas hebdomadas. Quod tamen privilegium non concedatur, nisi Ordinario Dioecesis expresse petente, et ob penuriam confessariorum tantum.

13. Commutandi conditiones, seu pias exercitationes ad Indulgentiarum acquisitiones praescriptas, in alia pia opera omnino vel fere aequivalentia: exceptis semper Indulgentiis plenariis *toties quoties,* et exceptis etiam conditionibus sacramentalis confessionis et sacrae Communionis quotiescumque requiruntur.

14. Renovandi seu prorogandi pro Sanctimonialibus, vere pauperibus tantum, Indulgentias iam ipsis concessas etiamsi forte distulerint renovationem vel prorogationem implorare.

Sacra Congregatio Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita cum S. Rituum Congregatione perpetuo coniungitur.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO.

128. Quae in Ecclesiae bonum integre provehendum spectant et ad animarum salutem valde conferre noscuntur, ea cuncta, pro Apostolici muneris sollicitudine, Pontificum decessorum vestigiis, ut par est, religiose inhaerentes, Nos etiam omni opera providere et ad exitum perducere contendimus. — Hinc fit, ut ad sacrum quoque Consilium, cuius est de Indulgentiis Sanctorumque Reliquiis cognoscere speciatim cogitationem convertamus, eique, ad diuturnam stabilemque formam fructuosius perficiendam, sedulum curarum Nostrarum officium optemus impertiri. Hoc sane permulta suadent, sed ipsa, imprimis, sacri eiusdem Consilii dignitas, iure veluti suo, maxime requirit. Vix enim attinet dicere, quanti semper momenti res sit habita, indulgentiarum thesaurum naviter inviolateque custodire, de Sanctorum Reliquiis earumque veneratione recte peragere, gravissima alia in id genus munia pie adimplere, deque normis iam statutis, ad temporum rerumque usum et necessitatem, iura declarare. Has profecto ob causas Romani Pontifices facere

non potuerunt, quin, reputando experiendoque, quanto maiore valerent accuratione, huius rei prosperitati indesinenter consulerent. Nam, ut praetereamus quae Innocentius III (1) et Pius IV (2) caeterique plures, praesertim post Synodi Tridentinae decreta (3), sapienter caverunt, neminem plane latet quas tulerint leges Clemens VIII et Clemens IX, qui de peculiari delectorum quorumdam S. R. E. Cardinalium Congregatione instituenda per opportunum oppido consilium inierunt; quasque deinceps regulas Clemens XIII, Benedictus XIV, Leo XII, Pius IX e Leo XIII, datis in id haud semel Litteris, conficiendas curaverint. Scilicet, rei gravitate permoti, ut maior in hoc Apostolica evigilaret diligentia, conspiciebant apprime Antecessores Nostri de facto quidem agi, quod, in christiani nominis decus, permagni interesset, et ad uberem Christifidelium utilitatem pertineret potissimum. Quapropter eadem Nos impellit causa, ut partem providentiae Nostrae non postrema idem sibi opus vindicet. — Quo autem plurimum auxilii, pro sanctis Ecclesiae institutis, possit accedere, illud Nobis praecipue desiderandum animo obversatur, ut, nempe, quae arctissima quadam obiecti, spiritus, officiorum, methodique gerendae, vel identitate, vel saltem affinitate et similitudine inter se adiunguntur, ea simul in unum etiam corpus coalescere et coagmentari spectentur; prouti ratio et naturalis ordo expostulat, eventa quotidie comprobant, atque experientia perspicuae esse opportunitatis omnino confirmat. *Virtus*, enim, ut S. Thomas (4) docet, *quanto est magis unita, tanto est fortior, et per separationem minuitur*. Ac propterea, nihil finis obtinendi efficacitatem alacrius promovere dignoscitur, quam conspirantium virium cumulata possessio; nihil optima incolumitatis adiumenta in bonum melius devincit, quam reflorens voluntatum communio; nihil copiam ad fructus efferendos salutares potiorem haurit, quam facultatum in societatem adiunctio. — Porro non est cur pluribus ostendamus, huiusmodi similitudinem et affinitatem vel maxime vigere inter S. Congregationem Indulgentiis ac SS. Reliquiis praepositam et S. Ri-

(1) Cap. *Cum ex eo;* De Reliq. et vener. Sanctorum.
(2) Bull. *Decet Roman. Pontif.* die 7 nov. 1562.
(3) Conc. Trid. Sess. 21; Decr. *De Induly.*
(4) 2e 2ae Quaest. XXXVII, a. 2, ad 3um.

tuum Congregationem, cuius id proprium est, ut de Dei et Sanctorum cultu, praecipuo sibi munere expediendo, pertractet, atque iis, quae in hanc rem obveniunt, assiduo sollerterque prospiciat. Quae cum sic se habeant, ut quod e re penitus esse censemus, id tandem a Nobis absolvatur, et spes utilitatum exploratarum, quas Romana instituta gignere nemo non videt, plenius in dies augeatur, omniaque ex votis salubrius cedant, Nos, motu proprio, certa scientia, causaque mature perpensa, decernimus et statuimus, ut Congregatio Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita cum S. Rituum Congregatione in posterum tempus perpetuo coniungatur; salvis ex integro manentibus sui muneris, officialium et facultatum ratione et forma hucusque servatis. Hunc praeterea in finem, dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Aloisio Tripepi, ipsius Congregationis Indulgent. et SS. Reliq. Praefecto, munus etiam Pro-Praefecti S. Rituum Congregationis conferimus et demandamus. — Consiliis hisce curisque Nostris exitum, hoc praesertim temporum cursu, perutilem non defore summopere confidimus, benignitate annuente Dei providentissimi. — Praesens autem decretum, ratum et firmum deinceps consistere, et auctoritatis Nostrae Apostolicae robore muneri volumus, edicimus et declaramus, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Ianuarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

§ X. *De S. Congregatione Caeremoniali.*

129. A Summo Pontifice Sixto V, Constitutione *Immensa*, instituta fuit haec Congregatio, et habita est ceu participatio et derivatio S. Congregationis Rituum. Constat ex aliquibus Cardinalibus, et eius Praefecturam gerit Cardinalis Decanus Sacri Collegii, Secretarii munere fungitur unus ex Magistris Caeremoniarum Palatii Apostolici; ceteri vero Caeremoniarum Magistri Consultorum officium obeunt.

130. Munus huius Congregationis in eo est, ut vigilantiam et curam exerceat circa ritus et caeremonias tam sacras quam civiles,

quae *in Curia Romani Pontificis observantur, et circa iura personarum ad easdem caeremonias relativa.* Resolvit quaestiones relate ad praeeminentiam inter Cardinales, inter Praelatos, atque inter ceteras personas, quae iure fruuntur sacris functionibus papalibus adsistendi. Regulas insuper in solemni praesentatione seu accessu summorum Principum eorumque Legatorum ad Romanum Pontificem servandas constituit. Quare occasione harum praesentationum, Secretarius Congregationis Caeremonialis praesens adest in Palatio Apostolico et invigilat ut omnia rite procedant (Vid. Santi, loc. superius cit. n. 136 sqq.).

§ XI. *De S. Congregatione Consistoriali.*

131. Sixtus V per suam pluries laudatam Constitutionem *Immensa* istam S. Congregationem constituit. Componitur ex competenti numero Cardinalium et ipsum Summum Pontificem Praefectum habere gloriatur. Secretarii munus exercetur ab uno inter urbanos Praelatos electo, qui etiam Secretarius esse solet Sacri Collegii Cardinalium.

132. Munia huius S. Congregationis designantur in Constitutione *Immensa:* videlicet Cardinales eamdem componentes: — 1° Cognoscant de legitimis causis erectionum novarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitarum et Cathedralium; ac de cuiusque earum Dote, Capitulo, Clero, Populo et aliis, quae ad eiusmodi erectiones necessaria erunt. — 2° Examinent praeterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quae iam erectae sunt. — 3° Item examinent « dictarum Ecclesiarum, Dioecesum vel Monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus assignationes. — 4° Examinent causas circa « Monasteriorum (idest *Abbatiarum*) pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, praesentationes et nominationes, electionum sive postulationum confirmationes, seu admissiones. — 5° Examinent « Suffraganeorum Coadiutorumque deputationes, cum futura successione, sive absque eadem successione. — 6° Curam adhibebunt solertem circa aetatem et qualitatem promovendorum. — 7° Eaque discussa

et examinata, ait Pontifex, ad Nos... referant, ut pro Nostro eorumque arbitrio in Concistorio secreto iuxta formam in hunc usque diem servatam proponantur ».

133. Cardinalis De Luca in *Relat. Cur.* Disc. V, n. 25, haec addit circa praefatam Congregationem Consistorialem:

Quia in plerisque actibus consistorialibus interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter ob maiorem Consistorii maiestatem, ab eo exulavit; hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio, dictorum consistorialium negotiorum praeparatoria, seu Consistorii Consultrix, quae proinde *Consistorialis* nuncupatur... Atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiae, partibus opponentibus auditis in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum circa formalitatem telae iudiciariae; praesertim vero ubi agatur de Ecclesiarum unionibus vel divisionibus seu dismembrationibus, novisque erectionibus ».

134. Verum, observat Franciscus Santi, loc. supra cit. a. 110, non solum in negotiis contentiosis, quae hodie rara admodum sunt, sed etiam in aliis negotiis, quae extraiudicialiter, et in via summaria tractantur, Sacra haec Congregatio praeparat materiam pro actibus in Consistorio Papae tractandis et expediendis. Hinc hodie in Congregatione Consistoriali praesertim expenduntur *processus, qui pro Episcopis et Abbatibus in Consistorio promovendis* conficiuntur, et summa actorum processus refertur in scheda, quae consistorialis appellatur et Cardinalibus ante ipsum Consistorium distribuitur.

Notissima est illa distinctio Consistorii in *secretum* et *ordinarium,* ad quod *soli Cardinales* admittuntur; et in *publicum* et *extraordinarium,* ad quod, praeter Cardinales, admittuntur alii Praelati, Principum oratores, Magistratus seu nobilissimi ex Romanis etc. (Cf. Aichner, pag. 367 sq.).

§ XII. *De S. Congregatione Immunitatis ecclesiasticae.*

135. Ista Sacra Congregatio erecta fuit ab Urbano VIII circa initia sui Pontificatus. Incertum tamen est, an vivae vocis oraculo vel per litteras in forma Brevis, aut per decretum consistoriale,

sive etiam per Apostolicam Constitutionem, quae in Bullario non sit inserta. Munus huic Congregationi commissum est tractare negotia, dubia seu quaestiones resolvere circa immunitatem ecclesiasticam realem, personalem et localem, et praesertim quaestiones circa ius asyli ecclesiastici (Vid. De Luca, loc. saepe cit. Disc. XVII).

136. Ex eodem Card. De Luca apprehendimus, quod per hanc S. Congregationem anteactis temporibus plura et gravia negotia expediebantur et bis in mense in Palatio Apostolico adunabatur. Hodie vero, ob hostiles leges a Guberniis latas contra Immunitatem ecclesiasticam et ob in peius mutatos mores, actio huius S. Congregationis diminuta valde est. Quare nuper factum est, teste Francisco Santi, loc. supr. cit., ut eiusdem Congregationis officia cum vacant, aliis non conferantur, et negotia si quae sint, a S. Congregatione Concilii pertractentur et expediantur.

De Cardinalibus, quibus eadem Congregatio componitur, seu componebatur, necnon de Praelatis eidem olim addictis, loquitur praefatus Cardinalis De Luca, loc. cit. n. 2 sq.

§ XIII. *De S. Congregatione Fabricae S. Petri.*

137. De hac Congregatione late scribit Cardinalis De Luca *in Relat. Rom. Cur. Disc. XX.* Nos quae praecipua sunt, de ea brevissime tangimus. — Iulius II ad Principis Apostolorum Vaticanam Basilicam pene collabentem restaurandam quamplura concessit de thesauro Ecclesiae dona spiritualia iis, qui pro dictae Basilicae eleemosynas ac oblationes facerent vel mitterent, citra et ultra montes aliquos Commissarios deputando. — Leo X eiusdem pii operis administratoribus facultatem tribuit exequendi pia Legata et eorum partem Fabricae S. Petri assignandi. — Deinde Clemens VII collegium instituit sexaginta virorum, qui administrationem gererent eiusdem Fabricae. — Clemens VIII, ut tutiori modo et meliori forma negotiis Fabricae Basilicae S. Petri consuleretur, specialem Congregationem Fabricae S. Petri (ad instar Congregationum a Sixto V erectarum) instituit, quae componebatur ex aliquibus Cardinalibus, quosdam Praelatos habens diversis officiis addictos.

138. Iuxta primaevam institutionem scopus huius Congregationis multiplex est:

1. Advigilare debet ut dispositiones ad pias causas executioni mandentur, cum facultate applicandi Fabricae S. Petri fructus decursos qui in aliquod pium opus erogari debuissent.

2. Applicare potest eidem Fabricae pias dispositiones incertas, et eas quoque quae pro incerto opere factae reperiuntur.

3. Potest exigere et Fabricae S. Petri applicare illa legata, quae facta sunt pro opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne alias cum indebito haeredis lucro apud eum bona remaneant.

4. Applicare potest Fabricae S. Petri bona relicta vel attributa ecclesiis, locis piis, vel personis, quae ex instituto incapaces sunt acquirendi et possidendi, ut sunt ex. gr. Fratres Minores, Capuccini, ac etiam Iesuitae quarti voti, eorumque Domus professae, et similes (De Luca, n. 13; et cf. Articulus Casinen. penes Lucium Ferraris, verb. *Congregationes*, n. 26).

139. Tractu temporis, rebus immutatis, et ipsa S. Congregatio Fabricae S. Petri in aliquibus aliquam mutationem subiit. Nam regnante Pio IX Pontifice Maximo, abolitum fuit anno 1863 speciale tribunal, Romae iampridem institutum pro ditione temporali Romani Pontificis, quod nuncupabatur *tribunal Fabricae S. Petri*, et simul Commissariorum munus cessavit. Remansit vero, et adhuc existit Congregatio Fabricae S. Petri, constans ex aliquibus Cardinalibus, et Secretario, qui simul Oeconomi eiusdem Fabricae munus gerit. Praefectus huius Congregationis hodie est ipse Cardinalis Archipresbyter Basilicae S. Petri, dum anteactis temporibus, iuxta Cardinalem De Luca, n. 5, Praefecturam gerere videbatur antiquior eiusdem Congregationis Cardinalis (Vid. Santi, lib. I, tit. 31, n. 123).

140. In hodierna praxi Officium Ordinarium huius Congregationis est, ut in via gratiosa facultates suas circa legata pia, et praesertim circa onera Missarum exerceat, videlicet.

1° Solet S. Congregatio ad preces fidelium oratorum, qui piorum legatorum oneribus gravantur, ex iustis causis ad compositionem admittere quoad praeteritas omissiones, eos nempe absolvendo, imposita ipsis solutione discretae summae pecuniae favore Fabricae S. Petri.

2° Rationabilibus item de causis, ipsa onera quoad futurum reducere solet, et Episcopis exposcentibus, ad tempus facultatem concedere onera reducendi.

3° Item ad aliam Ecclesiam vel Altare onera Missarum transfert.

4° Ultra duos menses conciliares Missarum manualium celebrationem differt, dummodo dies celebrationis non fuerit a fidelibus eleemosynam offerentibus designatus.

5° Solet admittere et probare redemptionem ipsorum legatorum piorum, praevia tamen solutione in manibus Ordinarii capitalis summae, quam ipse Ordinarius fructiferum efficere, eiusque titulum custodire, nec non ex reditibus inde provenientibus, satisfactionem legati pii quotannis curare debet (Santi, et plura alia videantur penes De Luca et Ferraris in locis citatis).

§ XIV. *De S. Congregatione Visitationis Apostolicae.*

141. Cum Romanus Pontifex, ob curam quae ei incumbit totam Christi Ecclesiam gubernandi, nequeat per seipsum visitationem Ecclesiarum Urbis eiusque Districtus peragere, Urbanus VIII opportunum duxit pro hoc munere complendo specialem Congregationem instituere, cui propterea *Visitationis* nomen datum fuit. Constat haec S. Congregatio ex aliquibus Cardinalibus, ex Secretario, qui inter Praelatos eligi solet, et ex Consultoribus. Praefecturam huius S. Congregationis sibi reservare solet Summus Pontifex. Cardinalis autem Urbis Vicarius nomine et officio Praesidis eiusdem decoratur. Alia vid. apud *Card. De Luca,* loc. pluries cit. Disc. XXIV; *Santi,* n. 125 sqq.

142. *Acta Summi Pontificis Pii X quoad Visitationem Apostolicam* (Ad rei memoriam).

I.

BULLA PRO INDICTIONE VISITATIONIS APOSTOLICAE OMNIUM ECCLESIARUM ET LOCORUM PIORUM ALMAE URBIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSO CLERO ET POPULO ROMANO

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum, arcano Dei consilio, ad supremi Apostolatus apicem, nihil tale cogitantes, evecti fuimus, illud ex ore Domini audire visi

Nobis sumus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* quo scilicet intelligeremus, universae Ecclesiae Nobis procuratione commissa, debere Nos *impendere* Nos ipsos ac *superimpendere* pro salute omnium, aequo studio, provehenda. At vero illud primum perspeximus romano populo episcopos Nos esse datos: non enim aliter quam ob romanum Episcopatum, et Beati Petri conscendimus Cathedram, et catholici nominis, supremum gerimus pontificatum. Quamobrem huc etiam, ante omnia, curas Nobis advertendas esse sensimus, ut Ecclesiae huius utilitatibus, ecclesiarum ceterarum nobilissimae, praecipua studiorum Nostrorum laborumque impenderemus. Idque eo vel amplius imponitur Nobis quod, cum Roma, divinis praeordinationibus, catholicae unitatis centrum sit constituta, unde lux veritatis, quae in omnium gentium revelatur salutem, tamquam a capite per totum mundi corpus effundatur: necesse omnino est ut inde etiam Christi bonus odor ad fideles omnes permaneat, atque ex ea pariter credendi lex ac vivendi exemplum petatur. Quam igitur Nobis instaurationem omnium in Christo proposuimus, a Clero Populoque romano exordia capiat oportet; ita ut, renovato spiritu, quotquot e sacro vel laicorum ordine in hac Urbe versantur, sanctitatis et iustitiae semitas, tempestate licet virtuti infensissima, alacrius instituant percurrendas.

Hanc ob rem, pastoralem Visitationem, pro episcopali munere, suscipiendam decrevimus; eamque, ad Omnipotentis Dei laudem et honorem ac Sanctae Romanae Ecclesiae exaltationem, per praesentes litteras indicimus;, quae a Sacrosancta Lateranensi Basilica inchoabitur Dominica in Albis, in ceteris postea tam patriarchalibus, quam collegiatis et parochialibus ecclesiis earumque Capitulis et personis, item Monasteriis, Conventibus et Ecclesiis quorumvis Ordinum tam virorum quam mulierum, Collegiis, Confraternitatibus laicorum aliisque locis ecclesiasticae potestati subiectis peragenda.

Hanc quidem Visitationem Nos per Nos ipsi instituere magnopere cuperemus. At quoniam per adversa temporum prohibemur; Decessorum etiam Nostrorum exemplis usi, viris dignitate, doctrina ac rerum experientia praestantibus tanti momenti negotium dare statuimus, quibus et necessarias facultates et instructiones opportunas ad commissum officium rite exequendum trademus. — Quare

dilectum Filium Nostrum Petrum Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Nostrum in Urbe in Spiritualibus Vicarium Generalem, eligimus et deputamus ut dictam Visitationem Nostro Nomine Nostraque Auctoritate peragat eique praesit; eidemque adiungimus nonnullos Antistites et Romanae Curiae Praelatos, nimirum Venerabiles Fratres Iosephum Ceppetelli Patriarcham Constantinopolitanum, Henricum Grazioli Archiepiscopum Nicopolitanum, Nicolaum Iosephum Camilli Archiepiscopum Tomitanum, Maurum Nardi Episcopum Thebanum, qui Secretarii munere fungetur, Raphaelem Virili Episcopum Troadensem et dilectos Filios Basilium Pompili, cui Assessoris officium committimus, Guglielmum Sebastianelli, quem iudicem causarum et executorem decretorum Visitationis constituimus, Benedictum Melata, Petrum Piacenza, Fridericum Polidori, Ioannem Baptistam Nasalli-Rocca, Ludovicum Schüller, Ioannem M. Zonghi, Alexandrum Avòli, Evaristum Lucidi et Augustum Sili. Insuper nominamus dilectos Filios Bonifacium Oslaender Monachum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Abbatem Monasterii S. Pauli extra Urbem, Paulum a Plebe Contronis Concionatorem Apostolicum Def. Gen. Ordinis Capulatorum, Hyacinthum M.ª Cormier Proc. Gen. Ordinis Praedicatorum, et Aloisium Palliola Congregationis SSmi Redemptoris, ut operam suam in iis praesertim navent, quae ad religiosas utriusque sexus familias pertinent. Quod si porro opus esse videbitur, alios praeterea idoneos e Clero viros ad eundem effectum designabimus.

Quum vero, in tanto opere peragendo, maioris momenti res occurrere procul dubio necesse erit; volumus hasce deferri ad Sacram Congregationem Venerabilium Fratrum et dilectorum Filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Visitationis Apostolicae ecclesiarum Urbis praepositorum, qui, maturo examine adhibito, sententiam deinde Nobis aperiant.

Ne autem, in id operis, auxilium ab Eo petere praetermittamus, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, publicas haberi supplicationes ac praesertim Sacramentum augustum, in patriarchalibus Basilicis aliisque templis, publice ac solemni ritu proponi mandamus, additis etiam sacrarum indulgentiarum muneribus, prout per eundem Cardinalem Vicarium fusius edicendum curabimus.

Hortamur igitur romanum Clerum et populum ne in vacuum gratiam Dei recipiant; sed, optatis Nostris studiosissime obsecundantes, ad felicem exitum sacrae Visitationis, pro sua quisque conditione adlaboret. Utinam, emendatis moribus, aucta sacrarum aedium reverentia, festis diebus sancte servatis, omnique virtutum genere exculto, Urbs, quae Petri Sede illustratur, sit universo terrarum orbi dux et magistra sanctitatis!

Speramus equidem atque adeo confidimus Deum clementissimum benigne industriis Nostris adfuturum. Ope namque utimur et imploratione potentissima Immaculatae Genitricis Christi, cui, hoc anno, a romano populo, aeque ac a fidelibus ceteris, peculiares adhibentur honores; nec non precibus Apostolorum Petri et Pauli aliorumque Caelitum, qui Urbem Nostram vel irrigarunt sanguine vel virtutibus consecrarunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo tertio, tertio Idus Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. di Pietro, *Pro-Dat.*
A. Card. Macchi.

VISA
De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi.
Reg. in Secret. Brevium.

V. Cugnonius.

II.

LITTERAE IN FORMA BREVIS

QUIBUS AMPLISSIMAE FACULTATES PRO APOSTOLICA VISITATIONE IN URBE PERAGENDA CONCEDUNTUR.

DILECTO FILIO NOSTRO PETRO TITULI SS. QUATUOR CORONATORUM S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RESPIGHI NOSTRO IN URBE, EIUSQUE DISTRICTU VICARIO IN SPIRITUALIBUS GENERALI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ANTISTITIBUS, AC DILECTIS FILIIS ROMANAE CURIAE PRAELATIS PRO VISITATIONE ECCLESIARUM, ET LOCORUM PIORUM ALMAE URBIS A NOBIS INSTITUTA SPECIALITER DEPUTATIS.

PIUS PP. X

DILECTE FILI NOSTER, VENERABILES FRATRES, AC DILECTI FILII SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Causae concessionis.

Quae Nostra fuerit mens in indicenda Sacra Visitatione omnium ecclesiarum piorumque locorum Almae Urbis, Nostrae sub plumbo

Litterae nuper editae, quarum initium « *Quum arcano Dei consilio* » satis aperte testantur. Vestrum nunc studium, diligentiam, vigilantiam requirimus, dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quos in hoc munere elegimus ac deputavimus. Ne quid ergo ministerium vestrum impediat, immo ut Vobis praesto sint omnia, quae ad illud sancte ac feliciter obeundum conferre possint, exemplo Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, amplissimis Vos facultatibus instruere decrevimus, quas in primis, Tibi, dilecte Fili Noster, qui nomine Nostro Visitationem peragis, eidemque praeesse debes, Vobisque omnibus et Vestrum cuilibet per hasce in forma Brevis Litteras communicamus, nimirum:

I. Mandata quaecumque circa Visitationem ipsam, eaque durante etiam vivae vocis oraculo per Vos a Nobis accepta, illis ad quos ea res pertinet, referendi et oretenus per Nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris et cuiuslibet vestrum Nostro nomine factis plenam et indubiam fidem adhiberi, ac firmiter obtemperari tamquam mandatis Nostris Apostolicis volumus et iubemus.

II. Mandata et praecepta quaecumque necessaria et opportuna illis in rebus, quae Visitationis praeparationem, statum, progressum et executionem concernunt, decernendi, faciendi atque exequi iubendi.

III. Personas quasque tam ecclesiasticas saeculares et regulares cuiusvis Ordinis et Instituti, quam laicas pro rebus et negotiis ad Visitationem pertinentibus ad Vos vocandi et ad personaliter coram Vobis comparendum citandi, opportunisque iuris et facti remediis compellendi.

IV. Personas easdem et tamquam principales et tamquam testes, seu tamquam principales quoad se, et tamquam testes quoad alios, examinandi, et ut veritati testimonium perhibeant, admonendi, atque etiam cogendi, iuramenta eis deferendi, et ab ipsis exigendi et recipiendi ad Sacrorum Canonum praescriptum, ac recusantes per Censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas Vobis benevisas compescendi.

V. Libellos supplices et memorialia etiam Nobis inscripta et directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas, etiam

secretas contra quascumque personas accipiendi, et Nobis referendi, seu alias, prout rerum et personarum qualitas requiret, iuxta Ordinationes Nostras ex Auctoritate Vobis tradita providendi.

VI. Congregationes aliquarum personarum, quae Vobis in consilium super praemissis adhibendae videbuntur faciendi, easdemque personas Auctoritate Nostra vocandi, et cum eis de negotiis Visitationis tractandi, consultandi et deliberandi.

VII. Unum sive plures Commissarium, seu Fiscalem, nec non Cancellarium, itemque Ratiocinatorem, aliosque ministros, quibus in opere Visitationis utamini, eligendi et deputandi, electum sive electos toties quoties Vobis videbitur removendi et alium sive alios subrogandi.

VIII. Quotiescumque videbitur atque etiam seorsum a Te, dilecte Fili Noster, qui Nostro nomine Visitationem peragis, eidemque praeesse debes, vobisque omnibus, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, et iteratis vicibus quarumvis dictae Urbis, seu extra illam, intra tamen illius Districtum consistentium Ecclesiarum omnium, etiam ab ipsius Urbis Vicarii ordinaria iurisdictione exemptis, sublatis abrogatisque, ad hunc dumtaxat effectum, Sacrae nempe Visitationis, quacumque veteri consuetudinē sive Apostolicis Constitutionibus, nec non universim quibuslibet iuribus ac privilegiis speciali vel etiam specialissima mentione dignis, Patriarchalium, Collegiatarum seu aliarum Ecclesiarum etiam S. R. E. Cardinalium ratione Tituli aut denominatione sui Cardinalatus et alias quomodolibet vel ex quavis causa subiectarum, seu cuiusvis Capellae vel Oratorii, nec non Monasteriorum tam virorum quam mulierum, Prioratuum, Domorum et Locorum saecularium, seu cuiuslibet Ordinis etiam Mendicantium, Congregationis aut Instituti Regularium, aut Hospitalium quantumvis exemptorum, Nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, et generaliter quorumcumque Locorum et Operum piorum quomodolibet nuncupatorum et quocumque privilegio, exemptione et immunitate suffultorum, etiam si de iis specifica et individua mentio habenda foret, eorumque Capitulorum, Conventuum, Universitatum, Collegiorum, Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum etiam laicorum, etiam nullo alio speciali Nostro expectato ordine vel mandato, aut etiam requisito

consensu, vel licentia, Visitationem faciendi, et illa et quaelibet illorum visitandi, et in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam et idoneitatem singularum personarum coniunctim vel divisim, et tam in capite, quam in membris, nec non circa divinum cultum, religiosas functiones, Ecclesiarum decorem, fructuum et reddituum dispositionem, regularem Religiosorum tam virorum quam mulierum observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi Visitationis quomodolibet spectantia, diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum archivia, bibliothecas, et quaecumque in illis continentur documenta et instrumenta authentica, scripturas, libros rationum dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi; praesertim vero SSmum Eucharistiae Sacramentum et Sacras Reliquias et quibus ipsum Augustissimum Sacramentum et Sacrae Reliquiae, et res ad alia ecclesiastica Sacramenta pertinentes continentur, S. Vasa, Pyxides, thecas, tabernacula; nec non indumenta, ornamenta et instrumenta, utensilia, et supellectilem ecclesiasticam, etiam pretiosam, diligenter et accurate inspiciendi, et ad praedicta exhibendum quascumque personas cogendi et compellendi; et in praemissis omnibus et singulis quacumque correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi et reformandi, uniendi, transferendi, in melius immutandi, processusque necessarios desuper faciendi, et Nobis referendi, seu iuxta ordinationes Nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes executioni demandandi, ac custodiri et observari praecipiendi, demum omnia alia et singula quae huiusmodi Visitationis negocium, ulteriorem progressum, executionem, et in ea facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordines concernunt, et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi.

IX. Contradictores et Vobis in praemissis inobedientes et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per suspensionis atque etiam privationis beneficiorum, et officiorum ecclesiasticorum, ac per censuras et poenas ecclesiasticas et temporales, alia-

que opportuna iura et facti remedia, appellatione postposita compescendi.

X. In Visitatione huiusmodi eum ordinem tenendi quem commodiorem, utilioremque iudicabitis, quin praecedentiam inter Ecclesias, Monasteria, et Loca quaecumque per Vos visitanda servare adigamini. Nos enim ex hac agendi ratione nulli Ecclesiae, Monasterio vel Loco, neque ulli Capitulo, Conventui, Confraternitati, aut personae tam coniunctim, quam divisim, seu alias quomodolibet in aliquo etiam minimo quoad praecedentiam, aliasque praerogativas quascumque praeiudicari, aut quicquam novi iuris acquiri decernimus et declaramus.

XI. In perlustrandis Urbis Paroeciis, pauperibus infirmis graviter decumbentibus, quos Nostro nomine visitabitis, spiritualibusque ac temporalibus subsidiis iuvabitis, Apostolicam Benedictionem semel impertiendi, iisdemque, dummodo ante vel post Visitationem vestram vere poenitentes et confessi, Sacra Communione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam unicuique eorum semel largimur, denunciandi.

XII. Tibi, dilecte Fili Noster, Vobisque Venerabilibus Fratribus specialem facultatem concedimus in Ecclesiis etiam Patriarchalibus, aliisque Ecclesiis et Locis per Vos visitandis Altaria atque ipsasmet Ecclesias consecrandi, aut illa vel easdem Ecclesias, aut illis annexa reconciliandi, seu etiam coemeteria, campanas, calices, patenas, Cruces, indumenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque, et aquam, ut moris est, benedicendi, Sacramentum Confirmationis ministrandi, sacrosanctum quoque Missae sacrificium, nec non Vesperas et quaecumque alia divina officia solemni et pontificali ritu celebrandi et decantandi, verbi Dei praedicationes, et conciones ad Dei amorem et timorem in cordibus fidelium excitandum et accendendum publice ad Clerum et Populum, seu alias privatim, prout occasio et necessitas postulabit, habendi, aliaque omnia et quaecumque munia pontificalia, etiam quae notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali huiusmodi concessione non comprehenderentur, etiam erga personas alioquin habiles et idoneas exercendi.

XIII. Ubi contigerit alicui Altari, etiam pro defunctis privilegiato, seu Capellae tam magnum Missarum celebrandarum numerum

ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, Ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis Missarum huiusmodi ad aliud Altare, seu Altaria etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspecta, statuendi, et ordinandi, ut in eisdem Altaribus commodius ac plenius piae voluntati defunctorum satisfiat, ita quod Missae ad Altaria huiusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis celebratae, illis pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad Altaria privilegiata, seu alias iuxta eorumdem defunctorum voluntatem celebratae fuissent.

XIV. Ad faciliorem et expeditiorem Visitationis progressum et complementum Secretario et Assessori facultatem tribuimus eiusdem Visitationis decreta, statuta, ordinationes, mandata, praecepta, inhibitiones, informationes, relationes, nec non seriem ordinandi, describendi, et in libellos seu commentarios, sive etiam in publica et authentica forma documenta et instrumenta redigendi, ceteraque omnia, et quaecumque ad eorum munus spectantia gerendi et exercendi, etiam si notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali commissione huiusmodi non venirent. Nos enim volumus iis documentis et scripturis, quae de rebus in Visitatione gestis a Secretario et Assessore praefatis, vel ab eorum altero fient et emanabunt, ipsorum manu ac Visitationis signo munitis, plenam et indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus tam in iudicio, quam extra illud, omnino haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri.

XV. Quascumque querelas, accusationes, denunciationes contra quascumque personas tam ecclesiasticas saeculares vel regulares, quam laicas cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existentes, recipiendi et audiendi, causasque exinde aut alias quomodolibet ex dicta Visitationis vel illius causa emergentes tam ecclesiasticas quam profanas ex officio audiendi, cognoscendi ac iuxta mandata Nostra, seu alias, prout iustitia suaserit, et ordo dictaverit rationis, illas decidendi et terminandi. Utque liberius ab omnibus, denunciationes, querelae et accusationes et causae quaecumque ad dictam Visitationem pertinentes deferri possint, omnibus

similiter et singulis personis tam laicis, quam Clericis etiam in Sacris e Presbyteratus Ordinibus constitutis saecularibus, et quorumvis Ordinum, Congregationum, et Instituti regularibus, quavis etiam episcopali vel maiori ecclesiastica vel mundana dignitate vel praeeminentia fulgentibus, qui in actu eiusdem Visitationis, seu alias, illius occasione aliquid, quod ad praedictas causas pertineat, per viam denunciationis, querelae vel accusationis palam vel occulte, sponte vel ad aliorum instantiam in iudicio, vel extra iudicium revelaverint, aut in praemissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati responderint, vel ad reos defendendos, convincendos, indicia, votum, auxilium, consilium vel favorem per se, vel alium directe vel indirecte praestiterint sive tamquam Iudices ordinarii, vel delegati, custodes, scribae, testes, tabelliones, consultores, procuratores, advocati seu alias se in praemissis quomodolibet ingesserint, ut nullam propterea poenam, vel censuram ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, Nostro nomine et Auctoritate indulgendi.

XVI. Omnes et singulas causas occasione Visitationis huiusmodi coram quibuscumque Iudicibus tam ordinariis quam delegatis pendentes et etiam instructas, et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali ad Vos Auctoritate Nostra avocandi, illasque summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, cognoscendi, et fine debito, prout iuris fuerit, terminandi.

XVII. Iudici causarum et Executori decretorum Visitationis praefatae Auctoritate Nostra deputato omnia in eadem Visitatione decreta, statuta et ordinata exequendi, et observari faciendi, contra inobedientes et negligentes, nec non cuiuscumque criminis occasione dictae Visitationis detectos reos et delinquentes, eorumque complices et fautores cuiuscumque status, dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, puniendi, ac tam super praemissis, quam etiam alias quas-

cumque in eadem Visitatione, aut etiam antea per Nos tamen Tibi etiam absque speciali commissione committenda causas ecclesiasticas inter Capitula, Conventus, Collegia, Universitates, Confraternitates, Archiconfraternitates, eorumque superiores ac singulares personas ecclesiasticas saeculares vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares, etiam exemptas, et quovis privilegio vel immunitate suffultas, etiam Nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, motas et movendas, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie et simpliciter et de plano, et alias prout praefertur, terminis substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco praefixo termino arbitrio Tuo et de eiusdem Visitationis mandato procedendi, audiendi ac fine debito terminandi, et ad hunc ceterorumque contingentium effectum, quoscumque etiam per Edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu citandi et monendi, eisque ac quibusvis Iudicibus et ceteris personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile Edictum, atque etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, nec non pecuniis eiusdem Secretarii arbitrio moderandis et ampliandis, inhibendi contra inobedientes quoscumque censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones et monitoria etiam sub censuris et aliis poenis praedictis, ceterisque sibi benevisis remediis, omni et quacumque appellatione postposita decernendi omniaque in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, etiam quae expressionem requirerent magis specialem, et sub generali concessione non venirent, iis tamen servatis limitibus, quos Visitatores collatis insimul consiliis praescribent, et exceptis semper causis maioris momenti, ad Congregationem VV. FF. NN. S. R. E. Card. super negotiis Visitationis Apostolicae Ecclesiarum et Locorum piorum Urbis praepositorum vigore citatae Bullae Indictionis deferendis.

XVIII. Pro celeriori causarum expeditione, et ad parcendum quantum fieri potest, partium dispendiis, simplici et nudae scripturarum ac iurium in tribunalibus, seu archivis, aut notariorum officiis eiusdem Urbis existentium indicationi, eorumque notis ac privatis copiis standi, et illis ad probationem eandem fidem in iudicio

adhibendi, quae adhiberetur, si illa in forma publica et authentica forent transumpta, aut alias originaliter exhibita.

Mandamus autem omnibus et singulis ad quos spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate et praeeminentia fulgentibus, ut Vobis et cuilibet Vestrum in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententias seu poenas, quas rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, et Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Ordinum, Congregationum, Archiconfraternitatum, Confraternitatum et aliorum Locorum et Operum piorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usis et naturis ac stylo Curiae; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et Litteris Apostolicis praemissis et cuiusvis illorum, ac superioribus et personis eorum quomodolibet, nuncupatis et qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel ad Catholicorum Principum quorumlibet preces, et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, atque etiam consistorialiter, et alias quomodocumque et quandocumque concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse ac plenissime deroganus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III Martii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. ✠ S. A. Card. Macchi.

III.

E S. CONGR. CONCILII

Ad Italiae Ordinarios de Visitatione Apostolica.

7 Martii 1904.

Constat apud omnes, supremae Romani Pontificis auctoritati ius esse atque officium de statu ecclesiarum omnium cognoscendi, et a singulis Praesulibus exigendi, ut sui quisque ministerii rationem Ipsi reddant. Id profecto sibi volunt Christi verba: « *Pasce agnos, pasce oves* », id Ecclesiae unitatis postulat ratio, id actum ab initio et non intermissa consuetudine servatum docet historia.

Iugi autem experientia compertum est, quo plenius et intimius hic nexus Romanum Pontificem inter et Episcopos viguerit, eo felicius religioni contigisse. Nam ex unione auctae vires, Ordinariorum auctoritas maior effecta, vitiis et erroribus obex citius et efficacius paratus, animarum saluti melius consultum.

Duplex autem modus est quo Romani Pontifices de statu ecclesiarum certiores fieri consueverunt. Aut enim ipsarum rectoribus mandarunt, ut de sua quisque dioecesi ad Apostolicam Sedem fideliter pleneque referrent; aut legatos miserunt, variis nominibus pro temporum, locorum adiunctis, aut pro natura munerum designatos.

Ita sane consueverunt Apocrisarios, Nuntios, aut Delegatos Apostolicos ad principes temporales destinare, non alia quidem de causa quam, ut quae ad christianam rempublicam spectarent cum eis agerent. Ita quoque Legatos frequenter miserunt ad particulares ecclesias aut ad alicuius regionis regnive fideles, ut religiosa illius loci negotia directe curarent, nunc ordinaria quadam et stabili ratione, uti Legati nati, nunc extraordinario modo ac temporario ut Visitatores Apostolici.

Peculiaris vero Summorum Pontificum cura fuit ut Italia, quae sua ipsius conditione Romanam Ecclesiam propius attingit, arctiori vinculo Apostolicae Sedi obstringeretur, cum eaque frequentius communicaret. Idcirco S. P. Sixtus V in Const. *Romanus Pontifex* decrevit, ut eius Episcopi crebrius quam ceteri, idest unoquoque triennio, SS. Apostolorum limina visitarent ac de suarum dioece-

sium statu referrent; eademque de causa Visitatores Apostolici ad diversas Italiae dioeceses aut regiones, praesertim post SS. Tridentinam synodum saepe missi, etsi iam penes principes et respublicas, queis olim Italia constabat, Apostolici Nuntii essent, qui negotia religionis vigilarent.

At nunc civilibus Italiae conditionibus mutatis, quum alia complura, tum etiam esse desiit institutum hoc saluberrimum. Quo factum est, ut una quoque ex potissimis rationibus defecerit, quibus Romanus Pontifex possit cognoscere quid boni ac meriti alicubi sit, aut quid forte reprehensione dignum, ut valeat opportune providere.

Quod quum diuturna satis experientia docuerit haud sine Ecclesiae detrimento accidisse, ven. mem. Pontifex Leo XIII S. Concilii Congregationi commisit, ut videret si quis forte modus esset quo defectus ille pro temporum conditione suppleretur.

Haec autem, omnibus mature perpensis, optimum factu censuit Apostolicam quandam Visitationem instituere per sacri ordinis viros, dignitate, doctrina et prudentia praestantes, qui certis temporibus varias Italiae regiones perlustrarent; ab Episcopis audirent, quae cleri esset, quae seminarii, quae populi, quae cultus divini conditio; ubi forte opus esset, suis ipsi oculis cernerent atque, interposita fide silentii, ad Apostolicam Sedem referrent.

Consilium Leoni XIII probatum, sed Ipsius morte interceptum, Pio X, vix dum ad Petri cathedram evectus est magnopere placuit. Imo necessarium duxit, ut quamprimum perficeretur.

Iussa itaque SSmi Dni Nostri peragens S. Congregatio Concilii praesentibus litteris mandat, ut singuli Italiae Ordinarii recipiant Visitatores Apostolicos, quos statis temporibus S. Sedes ad eos in posterum missura est: eisque de statu suarum dioecesium referant iuxta legem in adiecto folio statutam.

Multa ex hac Visitatione licet sperare bona. Ea enim in primis ipsius episcopalis auctoritatis praesidio est instituta, quo iuvari possunt Antistites, sive ad clerum gregemque suum in officio continendum, sive ad citius expedienda negotia, de quibus consulenda sit Apostolica Sedes. Praeterea hac ratione subiici poterunt fidelibus oculis multa quae saepe frustra desiderantur, sive ad pastorale munus aut utilius obeundum aut commodius, sive ad arcendas dif-

ficultates quae in animarum regimine interdum occurrunt. Denique coniunctius agendo cum Romano Pontifice ipsa Ordinariorum dignitas augebitur, et facilius episcopale ministerium evadet.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive ex specialibus statutis aut constitutionibus minime obstantibus.

Datum Romae die 7 Martii 1904.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, *Praef.*
C. DE LAI, *Secret.*

Regole per la visita Apostolica.

1° Il Visitatore Apostolico, prima di partire per la sua missione, presterà giuramento innanzi all' Emo Prefetto, od a Mons. Segretario della S. C. del Concilio, *de munere fideliter adimplendo, et de secreto servando* per tutto ciò che risguarda la visita apostolica: il quale secreto dovrà osservarsi inviolabilmente, perchè venga tutelata la piena libertà del Visitatore e dei Visitati.

2° Sono severamente vietati i ricevimenti solenni con suono di campane e con altri apparati esteriori, sia al primo arrivo del Visitatore, sia nelle visite particolari susseguenti. Il suo arrivo sarà privatissimo. Egli si recherà avantutto dall' Ordinario per rendergli il dovuto omaggio, e per presentargli le lettere che accreditano la sua missione.

3° Sarà cura dell' Ordinario stesso di procurare al Visitatore un conveniente alloggio. In ogni caso poi il vitto pel Visitatore sarà frugale, e senza invito di persone estranee.

4° Egli respingerà qualsiasi invito a pranzi o a ricevimenti in suo onore, e qualsiasi dono o regalo che gli venisse sotto qualsiasi pretesto, o in qualsiasi modo profferto; allegando il giuramento prestato per l' adempimento del suo dovere, e che si intende espressamente vincolare il Visitatore all' osservanza del disposto di questo articolo.

5° Il Visitatore non ha, nè eserciterà atti di giurisdizione alcuna, fuori di quella di esaminare cose e persone, e di deferire agli esaminati il giuramento *de veritate dicenda*, e *de secreto servando*.

Ma anche in ciò fare si guarderà da ogni ostentazione di autorità; e cercherà piuttosto colla sua pietà, riservatezza e modestia di essere di edificazione al clero ed ai fedeli che visiterà.

6° Comincerà col prendere dall' Ordinario cognizione di quanto può risguardare lo stato generale della diocesi, del clero, dei fedeli, del Seminario, degli istituti religiosi, sia maschili, sia femminili, delle opere pie e delle associazioni cattoliche, sia quanto al materiale, sia quanto al morale. Dopo ciò l' Ordinario fornirà al Visitatore sue lettere, onde venga riconosciuta la sua missione dal clero e dai fedeli della diocesi.

7° La visita sarà locale, reale e personale. E nella visita personale, più ancor che nelle altre, si osserverà secreto inviolabile, tanto dal Visitatore, quanto dai Visitati, i quali dovranno giurare di osservarlo con chicchessia.

8° Visiterà in primo luogo la Curia e gli Archivi, sentendo separatamente il Vicario Generale e gli altri officiali: osservando se vi sia uno stato regolare del clero, delle parrocchie, quale sia la tassa per gli affari etc. — se l' amministrazione ecclesiastica sia in regola secondo le norme della S. Sede, — se gli Archivi siano ben ordinati e custoditi, secondo le regole canoniche.

9° Particolare attenzione e cura userà nella visita del Seminario, sia quanto al materiale, sia quanto agli studii, sia quanto alla pietà degli alunni. Ed a tale effetto non si limiterà ad interrogare il Rettore, l' Economo, i Deputati; ma visiterà le scuole, e personalmente, in particolare udienza, gli alunni, esaminandoli con paterna bontà sui loro sentimenti, studi, propositi.

10° Visiterà anche la Cattedrale tanto nel materiale, quanto perciò che risguarda il Culto divino — cioè il servizio corale, la cura delle anime, se siavi annessa, il modo di fare le sacre funzioni, il canto, i paramenti e i sacri utensili.

11° Visiterà quindi anche altre parrocchie della città, sia per parte materiale sia per la parte formale, onde vedere se e come si istruisca il popolo, come si faccia il catechismo, come si fomenti la pietà, come si tengano i libri parrocchiali etc., rimettendo alle visite successive quello che non possa fare nella prima.

12° Visiterà nello stesso modo anche le parrocchie della dio-

cesi, non tanto le più insigni, ma pur anche quelle più modeste e povere, onde farsi un concetto il più adeguato possibile dello stato del clero e dei fedeli.

13° Se vi sia qualche insigne Santuario non mancherà di recarvisi, e costatare come esso sia custodito, quali offerte sia per messe sia per altri fini, ivi si facciano, e come vengano esse amministrate.

14° Visiterà anche le case religiose non esenti sia di uomini sia di donne, — lasciando cioè quelle che hanno per ordinario la visita dei rispettivi superiori monastici. Ed esaminerà come si osservino le regole, e quali frutti queste case apportino con le loro opere.

15° In tutto ciò poi cercherà di informarsi dello stato religioso del popolo, se vi sia indifferenza religiosa, se vi sia frequenza di sacramenti: o si amino più le pompe esterne di culto, che le coltura dello spirito e l'osservanza delle leggi della Chiesa: se vi siano in prevalenza vizii od abitudini viziose, specialmente per rapporto alla bestemmia, al mal costume, all'intemperanza: se la stampa irreligiosa vi sia diffusa. Se ad essa si contrapponga la buona stampa, e con che frutto. Se vi siano confraternite, od associazioni pie, e quali frutti se ne cavino per ritenere il popolo nella fede e nella pietà.

16° Di tutto ne farà giornalmente una breve ed esatta relazione, tenendo calcolo non solo del male, ma anche del bene che rileverà onde renderne edotta pienamente la S. Sede.

Però quanto alle cose di indole segreta o delicata, ne prenderà nota in maniera che se anche lo scritto venisse a smarrirsi, non possa essere compreso e recare danno.

Ma soprattutto fin dal principio della sua missione, ed ogni giorno in seguito il Visitatore dovrà raccomandarsi fervorosamente al Signore ed agli Angeli tutelari della diocesi visitata, onde aver lume ed assistenza nel delicato ministero che è chiamato a compiere, ed affinchè questo riesca a gloria di Dio ed a salute delle anime, secondo il fine per cui è stato istituito.

Roma 7 Marzo 1904.

Vincenzo Card. Vesc. di Palestrina, *Pref.*

G. De Lai, *Secret.*

§ XV. *De S. Congregatione examinis Episcoporum.*

143. Cum Gregorius XIV, qui tamquam Episcopus Cremonensis Concilio Tridentino interfuerat, huius Concilii sensuum conscius esset circa diligentem inquisitionem eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales vel Metropolitanas essent promovendi, hinc ad Summi Pontificatus apicem evectus, Constitutionem desuper edidit, describendo formam in hac inquisitione *ac examine* tam de doctrina, quam de vita et moribus, habendo in Curia, vel respective extra.

Clemens VIII huic sensui inhaerendo, publicum ac solemne examen coram seipso et Cardinalium Congregatione habendum introduxit, seu instituit pro Italia tamen et Insulis adiacentibus dumtaxat. Componitur haec S. Congregatio ex aliquibus Cardinalibus, et aliquibus Examinatoribus in materia Sacrorum Canonum, et habet insuper Secretarium inter Praelatos electum (Vid. Card. De Luca, loc. cit. Disc. XXI).

Haec S. Congregatio adhuc in suo iuridico valore existit, nec ulla Constitutio vel Decretum in contrarium editum est. Verumtamen nostris temporibus ob peculiares difficultates et incommoda, prudens consilium in facto tantum susceptum est, ut novi Episcopi examini doctrinarum non subiiciantur (Santi, n. 140).

Verum ut Ecclesiis Italiae idonei Pastores praeficiantur, Summus Pontifex Leo XIII sequentem Congregationem restituit.

§ XVI. *De S. Congregatione pro eligendis Episcopis.*

144. Benedictus XIV cupiens tanto negotio, quod ad Episcoporum creationem spectat, tutius ac salubrius consulere, praeter ea quae iam circa id, tum a Concilio Tridentino, tum a suis Praedecessoribus Romanis Pontificibus sapienter statuta sunt, erexit ac instituit particularem Congregationem super promovendis ad Patriarchales, Archiepiscopales et Cathedrales Ecclesias, quatenus ad huiusmodi regendas Ecclesias assumantur Viri morum integritate, sacra doctrina, rerum ecclesiasticarum peritia, zelo Domus Dei, et vero salutis animarum studio praediti. Videatur *Constit. erectionis,* incip. *Ad Apostolicae,* edita die 16 Oct. 1740.

Huic Congregationi quinque Cardinales adscripsit, et ipsius Summi Pontificis Auditorem pro tempore deputavit Secretarium eiusdem S. Congregationis (1).

Ut autem Congregatio liberius ac tutius in tali negotio ageret et veritatem circa *qualitates eligendorum* facilius detegeret, singulis praedictis Cardinalibus, necnon Auditori, iniunxit *secretum* ad instar illius, quod pro negotiis ad Sanctam Inquisitionem pertinentibus servatur (Vid. cit. Const. § 6).

Haec vero Congregatio, scribit Santi (lib. I, tit 31, n. 141) difficultates non paucas passa est, insurgentibus contra ipsam, ut fertur, Cardinalibus regnorum protectoribus, qui Episcopos respectivae nationis in Consistorio proponere solebant. Quare ab ipsa Benedicti XIV aetate tacere coacta est, et Nunciis Apostolicis Praelatoque Auditori Summi Pontificis munus incubuit processum conficiendi circa qualitates nominati vel electi ad dignitatem episcopalem necnon circa conditionem Ecclesiae vacantis, iuxta tenorem Decreti *Si processus* Urbani VIII, editi anno 1627 ».

145. At mutatis temporum circumstantiis, pristinam Congregationem iuxta formam praefatae Benedictinae Constitutionis *Ad Apostolicae pro Italia* restituit Summus Pontifex Leo XIII, qui Cardinales quinque nominavit, Auditorem suum a secretis constituit aliosque duos Officiales coadiutores adiunxit, addita lege servandi *secretum*. Insuper probavit normas practicas, quibus inquisitio circa personas earumque qualitates quam tutissime perficeretur. Ex dictis patet, huic S. Congregationi incumbere munus inquirendi et expendendi qualitates promovendorum, puta, eorum originem, natalia, aetatem, anteactae vitae institutionem, ecclesiasticarum functionum exercitium, gradus quos obtinuerint, officia quae obierint, doctrinam, pietatem, prudentiam, ceterasque animi dotes, quibus quisque valeat. Quae quidem inquisitio, ut per se liquet, ipsam personarum electionem praecedit (Cf. cit. Const. Bened. XIV, § 3).

---

(1) De Congregatione *examinis Episcoporum* et *de eligendis Episcopis*, modo attendendum est ad *Motum Proprium* Summi Pontificis Pii X, supra n. 76 relatum, quo electio Episcoporum ad Congregationem S. O. evocatur. Quae breviter ante publicationem praefati *Motus Proprii* scripta sunt, ad eruditorum notitiam relinquimus uti iacent.

Electione autem per Summum Pontificem facta, a Praelato Auditore eiusdem Summi Pontificis solitus processus conficitur iuxta normas in Decreto cit. Urbani VIII descriptas.

§ XVII. *De S. Congregatione super residentia Episcoporum.*

146. Summus Pontifex Urbanus VIII, animadvertens Concilium Tridentinum tantopere ac fortiter (*sess.* 6, *cap. I de Ref. et sess.* 23 *cap. I de Ref.*) inculcasse Episcopis observantiam legis residentiae; per suam Constitutionem incip. *Sancta Synodus,* die 12 Dec. 1634, hanc specialem Congregationem erexit. Benedictus vero XIV in sua Const. cuius initium est *Ad universae Christianae Reipublicae* die 3 Sept. 1746, statuit ut Praefecti munus eiusdem Congregationis gereret Cardinalis Urbis Vicarius, et Secretarii officium obiret ipse Sacrae Congregationis Concilii pro tempore Secretarius (Vid. cit. Benedict. Const. ubi quamplurima docentur quoad praedict. residentiam).

147. Porro advigilare circa observantiam legis residentiae Episcoporum, procedere contra delinquentes, examinare et expendere petitiones eorumdem Episcoporum necnon rationes ab eis propositas pro obtinendo indulto absentiae a Dioecesi ultra tres menses a Concilio Tridentino concessos (qui ideo *conciliares* vocantur) est vel *fuit scopus huius S. Congregationis.*

148. Usque ad nostra fere tempora haec S. Congregatio ex sex Cardinalibus componebatur; hodie tamen titulus quidem Congregationis remanet, sed in facto solus adest Cardinalis Urbis Vicarius titulo Praefecti decoratus, et Secretarius Congregationis Concilii, qui munere Secretarii fungitur. Hi autem duo negotia ad S. Congregationem super residentia Episcoporum spectantia pertractant. Quare ipsi petitiones Episcoporum pro absentiae indulto recipiunt, alteruter ex eis Summo Pontifici rem defert, et rescripta relativa ad absentiam a Cardinali Urbis Vicario expediuntur (Santi loc. cit. n. 144).

§ XVIII. *De S. Congregatione a negotiis ecclesiasticis extraordinariis nuncupata.*

149. De hac S. Congregatione ita loquitur Cardinalis De Luca, loc. saepius cit. *Disc.* V, n. 23: « In Consistorio Papa cum Cardi-

nalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicae et Ecclesiae universalis vel Principum spiritualibus et temporalibus negotiis iuxta eorum qualitatem et circumstantias; cumque non semper expediat de illis publice coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa pro eorumdem negotiorum consultatione et directione, *aliquorum Cardinalium particularem Congregationem* deputare solet, quae *Status* dicitur; istaque proinde non est Congregatio fixa et continua, sicut sunt aliae... sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum qualitate, vel temporum opportunitate ».

150. Ast recentioribus temporibus, multiplicatis negotiis atque excrescentibus difficultatibus quoad relationes inter Sanctam Sedem et civilia gubernia, necesse fuit instituere *fixam et ordinariam* Cardinalium Congregationem, quae locum occuparet prioris *extraordinariae* Congregationis, de qua loquitur Cardinalis de Luca in textu supra relato.

151. Haec nova Congregatio exordium quodammodo habuit a Congregatione particulari a Pio VI circa annum 1793 instituta *super negotiis ecclesiasticis Regni Galliarum.* Pius vero VII sub sui Pontificatus initio Congregationem similiter erexit seu ampliavit, quae etiam aliorum Regnorum et Regionum curam gereret, et generaliori nuncupatione dicta est Congregatio *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis.*

152. Haec Congregatio perduravit usque ad annum 1809, quo tempore Sanctissimus ille Pontifex ab urbe Roma per vim fuit avulsus. Anno autem 1814 vertente, post felicem in Urbem reditum, Pius VII eamdem Congregationem restituit, et ea ad praesens perseverat (Ita Santi, lib. 1 Decretal. tit. 31, n. 131; et cf. Aichner, pag. 378). Constat haec S. Congregatio ex aliquibus Cardinalibus a Papa electis, Secretario et pluribus Consultoribus. Officia huius Congregationis, ob intimam relationem cum *Secretaria Status,* apud eamdem, distincta tamen sectione, sedem habenti.

§ XIX. *De S. Congregatione studiis regendis praeposita.*

153. Ne fideles, praesertim iuvenes, erroribus contra doctrinam fidei et morum imbuantur incaute, Ecclesia, quae est magistra

veritatis, ad quam proinde spectat advigilare ne veritas et puritas fidei deturpetur, ius sibi merito vindicavit studiorum provinciam dirigendi et moderandi. In hunc finem, id est ut studiorum ratio tutius procederet, Sixtus V Constitutione saepe cit. incip. *Immensa,* specialem Congregationem erexit, quae componitur ex aliquibus Cardinalibus, quorum unus Praefecturam Congregationis tenet, et habet Secretarium inter Praelatos electum. Magna quidem olim erat huius Congregationis potestas, sed ob mutatas temporum conditiones, imminuta quoque est actio eius. Hodie enim, ait Santi, praecipuum munus huius Congregationis est, ut expendat et approbet erectiones in variis Provinciis Universitatum Catholicarum, eisque leges et normas tradat tum in ordine ad cathedras constituendas, tum pro gradibus academicis conferendis, nec non resolvendi quaestiones, quae circa iura et privilegia singularum Universitatum catholicarum iam erectarum exurgunt.

§ XX. *De aliis sacris Tribunalibus Romae existentibus.*

154. Praeter sacras *Cardinalium* Congregationes, alia extant in Urbe sacra *Tribunalia* sive *officia,* quae obiter tantum adnotamus.

1. *S. Poenitentiaria Apostolica,* quae est tribunal potestate instructum elargiendi in *foro praesertim interno* absolutiones, dispensationes, commutationes etc., et de ea latius infra loquemur.

2. *Dataria Apostolica,* aliud tribunal Summi Pontificis, in quo gratiae pro *foro externo* conceduntur, ut v. g. dispensationes pro *foro externo* super impedimentis matrimonii, super irregularitatibus, votis, iuramentis, collatione beneficiorum reservatorum etc. Hoc Collegium componitur ex Cardinali *Pro-Datario,* ex *Datario,* qui tempus *datae* notat, atque aliis Officialibus.

3. *Cancellaria Apostolica* est tribunal seu officium, per quod Litterae Apostolicae seu Bullae conficiuntur, scribuntur et expediuntur. Huic officio praeest Cardinalis, titulo *Vicecancellarii,* magnae quidem dignitatis officium eique magnus Officialium numerus subest. Hoc tribunal suas habet speciales ac firmas *Regulas Cancellariae* nuncupatas.

4. *Secretaria Brevium*, nempe tribunal seu officium pro expediendis *Brevibus* erectum, cui similiter praeficitur unus ex Cardinalibus.

5. *Rota Romana* est tribunal ad cognoscendas et decidendas in forma iudiciali *causas contentiosas* institutum. Eius decisiones maximi ponderis sunt, cum non dentur nisi cum summa maturitate, ideo est quod frequenter citentur. Non tamen ius faciunt: haec enim auctoritas, scribit Card. De Luca, Rotae non tribuitur, neque ipsa eam sibi assumit, dum solis declarationibus Sacrarum Congregationum Cardinalitiarum ista praerogativa conceditur... Bene tamen faciunt auctoritatem necessariam in eadem causa et inter easdem partes illae decisiones, quae editae sint super uno dubio vel puncto, quo iam firmato, ad alterum transitus fiat». Iudices huius Collegii vocantur *Auditores Rotae*. De Sacra Rota latissime agit *laudatus Card. De Luca, in Relat. Roman. Cur. Disc.* XXXII: ast plura ab eo tradita caute accipienda ob mutationes temporis decursu inductas.

§ XXI. *De S. Poenitentiaria Apostolica.*

155. Benedictus XIV cum usu et experientia comperisset, Officium S. Poenitentiariae in nonnullis dispositionibus maiori quadam luce indigere, per suam Constitutionem incip. *Pastor bonus* (95), editam die 13 Apr. 1744, *Maiori Poenitentiario* et *Officio Poenitentiariae* amplissimas facultates concessit, quas Pontifex in praefata Constitutione explicat; videlicet (summatim loquendo et quoad praecipua) Poenitentiarius Maior:

1° Absolvit pro utroque foro ab omnibus culpis, criminibus et excessibus.

2° Absolvit et absolvi mandare potest ab omnibus censuris aliisque poenis ecclesiasticis.

3° Absolvit a censuris Romam advenientes pro lucranda indulgentia in Urbe, ita tamen ut elapso congruo tempore ab ipsa Poenitentiaria ad effectum praedictae visitationis praefiniendo, iisdem, quibus antea, censuris teneantur.

4° Absolvit in foro conscientiae tantum haereticos occultos.

5° Dispensat super quacumque irregularitate ex quocumque delicto vel defectu proveniente in casibus tamen occultis et in foro conscientiae tantum.

6° Dispensat cum homicidis, cum male promotis ad Ordines, in casibus tamen occultis.

7° Convalidat titulos Beneficiorum cum aliquo occulto vitio obtentorum, et condonat vel componit quoad fructus male perceptos in occultis.

8° Dispensat super recitatione divini Officii propter aliquam impossibilitatem seu moralem difficultatem cum commutatione in alias preces vel alia pia opera.

9° Iniungit apostatis vel fugitivis Regularibus, audito prius Ordinis Superiore seu Procuratore generali, reditum ad proprium Ordinem.

10° Concedit Regularibus transitum de una ad aliam Religionem, et Monialibus ultra montes transitum de uno monasterio ad aliud.

11° Dispensat vel dispensari mandat in matrimoniis contrahendis, in foro conscientiae tantum, super impedimentis impedientibus occultis.

12° Revalidat dispensationes male obtentas, etiam legitimando prolem.

13° Relaxat in foro conscientiae iuramenta; dispensat seu commutat in alia pietatis opera vota simplicia etiam reservata.

14° Indulget facultates poenitentiariis minoribus.

15° Concedit indulgentiam centum dierum fidelibus, qui se submiserint poenitentiali virga tangendos (Vid. cit. Const. in qua quamplura alia traduntur, et etiam Lucium Ferraris, verb. *Poenitentiaria*).

156. Idem Pontifex Benedictus XIV per aliam Constitutionem (96) eadem die ac superior editam, id est 13 Apr. 1744, cuius initium est *In Apostolicae Poenitentiariae Officio* determinat numerum et genera Officialium, Officium Poenitentiariae constituentium. Itaque hi et non alii, inquit Pontifex, Officium Poenitentiariae constituent: videlicet *Maior Poenitentiarius, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores* seu *Secretarii tres,* et *Scriptores ordinarii itidem tres.*

a) Maior Poenitentiarius est unus ex S. R. E. Cardinalibus, Presbyter, idemque Magister in Theologia seu Decretorum Doctor, a solo Romano Pontifice eligendus. Eidem impedito vel absenti, tribuitur facultas sibi subrogandi unum alium Cardinalem, praedictis qualitatibus insignitum, *Pro-Poenitentiarium*. Ceteris, quae de eodem Poenitentiario dici possent, omissis, muneris eius est etiam; quatuor diebus Maioris Hebdomadae, Dominica quidem Palmarum in Basilica S. Ioannis in Laterano, Feria quarta vero in Basilica S. Mariae Maioris, et quinta et sexta Feriis in Basilica S. Petri Vaticana, Fidelium confessiones in Sede ad id constituta excipere, nec non capita pie sese submittentium Virgae poenitentiali tangere, indulgentiam centum dierum impertiendo (Vid. ipsam Const.; Vincenzo d'Avino *Enciclop. dell' Ecclesiastico,* verb. *Peniteniaria* et cf. Card. De Luca, *Relat. Rom. Curiae,* Disc. XII, nec non Ferraris loc. cit.

b) Regentis munus in eo situm est, ut negotia universa diligenter dirigi studeat; ac proinde petitiones casusque omnes ad Poenitentiariae Officium in primis diligenter examinet; quaeque perspicua sunt et secundum communem in eodem Officio cursum expediri consueverunt, eadem expediri iubet. Quae vero dubia vel obscura vel aliqua difficultate involuta conspexerit, ea Regens ipse ad Maiorem Poenitentiarium refert, ut diligentius examinentur.

c) Correctoris munus est: examinare seu revidere et recognoscere atque corrigere schedulas, sive Minutas a Procuratoribus confectas.

d) Datarius in calce supplicationum Datam loci, diei, mensis et anni, tam Aerae Christianae, quam Pontificatus, adscribit.

e) Theologus Consultor, quod quidem munus uni ex Presbyteris Societatis Iesu commendari consuevit, super petitionibus et casibus magis arduis iudicium suum, etiam in scriptis, si id necessarium sit, aperire debet.

f) Canonista item *Consultor,* similiter a Maiori Poenitentiario vel Regente requisitus, suum pariter consilium super casibus ad se remissis, post accuratum examen proferre debet.

g) Sigillator examinat et recognoscit, an omnes formalitates praescriptae observatae sint; quo verificato, litteras sigillo Poenitentiariae obsignat et Procuratoribus remittit.

h) Procuratores seu *Secretarii* libellos supplices et litteras a recurrentibus missas, attente perpendunt, earumque compendia, cum ita res fert, conficiunt, et cuncta ad Maiorem Poenitentiarium vel Regentem referunt atque interim alterutrius mandatum expectant. Quo recepto, Minutas, ubi opus fuerit, exarant a Correctore recognoscendas.

i) Scriptores litteras charactere claro transcribunt, et in Regesta referunt, quae ipsis dabuntur eo referenda.

CAPUT VII.

De Legatis Sedis Apostolicae (1).

157. *Legatus Apostolicus* in genere est ille, qui eligitur et mittitur cum potestate ad eminentem personam vel in aliquam Provinciam ad administranda spiritualia negotia; et quidem ablegari seu mitti potest, vel ut *personam Summi Pontificis mittentis,* vel *ut Sedem Apostolicam* repraesentet. Hodie mitti solent nomine S. Sedis, ac proinde eorum iurisdictio induit naturam iurisdictionis *ordinariae:* mortuo enim Pontifice, perseverat iurisdictio Legati (Franc. Santi lib. I Decretal., tit. 30, n. 4).

158. *Legati Apostolici* in duas classes distinguuntur, quatenus alii *sine iurisdictione* mittuntur ad exequendum nudum ministerium; alii *cum iurisdictione.* Legati cum iurisdictione sunt in triplici differentia, scilicet *Legati a latere, Legati missi,* et *Legati nati.*

a) Legati a latere sunt, si *Cardinales* mittantur; et dicuntur *a latere* quia quasi *e latere* Summi Pontificis *avulsi sunt ac dimissi,* cui semper adhaerere censentur.

Horum Legatorum iurisdictio tam ampla fuit, ut omnia fere iura Pontificia exercerent. Ceterum quousque horum Legatorum potestas se extendat, id describitur in Litteris Apostolicis, per quas Legationis munus accipiunt. Idem dicendum de ceteris Legatis.

b) Legati missi sunt, qui non ex Cardinalibus, sed ex Praelatis assumuntur, quos Sedes Apostolica mittit ad Supremos Prin-

(1) De Legatis Apostolicae Sedis vid. Reiff., Schmalz., Devoti, Franc. Santi, in lib. I Decretalium, tit. 30, *De Officio Legati;* nec non Aichner, *Compendium Iuris Ecclesiastici,* pag. 375, edit. 7.

cipes, quique in Provinciis vel regnis, ubi legationis munere funguntur, explicant Pontificiam iurisdictionem. Hi dicuntur *Nuntii* si resideant apud Aulas *maiores* (scilicet Austriae, Galliae, Hispaniae, Lusitaniae); si vero mittantur et commorentur apud Aulas *minores, Internuntii* aut etiam *Delegati Apostolici* appellantur. *Nuntii* porro charactere Episcopali decorantur, et hodie etiam *Internuntii;* non sic vero semper *Delegati Apostolici.* In casu, quo S. R. E. Cardinalis fungi debeat munere Nuntii Apostolici, tunc ipse *Pro-Nuntius* vocatur.

Istorum Legatorum potestas noscitur, ut supra innuimus, ex Litteris Pontificis, quae vocari solent *credentiales.*

c) Legati nati sunt illi, quorum dignitati adnexum est legationis officium, ita ut Legati fiant statim ac dignitatem consequuntur. Eo iure fruuntur, scribit Devoti *Instit. Canonicae,* Lib. I, § 32, pag. 135, edit. 1832) Episcopi Cantuariensis et Eboracensis in Anglia; Rhemensis, Bituricensis, Lugdunensis in Gallia; in Hispania Toletanus et Bracarensis; in Germania Salisburgensis; in Italia Pisanus ». Praeter nominatos, alii etiam antiquitus erant Legati *nati,* nonnulli scilicet Episcopi, qui *vices Romani* Pontificis sibi commissas gerebant in quibusdam Provinciis earumque Metropolitis, quique *Vicarii Apostolici* vocabantur. Tales erant ex. gr. Episcopus Thessalonicensis per Illiricum, Hispalensis per Hispaniam, Arelatensis pro causis Galliarum, et alii Episcopi et Archiepiscopi, quibus *vicaria* potestas a Romanis Pontificibus conferebatur. Istiusmodi potestas seu munus committi solebat, ut ex dictis coniicitur, *quibusdam maioribus metropolitis,* qui deinceps etiam sub Primatum nomine veniebant.

159. Successu temporis multiplicatis Legatis *missis* factum est, ut pedetentim potestas et officium Legatorum *natorum* desinerent, ita ut hodie eadem potestas penitus cessasse dicenda sit. Unde aevo nostro titulum Legati Apostolici quibusdam maioribus ecclesiis adnexum, sine ulla potestate Episcopi seu Archiepiscopi retinent. Pauci tantum praeter titulum, etiam officium legationis gerunt, veluti Archiepiscopus Strigoniensis, cui ex. gr. omnes exempti Benedictini, Praemonstratenses et Cistercienses in tota Hungaria subiiciuntur.

160. Legatio Apostolica in Sicilia, quae appellabatur *regia Monarchia,* quaeque habebat iudicem, ministros et officiales, abolita fuit a s. m. Pio IX in Const. *Suprema,* 25 Ian. 1864, publicata die 10 Octob. 1867.

CAPUT VIII.

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis (1).

161. Patriarchae, Primates et Metropolitae sunt Episcopis *ordine* pares, sed *iurisdictione et imperio* sunt iisdem superiores. Et revera Christus Dominus non alios pro regenda Ecclesia a se fundata constituit magistratus, quam *Episcopos* et *unum omnium Caput*, Summum Pontificem, qui omnibus dignitate et iurisdictione praeesset. At inter duos hos gradus iurisdictionis *iure divino* institutos, alii deinde gradus *lege ecclesiastica* inserti sunt, videlicet Patriarchae, Primates et Metropolitae.

162. *Patriarcharum* nomine veniunt Praelati illi, qui non unius dumtaxat Provinciae, sed totius regni vel imperii Episcopis et etiam Archiepiscopis praepositi sunt vel erant.

163. Antiquitus tres tantum Sedes Patriarchales fuerunt, videlicet *Romana, Alexandrina* et *Antiochena*, quas quidem Ecclesiae Patres et prisci christiani eximio quodam honore semper prosecuti sunt. Et hoc ob duas potissimum rationes accidit: 1° quia huiusmodi Sedes erectae fuerunt in nobilioribus et principalioribus Romani Imperii urbibus; 2° Quia eaedem Sedes originem habuerunt a S. Petro Apostolorum principe: *Alexandrina* quippe a S. Petro per Marcum instituta; *Antiochena* ab ipso Petro per septennium gubernata; *Romana* vero, cui idem Petrus iura Primatus in universa Ecclesia contulit, et successoribus suis reliquit.

164. His tribus Patriarchatibus temporis decursu additi sunt alii duo, videlicet Hierosolymitanus et Constantinopolitanus, qui tamen non statim iuribus patriarchalibus pacifice ac legitime potiti sunt, sed, ut ex ecclesiastica historia deprehendimus, pedetentim tum Imperatorum opera, tum Pontificum permissione, quinimo Sedes Constantinopolitana secundum locum obtinuit post Sedem Romanam. Quapropter in cap. 23 *de Privilegiis* decernitur ordinem Patriarcharum hunc esse, nempe post Romanum Pontificem, qui Primatum

---

(1) Cf. Reiff., Schmalz., Santi, Devoti, ubi *de Officio Ordinarii* lib. I *Decretal.*; Aichner ex recentioribus, *Compendium Iuris Ecclesiast.* pag. 380, edit. 1890.

gerit in universa Ecclesia, a quo Patriarchae *pallium* obtinent et cui obedientiam promittunt, primum locum occupet Patriarcha *Constantinopolitanus,* secundum *Alexandrinus,* tertium *Antiochenus,* quartum *Hierosolymitanus.*

165. Porro occupatis deinceps ab hostibus christiani nominis omnibus regionibus, in quibus memorati Patriarchae iura sua exercebant, istiusmodi Orientalium Patriarcharum Sedes barbarorum tyrannide suppressae remanserunt. Nihilominus, ut earumdem Sedium tam insignium non deleatur memoria, Romanus Pontifex creare pergit huiusmodi Patriarchas, qui tamen actualem curam et iurisdictionem in Patriarchatibus, praesenti rerum statu perdurante, non exercent. Romae resident, *solo titulo* decorati, adeoque nec pallium recipiunt. « Latini titulares Patriarchae, inquit Benedictus XIV, *de Syn. dioec.* lib. XIII, cap. 15, n. 17, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus... Pallii honore non fruuntur: usus enim Pallii *proprie cuiusque Provinciae finibus circumscribitur,* ut constat ex titulo Decretalium *De auctoritate et usu Pallii:* hi autem omnes extra Provinciam suam commorantur ». Praeeminentiam tamen *honoris* obtinent super Episcopis, Archiepiscopis et Primatibus.

166. Hodie tamen excipiendus est Patriarcha *Hierosolymitanus (ritus latini)* quem Pius PP. IX, anno 1847, cum pleno iurisdictionis exercitio ac servata residentiae lege, restituit.

167. Praeterea commemorandi sunt alii Patriarchae *Orientalium,* etiam hodie existentes, cum Ecclesia Romana communionem habentes, ut sunt Patriarchae *Maronitarum, Melchitarum, Syrorum, Armenorum* in Cilicia, et *Chaldaeorum* in Babilonia. Hi ab Episcopis et Archiepiscopis respectivi ritus Summo Pontifici praesentantur, ab eoque ad dignitatem patriarchalem promoventur, et *Pallium cum actuali iurisdictione* in Metropolitas et Episcopos suae nationis accipiunt (Cf. Benedictus XIV, loc. cit. n. 18; et vid. Aichner, *Comp. Iur. Ecclesiast.* pag. 380 sqq. edit. 7; Santi, *Praelect. Iur. Canon.* lib. I, tit. 31, *De Officio Iudicis Ordinarii.*

168. Denique aliud Patriarcharum genus est hic commemorandum, eorum scilicet, qui in Occidente ortum habuerunt, et qui *minores* dicuntur, comparative ad alios supra descriptos qui

maiores appellantur. Antiquior huius generis Patriarchatus, ita scribit Santi, loc. cit., est *Aquileiensis;* a quo, divisione facta, post saeculum VI originem duxit Patriarchatus *Gradensis.* Saeculo XV, idest an. 1451, titulus huius secundi Patriarchatus translatus fuit in Episcopum *Venetiarum,* quique usque nunc Patriarcha nuncupatur. Anno autem 1751 suppressus fuit Patriarchatus Aquileiensis. Praeterea honoris causa a Paulo III institutus est Patriarchatus *Indiarum Occidentalium,* et hoc titulo decoratur maior Capellanus Regis Hispaniarum. Tandem a Clemente XI Archiepiscopus *Ulyssiponensis* in Lusitania titulum Patriarchae assecutus fuit ». Hi Patriarchae pallium obtinent a Summo Pontifice, iure gaudent ut praeferatur sibi Crux, et ratione dignitatis medium locum tenent inter Patriarchas maiores ac Metropolitas.

169. *Iura Patriarcharum maiorum.* Primum ius est vel erat, ut in Provinciis Patriarchatus iurisdictionem haberent *ordinariam* supra omnes Episcopos et Metropolitanos.

2. Confirmabant Archiepiscopos electos sibi subiectos, quo tamen iure uti non poterant, nisi postquam accepissent a Romano Pontifice pallium, et praestitissent iuramentum fidelitatis et obedientiae.

3. Iudices erant in tertia instantia quoad causas, quae tractantur in prima instantia penes Curiam episcopalem, et in secundo gradu appellationis pro causis, quae in Curia metropolitana tractantur in prima instantia.

4. Patriarchae negligentiam Metropolitanorum in visitatione Dioecesium supplebant. Alia plura vid. penes Canonistas, ubi agitur *de Officio Iudicis Ordinarii.*

170. *Primates* sunt quidam Archiepiscopi potentiores, qui in principalioribus Urbibus regnorum et nationum sedem habent, inter omnes Metropolitas regni seu nationis locum principalem obtinent quin tamen hodie *plerique* eorum ullam iurisdictionem exerceant, sed tantum *honoris* praerogativam retineant. Huius generis sunt Patriarcha Venetiarum, *Primas Dalmatiae;* Archiepiscopus Salisburgensis, *Primas Germaniae;* Pragensis, *Primas Bohemiae;* Leopolitanus, *Primas Poloniae.* — Qui hodie potestatem Primatialem adhuc exercent, sunt tantum Primates Hiberniae et Hungariae. « Et quidem Hungariae Primas, scribit Aichner loc. cit., qui est Archie-

piscopus Strigoniensis (ex a. 1279) Concilium nationale convocare eidemque praesidere, appellationes, quae fiunt ab episcopalibus regni iudiciis, recipere et per totum Primatus sui tractum Crucem sibi praeferre potest ».

171. *Archiepiscopus* est Praelatus Ordinis episcopalis, qui uni praeest Provinciae, nec non Episcopis in eadem Provincia comprehensis. Archiepiscopi vocantur etiam *Metropolitani* a *metropoli* quae est urbs Provinciae caput. At notandum, Metropolitae et Archiepiscopi nomina non idem prorsus denotare; siquidem quilibet Metropolita recte quidem nuncupatur Archiepiscopus, non vero e converso. Nam Metropolitae semper habent sub se Episcopos *suffraganeos,* dum contra dantur Archiepiscopi, qui suffraganeis prorsus carent, adeoque nulli Provinciae, sed suae Dioecesi tantum praesunt: et hi non tam veri Archiepiscopi, quam honorarii et exempti habendi sunt. « Novum non est, docet Benedictus XIV, ut quispiam *ex privilegio* exornetur titulo Archiepiscopi et Metropolitani, quin tamen, *praeter nominis atque honoris praerogativam,* ullum consequatur ius proprium veri Archiepiscopi et Metropolitani (*De Syn. dioec.* lib. II, cap. IV, ubi plura de re; et vid. Aichner, loc. cit.).

172. Potestas Archiepiscoporum olim ampla fuit. Ex. gr. potestate fruebantur confirmandi, consecrandi et transferendi Episcopos, recipiendi appellationes ex Provincia, visitandi Dioeceses comprovincialium, de horum criminibus iudicandi, etc.: Metropolitae enim, inspecto iure antiquo, habebantur ceu iudices Ordinarii, qui respectivorum Suffraganeorum causas tam civiles quam criminales examinabant.

173. Iuxta sacri Concilii Tridentini sanctiones et Doctorum sententiam Metropolitis seu Archiepiscopis sequentia iura competere videntur in Suffraganeorum dioecesibus:

1. Possunt visitare Suffraganeorum dioeceses, sed nonnisi post plene visitatam propriam Dioecesim, nec non causa cognita et approbata in concilio provinciali (*Conc. Trid. sess.* 24, cap. III).

2. Possunt quolibet triennio concilium Provinciale in respectiva Provincia convocare eique praesidere (Conc. Trid. loc. cit. cap. II).

3. Possunt compellere suffraganeos, si proprio officio desint, ad muneris sui partes explendas, puta, ad Seminaria dioecesana

erigenda (*Trid. sess.* 23, *cap.* 18), ad residentiae leges observandas (*Id. sess.* 6, *cap.* 1 *de Ref.*).

4. Supplent negligentiam Suffraganeorum, ex. gr. in beneficiorum collatione, in electione Vicarii Capitularis facienda a Capitulo infra octo dies.

5. In casu appellationis possunt Metropolitae sententias suffraganeorum *in subditos* vel confirmare vel corrigere.

6. Nequeunt tamen Archiepiscopi causas criminales maiores contra Episcopos cognoscere; siquidem istae nonnisi a Romano Pontifice cognosci possunt et terminari. Quoad causas vero minores, in Synodo provinciali hae tractandae sunt (*Conc. Trid. sess.* 24, *cap.* VI *de Ref.*).

174. Quia Metropolitani in propria Dioecesi considerantur et sunt veri Episcopi, hinc relate ad subditos suae Dioecesis seu Archidioecesis iisdem iuribus fruuntur iisdemque obligationibus tenentur, quibus obstringuntur ceteri Episcopi in propriis Dioecesibus.

175. Cl. Aichner, loc. cit. pag. 386, haec animadvertit: « Ex his facile intelligi poterit, Metropolitis proprie nullam in Suffraganeos competere iurisdictionem, sed nonnisi circa quaedam disciplinae capita quoddam inspectionis genus et ius devolutionis, vi cuius Metropolita suffraganeorum vel negligentiam supplere vel non recte ab iis acta corrigere valet. Verum vel ipsa modo recensita ob infrequentiam synodorum provincialium, ob reverentiam pontificalis officii, ob Episcoporum sedulitatem in suo munere obeundo aliasque rationes, ex parte in desuetudinem abierunt, ita ut hodie Metropolitarum dignitas non tam in eminentiori potestate, quam *in quadam honoris praeeminentia* posita esse videatur ».

Archiepiscoporum insignia (praeter ornamenta ipsis et Episcopis communia) sunt *Crux,* quae eisdem ubique in Provincia praefertur, et *Pallium,* quod est fascia lanea candida cum quatuor sericis nigrisque crucibus intextis, ad instar stolae per humeros propendens. Vide descriptionem Pallii apud Devoti *Institutiones,* tom. I, tit. III, § 42; Aichner, pag. 386, III.

Modo agendum est de *Episcopis,* sed de his latius in sequenti Libro.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS

DE OFFICIIS, IURIBUS,

ET PRIVILEGIIS EPISCOPORUM SEU ORDINARIORUM.

In praesenti libro in promptu habet lector compendium praecipuorum munerum, iurium et privilegiorum, quae Episcopis tam residentialibus quam titularibus, necnon Vicariis sive Generalibus sive Capitularibus competunt. In duobus primis capitibus in propatulo ponitur Episcoporum eximia dignitas, amplissima potestas tum Ordinis tum Iurisdictionis necnon qualitates recensentur quibus exornati esse debent promovendi ad Episcopatum. Facultates similiter notantur, quae Episcopis recenter a S. Sede vel fuerunt concessae vel concedi solent ad eorum petitionem. Item non praetermisimus brevem tractatum conscribere de Synodo dioecesana. Pro libri huius coronide inseruimus quaedam Acta Summi Pontificis Pii X circa negotia magni quippe momenti, quae aevo nostro evolvuntur.

CAPUT I.

Praemittenda quoad dignitatem, potestatem et qualitates Episcoporum (1).

176. Ecclesia catholica sub primatu Romanae Sedis distribuitur in Dioeceses, ad quorum regimen *constituuntur Episcopi*. Ver-

(1) Cf. Doctores Canonum interpretes, Lib. I Decretal. tit. 31; Ferraris, v. *Episcopus;* Devoti, *Institutiones can.* Lib. I. tit. II; Santi, Lib. I, tit. 31; Zitelli, *Apparatus Iuris eccl.* pag. 32 seqq. edit. 1; Aichner., *Compendium Iur. eccl.* pag. 67 sqq. edit. 7.

bum *Episcopus* est nomen graecum, quod latine significat *speculatorem* seu *inspectorem,* quo quidem designatur praecipuum Episcopi munus vitam moresque commissi sibi gregis explorandi. — Episcopi vocantur etiam *Pontifices, summi Sacerdotes, sacrorum Antistites, Ecclesiae principes, patres et doctores,* ut Canonistae notant — Episcoporum nomine veniunt etiam *Patriarchae, Primates, Metropolitae et Archiepiscopi,* qui omnes differunt quidem quoad *iurisdictionis gradum,* non vero quoad Sacerdotii eminentiam. Sunt ergo etiam ipsi Episcopi, in altiori *iurisdictionis* gradu constituti. — Insuper Episcopi nuncupantur *Ordinarii,* quia ordinariam in suis dioecesibus habent iurisdictionem; et vocantur quoque *Dioecesani* respectu propriae cuiuslibet Dioecesis. Episcopi sunt qui in Apostolorum locum successerunt, et positi sunt, ut ait Apostolus, II ad Tim. a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei (Vid. *Trid. sess. VI, cap. I, de Ref.*).

177. *Dignitas atque potestas* episcopalis ratione *Ordinis* maxima est in Ecclesia, ac ideo dicitur etiam *culmen dignitatum.* Nam, ut diximus in praecedenti Libro de *Hierarchia,* Episcopi plena et perfecta pollent potestate *Ordinis,* et tanta quidem, quanta ipse Summus Pontifex, ex quo efficitur, ut Pontifex Maximus antiquo more eos appellet *Venerabiles Fratres.* « Et licet Nos, ita Pius PP. X, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis, principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et Sacra Ordinatione pares (*Motu Proprio, De Protonotariis Apostolicis,* circa initium, edit. die 21 Febr. 1905).

Insuper haec *Ordinis* potestas ita cum charactere episcopali adnexa est, ut *valide* semper, etsi forsan non semper *licite* exerceatur. Quare huiusmodi potestatem Episcopus retinet, quamvis haereticus, excommunicatus vel degradatus sit.

Ratione quoque *iurisdictionis* Episcopi insignem locum occupant in Ecclesia: ipsi enim una simul cum Pontifice Summo Ecclesiam regentem et docentem efficiunt, ita ut sicut Pontifex ad *plenitudinem* potestatis assumptus est, ita Episcopi vocati sunt *in partem* solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ut ait S. Leo Magnus.

178. In propria Dioecesi Episcopus est pastor et parochus primarius et originarius totius Dioecesis, eique omnes intra eamdem Dioecesim degentes, reverentiam ac obedientiam praestare tenentur. Quocirca nulli inferiores, sive singillatim sive collective considerati, ex. gr. Synodus dioecesana, Episcopi potestatem in regenda et gubernanda sua Dioecesi restringere vel imminuere possunt.

179. Cavendum tamen ab illa opinione quae asserit, posse Episcopum in sua Dioecesi quidquid potest Summus Pontifex in universa Ecclesia, iis exceptis, quae Papae expresse reservata sunt. Quam opinionem esse falsam atque natam ad evertendam Ecclesiae disciplinam, invicte demonstrant Fagnanus, Cap. *Dilectus,* de temp. Ordinat. n. 16, et cap. *Perniciosam,* de Offic. Ordin. n. 28; et Benedictus XIV *de Syn. dioeces.* Lib. IX, cap. I, n. V sqq., tum ratione tum auctoritate. Et revera plura sunt, quae Romano Pontifici non sunt expresse reservata, et tamen vel natura sua, utpote quae supremam requirunt potestatem, vel quod ab eo constituta sunt, cuius potestas superior est, Episcoporum iurisdictioni haud subesse possunt. Superior quippe statim ac aliquid per suam legem praescribit aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris, cui propterea non licet in illam falcem immittere, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati Superioris per legem manifestatae; quod profecto esset suae subiectionis iugum excutere (Cf. laud. Pontifex, loc. cit.).

180. In comperto est, Episcoporum potestatem ad *propriam Dioecesim* limitari, extra quam sine Iudicis Ordinarii seu Episcopi consensu vel tacito vel epresso haud possunt iurisdictionem *contentiosam* exercere; *voluntariam* autem posse valide et plerumque etiam licite, praesertim si privatim exerceatur et non publice (Vid. Canonistas Lib. I. Decretal. tit. 31, *de Offic. Iudicis Ordinarii*).

181. De potestate *Ordinis* et *Iurisdictionis* in Episcopis audiamus Benedictum XIV, qui in opere *De Synodo dioecesana,* Lib. I, cap. IV, n. I sq. ita docet: « Duplex in Episcopis consideratur potestas Ordinis nimirum et Iurisdictionis. Potestatem Ordinis habent Episcopi *immediate a Christo Domino,* qui cum Hierarchiam in sua Ecclesia esse voluerit, ita in ea Episcopos instituit, ut *Ordinis praerogativa et gradu* meris Presbyteris antecellerent,

ac virtute solius characteris episcopalis plura praestare possent, quae simplices Sacerdotes aut omnino nequeunt, aut virtute dumtaxat ordinationis suae facere non valent. Episcopus enim, ut loquitur Epiphanius adversus Aerium, foecunditatem habet, qua Patres Ecclesiae, hoc est Presbyteros, aliosque Episcopos generare potest; simplices vero Presbyteri adeo infoecundi sunt, ut in nullo rerum eventu alios Presbyteros gignere seu ordinare queant.

Episcopus praeterea, potestate sui Ordinis propria, Sacramentum confert *Confirmationis,* quod simplices Sacerdotes, non nisi *ex speciali delegatione,* non vero virtute solius Ordinis, in quo sunt constituti, ministrare possunt ».

« Cum autem et Confirmatio et Sacerdotium vera Sacramenta sint, causativa gratiae sanctificantis, atque in hoc postremo talis imprimatur character, per quem ordinatus in Sacerdotem Corpus Christi conficere, atque a peccatis absolvere valet; nemo est qui non videat, ordinariam potestatem illa conferendi nonnisi immediate a Deo posse in Episcopos promanare. Neque enim immediatam derivationem episcopalis potestatis a Deo impedit actio ministri, quam necessario intercedere oportet, ut novus Episcopus consecretur, quoniam minister operatur virtute et nomine Christi, cuius est instrumentum, ac propterea Christus est, qui proxime et immediate agit principaliter et virtute propria ».

182. Quoad potestatem *iurisdictionis,* subdit Benedictus XIV, quae *ius affert Beneficia conferendi, causas audiendi, leges et censuras ferendi, ac cetera praestandi, quae ad subiecti gregis regimen sunt necessaria,* quaestio est inter Tridentinos Patres, summa contentione iamdiu exagitata nec definita... an Episcopi illam accipiant *immediate a Christo, aut potius a Summo Pontifice.* Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen *et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita.* Ratio siquidem Monarchici regiminis, quod Christus in sua Ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius Ecclesiae iurisdictionis fons et origo resideat in eiusdem Ecclesiae visibili capite, qui est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra... » (Cf. dicta in Tom. I, pag. 436 sq.).

183. Relate ad potestatem *Ordinis* in Episcopis, advertatur, eam esse duplicem, aliam scilicet *a characteri episcopali* dependentem, et aliam characterem hunc necessario non requirere. Prior consistit praesertim in tribus, idest *in confirmando, in ordinando, in consecrando;* et haec potestas exclusive ad Presbyteros possidetur ab Episcopo. — Ad potestatem consecrandi *ex institutione ecclesiastica* ad ordinem episcopalem pertinet: 1° Chrismatis consecratio; 2° Ecclesias et altaria dedicare eaque reconciliare, si fuerint polluta; 3° Campanas benedicere, et Chrismate ungere; 4° Calices et patenas consecrare.

184. *Qualitates requisitae in promovendis ad episcopatum.* Cum episcopalis dignitas tam eximia ac insignis sit, ad eam nonnisi illi ecclesiastici viri ex Ecclesiae lege promoveri possunt, qui qualitatibus, dotibus ac virtutibus prae ceteris exornantur. Unde sacrum Concilium Tridentinum in *cap. I. sess. VII de Ref.* ita decernit: *Ad Cathedralium Ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum litterarumque scientia... praeditus assumatur* ». Quae sanctio repetitur *in sess. XXII cap. V, de Ref.*, quo in loco, quoad scientiam, disponitur, ut « antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus, in sacra Theologia, vel iure Canonico merito sit promotus, aut publico alicuius Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suae Religionis similem fidem habeat ».

Circa *qualitates* quae necessariae sunt in promovendis ad episcopale munus ac dignitatem, sequentes recensentur in *Collectanea S. C. de Prop. Fide,* pag. 19, n. 38:

1. Nomen, cognomen, aetas, patria Candidati.
2. Cuius dioecesis sit ac Provinciae ecclesiasticae.
3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu.
4. An gradus assecutus fuerit et quos.
5. An professor extiterit, et cuius facultatis.
6. An et ubi Missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit.
7. Quot linguas calleat et quas.
8. Quibus officiis sit perfunctus et quo successu.

9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione.

10. An sit corpore sanus, frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus.

11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis.

12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores.

13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator.

14. An habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus, gravitatem ac religionem praeseferat.

CAPUT II.

Episcopi quoad varias appellationes et consecrationem.

185. Episcopi alii sunt *residentiales,* qui nempe constituti sunt in Dioecesi canonice erecta et regulariter ordinata; alii *Titulares,* qui olim vocabantur *in partibus infidelium* (1), et illi dicuntur qui ad ordinem episcopalem evecti sunt titulo alicuius Cathedralis ab infidelibus occupatae, adeoque clero et populo christiano ac mensa episcopali carentes. Hinc patet, Episcoporum atque Archiepiscoporum *Sedes* alias esse *residentiales* et alias *titulares,* quas videre quisque potest in libro cui nomen *Gerarchia cattolica,* qui Romae ex Typographia Vaticana quolibet anno edi solet.

186. *Episcopi Suffraganei.* Episcopus *Suffraganeus,* iuxta *strictiorem* nominis significationem, est ille qui Archiepiscopo seu Metropolitano subiectus est.

(1) Formula *in partibus infidelium* abolita omnino fuit per Litt. Enc. S. C. de Prop. Fid. die 3 Mart. 1882, cum approbatione Summi Pontificis, et subrogata ei fuit alia formula nomen antiquum exprimens regionis, ubi sita est Sedes Episcopi, ex. gr. N. N. *Archiepiscopus Corinthius in Achaia,* vel simpliciter « N. N. *Archiepiscopus Corinthius* sine addito. — Quando debeant aut distingui velint communi appellatione Episcopi et Ecclesiae *non residentiales* ab Episcopis seu Ecclesiis *residentialibus,* pro appellatione *in partibus infidelium,* vocentur in communi, prout saepius usque adhuc factum est» *Episcopi* seu *Ecclesiae Titulares* (Vid. cit. Litt. *in textu ital. penes Supplem.* ad Ferraris, vol. IX, v. *Episcopus,* n. 2).

Item *suffraganeus* dicitur ille Episcopus, qui alterius dioecesim administrat, in eaque praestat quae *Ordinis sunt et iurisdictionis,* quique alio nomine dicitur *Administrator.*

Suffraganeus denique dicitur etiam ille Episcopus titularis, qui ea dumtaxat, quae sunt *Ordinis,* exercet in aliqua dioecesi, in qua Episcopus non residet, vel si resideat, nequit ob ingravescentem aetatem, aut male affectam valetudinem, vel ob dioecesis amplitudinem, Ordinationes habere, Confirmationis Sacramentum administrare, aliaque Episcopalis Ordinis munera peragere. Qui porro huius vices supplet, proprio nomine vocatur *Auxiliaris* (Cf. Bened. XIV, *de Syn. Dioec. Lib. XIII, cap.* 14, *n.* 4).

187. Episcopus *Coadiutor,* qui ad Episcopum Auxiliarem proxime accedit, ille dicitur, qui Episcopo senio, morbo, aut quavis alia causa ab exercendo munere suo, sive ad tempus sive in perpetuum impedito, concedi solet, ea lege, ut Praelatum vel in temporalibus tantum, vel in solis spiritualibus sua opera adiuvet. Duplex *Coadiutoria* distinguitur, idest alia *simplex et temporaria,* absque iure successionis, quoadusque durat infirmitas seu impedimentum; vel si impedimentum sit perpetuum, usque ad obitum Coadiuti; alia est *perpetua,* seu *cum iure successionis* (Cf. Aichner, pag. 421 n. 2).

188. *Vicarii Apostolici.* Apostolicorum quorumdam Vicariorum illustria in ecclesiastica historia extant monumenta; videlicet etiam antiquitus vel mittebatur, vel deputabatur *Vicarius Apostolicus,* cui ipse Summus Pontifex potestatem conferebat, exercendam etiam supra Episcopos. De his Vicariis Apostolicis mentionem facit Benedictus XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. X, n. I.

De illis Vicariis Apostolicis nobis in praesentia sermo est, qui hodiernis temporibus a Summis Pontificibus deputantur, quorum duplex species est. Nam 1° alii ab Apostolica Sede mittuntur in loca, in quibus *extat ecclesiastica hierarchia.* De iis agit Sixtus V in Const. 117, in qua sic decernitur: *Ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos, rectos, et timentes Deum deligant, qui nostrarum Litterarum auctoritate suffulti, Ecclesias ut Vicarii Apostolici regant* (Vid. Bened. XIV. loc. cit. n. IX).

Causas huiusmodi deputationis enumerat Benedictus XIV, loc.

cit. n. IX, ut sequitur: Huius quidem generis Apostolicos Vicarios frequenter deputari contingit; *a)* sive cum metus est, ne diutius Ecclesia aliqua Pastore viduata permaneat; *b)* sive cum in Vicarii Capitularis electione controversias et turbas excitandas fore prospicitur; *c)* vel quando Episcopus adversa valetudine aut senio affectus, gregi gubernando impar agnoscitur; *d)* aut denique cum illius culpa fit, ut ab Episcopatus administratione suspendi, aut perpetuo removeri debeat».

2° Alia species Vicariorum Apostolicorum est de illis, qui ex commissione Summi Pontificis mittuntur in regiones in quibus *ecclesiastica Hierarchia vel numquam fuit instituta, vel si fuerit aliquando instituta, tamen ob hostium Christiani nominis imperium cessavit.* Hinc, etsi charactere Episcopali soleant decorari, tamen non obtinent *Episcopalem titulum loci,* ad quem destinantur, sed recipiunt titulum alterius Sedis antiquae, in qua proprius Episcopus non amplius residet (Vid. Santi loc. cit., Zitelli *Apparatus Iur. ecclesiastic.* pag. 127).

189. *Episcopi quoad consecrationem Episcopalem.* Ad maiores ecclesias promoti munus Consecrationis infra tempus a iure statutum suscipere debent, et prorogationes *ultra sex menses* concessae nulli suffragantur (*Conc. Trid. sess.* 7, *cap.* 9).

Ecclesiis igitur Cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine ac titulo praefecti, etiamsi S. Rom. Eccl. Cardinales sint, si munus Consecrationis *intra tres menses* non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem tenentur; si *intra totidem menses* postea id facere neglexerint, *Ecclesiis ipso iure sunt privati.*

Consecratio vero, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commode fieri poterit, celebranda est (Conc. Trid. *sess.* 23, *cap. II, de Ref.*).

Titulares quoque Episcopi, quamvis nullis fructibus instructi sint, possunt Episcopali dignitate privari, si intra sex menses consecrari recusent (Bened. XIV, Const. *Cum a Nobis,* 4 Aug. 1747, § *Haec sane*).

190. Episcopi sive a Summo Pontifice, sive a proprio Episcopo in Presbyterum ordinati, Consecratio est Summo Pontifici reservata; et nunc temporis ius est Pontificibus praecipuum, Consecra-

tionem episcopalem peragere, vel aliis eam peragendam delegare (Bened. XIV, Const. *In postremo,* 10 Oct. 1756, § 17).

191. Cui facultas fit eligendi Consecratoris, seligere debet *aut unum ex Cardinalibus* episcopali charactere insignitum, *aut aliquem ex quatuor Patriarchis* plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, vel Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod perdifficile est, oblatum sibi Consecrationis peragendae munus acceptum habeat: in hac quippe casus hypothesi facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum Episcopumve, qui ei Consecrationem impendat. Si vero in Urbe praesentes sint Metropolita, eiusque Suffraganeus, Consecratio Suffraganei cuiquam, praeterquam suo Metropolitae, non delegetur (Bened. XIV, loc. cit. § 16).

192. Attenta necessitate et impossibilitate accersendi *tres Episcopos,* in casibus particularibus et ex speciali gratia permittitur, ut Consecratio Episcopi ab uno fiat cum assistentia duarum Dignitatum, loco duorum Episcoporum (S. R. C. 16 Iul. 1605. N. 186), servando eodem modo Rubricam Pontificalis Romani in impositione manuum et in osculo pacis (S. R. C. 9 Iun. 1853. N. 3014).

193. Certum est etiam, Episcopi Consecrationem ab uno Episcopo, uno quoque assistente Sacerdote peractam, quamvis in Brevi Apostolico cautum fuisset, ut duo adhiberentur Sacerdotes, validam fuisse, quamvis illicitam (Bened. XIV, *de Syn. lib. XIII, cap.* 13, *n.* 2 *sqq.*).

194. Consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commode fieri poterit, celebretur (Conc. Trid. *sess.* 23, *cap. II, de Ref.*).

195. Censuit S. Rit. Congregatio, ut de cetero in Romana Curia nulla fiat Consecratio Praelatorum, *nisi in aliqua ecclesia consecrata, vel in Cappella Pontificia* (S. R. C. n. 5).

196. In Consecratione Episcopi, Consecrandus uti debet *colore albo;* Consecrator et Assistentes colore tempori vel officio Missae convenienti (S. R. C. 16 Iun. 1663. N. 1265 ad 2[m]).

197. *Tempus* pro consecratione Episcopi statutum, est vel *dies Dominica,* vel *dies natalitia Apostolorum,* vel etiam festiva,

si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit (*Pontif. Rom. apud Bened. XIV,* Const. *In postremo,* § 20).

198. Episcopus in ingressu ad suum Episcopatum *equitare potest equum album,* seu albo velamine coopertum (S. R. C. 24 Aug. 1593. N. 39).

CAPUT III.

Praecipua Officia seu munera Episcoporum.

199. I. Episcopi tenentur peculiari modo *ad vitae sanctitatem:* Episcopus enim est *Pastor* propter officium, quod ei incumbit, pascendi oves sibi commissas, tum verbi Dei praedicatione, tum Sacramentorum administratione. Est *Lucerna* super candelabrum posita, ut omnibus luceat probitatis et doctrinae radiis. Appellatur *Sal terrae,* ut fidelium mores sanctis praeceptis et saluberrimis institutis condiat. Vocatur *Angelus,* quia mittitur ut nuntius praedicaturus verbum Dei. Unde Apostolus Paulus in epistola ad Titum: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.*

II. Episcopi tenentur *ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam,* ita ut saeviente licet peste, nequeant a designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiant. Haec autem residentia non materialis tantum esse debet, sed *formalis,* quatenus Episcopi propria onera adimplere debent, operando nimirum et laborando pro spiritualibus et corporalibus concreditae sibi plebis necessitatibus (Vid. Bened. XIV, *de Syn. lib. XIII, cap.* 19, n. 2 sq.).

Sacrum Concilium Tridentinum residentiam inculcat et praecipit tum in cap. I *de Ref. sess.* 6, tum in cap. I *de Ref. sess.* 23. Quatuor autem causae assignantur, propter quas Episcopi licite abesse possunt, videlicet *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas.*

Nihilominus idem Sacrum Concilium extra praedictas causas permittit, ut Episcopi ex honesta causa et absque ullo gregis detrimento quotannis e dioecesi absint, ita tamen ut *absentiae spa-*

tium singulis annis nullo pacto debeat *duos aut ad summum tres menses excedere* (Sess. 23, cap. 1 cit.).

At praefatum Concilium eosdem Episcopos admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent » (Loc. cit.). Excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, cum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquet de aequitate causae iudicium facere, ipsi nequeunt diutius a propria Dioecesi abesse absque expressa licentia Romani Pontificis, alioquin habendi forent uti transgressores, fructus suos non facerent, aliasque incurrerent poenas, quas recenset et confirmat Benedictus XIV in Constitutione incip. *Ad universae,* 3 Sept. 1746, *De Residentia Episcoporum.*

III. Episcopi debent *propriam Dioecesim* per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, *singulis annis visitare.* Quod si propter Dioecesium latitudinem intra annum visitationem explere nequeant, *biennio* saltem absolvere debent (Conc. Trid. sess. 24, cap. III, de Ref.; Bened. XIV, de Syn. lib. X, cap. 10, n. 6). Qua in re quidquid ad visitationem, aut ad morum correctionem pertinet, Episcopus agere debet sine *strepitu iudicii,* neque alia appellatio suspendit vim eorum quae mandata aut decreta sunt (Devoti, Aichner, *De Episcopis*).

IV. Episcopi tenentur statis temporibus *Limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli* personaliter ac per se ipsos *visitare.* Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, quominus per seipsos eadem visitent, debent huiusmodi visitationem peragere per certum nuntium vel procuratorem de gremio Capituli, aut alium Sacerdotem in dignitate ecclesiastica constitutum: etsi Clero careant omnino, per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, deque dioecesis rebus et negotiis plene instructum (Sixtus V, Bulla *Romanus Pontifex;* Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, cap. 6).

In praedicta visitatione Sacrorum Liminum singuli Episcopi, et etiam Praelati territorium separatum habentes, exhibere debent *relationem status propriae cuiusque ecclesiae,* conficiendam iuxta *Instructionem* editam a S. Congregatione Concilii quae prostat penes Ferraris, verb. *Limina,* Addit. *Casin.*

Etiam *Vicarii Apostolici,* sive sint charactere episcopali insigniti, sive eo careant, ad id tenentur, non quidem *vi* Constitutionis *Romanus Pontifex* Sixti V, utpote quae respicit Praesules, qui Dioecesi canonice erectae praesunt; bene vero tenentur *vi officii.*

Sed quoniam alia prorsus est conditio Ecclesiarum rite constitutarum, alia Missionum, quae ob difficultates et angustias, inter quas haud raro versantur, proprii Pastoris solatio maxime indigent, *plerumque haud expedit,* ob ss. Liminum visitationem, Vicarios Apostolicos ab eorum residentia discedere. Quamobrem integrum ipsis erit hoc munere per procuratorem, etiam in Urbe existentem, perfungi (S. C. *de Prop. Fide,* 1 Iun. 1877: *Collect. eiusd. Congr.* pag. 47, n. 109, et etiam n. 82).

V. Episcopi tenentur eligere in altaris ministros *dignos* dumtaxat, et excludere *indignos.* S. Franciscus Salesius contremiscebat, dum hanc obligationem perpendebat, ideoque Sanctus neminem ad Ordines admittebat, quem bona vita non comitabatur, nulla in hoc habita ratione commendationum, nobilitatis, vel doctrinae, dum doctrina, quae malam vitam sociam habet, maiori detrimento est, quia vitio auctoritatem adducit... Hoc idem innuit S. Paulus (I Tim. 5, 22) cum dixit: *Nemini cito manum imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*S. Alph. Hom. Ap.* tr. VII, n. 47 sq.).

Quoad ordinandos *militiae addictos,* S. C. Conc. die 26 Ian. 1895 sic declaravit:

Pro clericis ordinandis iam militiae addictis, sub poena a Const. *Apostolicae Sedis* comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius dioecesi *per trimestre* commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat *per iuramentum suppletorium.*

VI. Episcopi debent eligere *bonos Parochos.* Alterum gravissimum disciplinae caput, quod praecipue in populorum sanctifica-

tionem redundat, est optima, quoad eius fieri potest, Parochorum electio, qui haud impares ad tanti muneris onera sustinenda vires habere demonstrent (S. C. de Prop. Fid. 22 Iul. 1791; *apud Collect. eiusdem S. C.* n. 193).

Quoad Parochos, iam compertum est, praeferendos esse *digniores,* spectata qualitate concurrentium, nempe consideratis, prudentia, aetate, meritis, sed maxime *scientia* et *vitae probitate.* Quoad *scientiam* potest bene Episcopus se conformare examinatorum iudicio; sed sua praecipue diligentia sit, ut ipse cognoscat *de vitae probitate,* inquirendo notitiam a diversis. In dubium revocanda non est maxima S. Francisci Salesii, quod in curis animarum *praeferendi sunt sufficienter docti* doctioribus, qui spiritu sunt inferiores. Et S. C. Concilii de Parochorum electione sic declaravit: *Praeferendus est minus doctus (modo idoneus), quando eius mores sunt approbati, doctiori, cuius vita ignoratur.* Pro certo habendum, Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochum doctiorem, sed minus probum, toto anno (*S. Alph. loc. cit.* n. 54).

VII. Episcopi tenentur, *habita notitia vacationis ecclesiae parochialis,* idoneum in ea Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore provideatur (*Conc. Trid. sess.* 24, *cap.* 18).

Quod si Sacerdos sine rationabili et gravi causa renuat Episcopo suo obedire, potest idem Episcopus se gerere iuxta sequentes dubiorum resolutiones:

1° Utrum liceat sacerdotibus, qui beneficiis veri nominis non pollent et speciatim Vicariis curatis, oeconomis et cappellanis, derelinquere officia ab Episcopo illis commissa, non obtenta prius eius licentia?

2° An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut persistant in suo officio, saltem usquedum ipsis providere valeat per idoneum successorem?

3° Utrum sub eodem praecepto obedientiae, et iisdem intentatis censuris, possit Episcopus sacerdotes otiosos et sanitate suf-

fultos, compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, saltem donec illis fas sit providere Pastorem?

4° Num praeter a iure statutas, ad corrigendos Parochos, qui otiosi et socordes negligunt propria officia et admonitiones et minas minimi faciunt, hac miserrima aetate, conveniens sit inferre censuras, et speciatim suspensionem a missa diebus ferialibus, vel etiam extra Paroeciam?

R. Ad 1^{um} Prout exponitur, negative.

Ad 2^{um} Affirmative, quoties ex officii dimissione grave detrimentum curae animarum sit obventurum. Est tamen Episcopi sollicite providere de idoneo successore praesertim cum rationabili de causa dimissio expostulatur.

Ad 3^{um} Affirmative, gravi urgente necessitate, et ad tempus.

Ad 4^{um} Episcopus utatur iure suo, prout et quatenus de iure, perpensis tamen temporum et personarum adiunctis. — S. C. C. 17 Ian. 1886 (Bucceroni, *Supplem.* ad Ferraris vol. IX, v. *Episcopus,* n. 17).

VIII. Debent Episcopi eligere *bonos Confessarios*. Nam a Confessariis pendet directio conscientiarum omnium subditorum, et unus Confessarius, qui sit ignarus aut moribus pravis, potest totam Religionem perditam facere. Non debet igitur Episcopus aliquem probare, quin prius certus fiat de eius probitate et doctrina, examinando eum super Theologia morali (*S. Alph. ibid. n.* 56).

IX. Tenentur Episcopi vigilare et omni ope adniti, ut *Seminarium Clericorum optima directione constitutum habeant:* ab hoc enim postea seligentur Parochi, Confessarii et ceteri Sacerdotes... Si Seminarium erit male directum, eveniet quod etiam illi, qui tamquam Angeli ingrediuntur, paulo post tempore daemones evadent, et ipsi suae vitae contagione contaminant totas suas regiones... Expedit, ut Episcopus persaepe adeat Seminarium, et semel aut bis in anno particulare scrutinium faciat, interrogando quemvis Seminaristam, an adsit aliquod inconveniens (*S. Alph. loc. cit. n.* 53), ubi plura super re docentur.

X. Episcopi tenentur *mores in populo, disciplinam in Clero, nitorem et decorem in ecclesiis fovere et promovere;* ad hoc enim Pastorum officio funguntur (Cf. *Conc. Trid. sess.* 24, *cap.* 3, *de Ref.*).

XI. Episcopi stricte tenentur opportunis remediis providere, *ut Rubricae et Decreta Sacrae Rituum Congregationis rite serventur*. Si quid vero dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. Congregationem pro declaratione (S. R. C. die 17 Sept. 1822, confirm. a Summo Pont. N. 2621. ad 1[m]).

XII. Episcopi tenentur invigilare *super clausura Monialium*. Nam Concilium Tridentinum *(sess. 25, cap. 5, de Ref.)* universis Episcopis, sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, praecipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis *ordinaria*, in aliis vero *Sedis Apostolicae auctoritate*, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent. « Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire, Monialesque invisere sine Custodis, nempe Episcopi, iussu licere nemini; ac propterea debere omnes huiusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse eius directivae auctoritati » (Bened. XIV, Const. *Gravissimo*, 31 Oct. 1749, § 3; *Instit.* 29, n. 4).

XIII. Episcopi debent *concordiam, pacem et unitatem* non solum inter Ecclesiasticos, sed etiam inter laicos fovere; *pupillis, viduis, aliisque pauperibus oppressis auxilium praebere;* super scholis, hospitalibus, orphanotrophiis, carceribus etc. vigilantiam exercere, et pro viribus curare, ut fidei ac religionis thesaurus servetur. « Pergite, ita Leo PP. XIII ad Episcopos Italiae, fidelium pietatem incendere, eos ab erroribus et a seductione, quibus undique urgentur, incolumes servare; pauperes et miseros omnibus, quos christiana charitas vobis suggeret, modis benigne solari. Labores vestri fructu steriles numquam erunt, quaecumque fuerint rerum vicissitudines atque hominum existimatio; utpote qui ad sublimiorem, quam hae mundanae res sint, scopum a vobis diriguntur. Demum etsi forte contingat, eosdem labores aut praepediri aut destrui, vos tamen damnorum, quae propter obices ab adversariis pastorali vestro ministerio interpositos Italiae obvenire poterunt, cautione liberabunt »... (*Epist. Encycl. ad Episcopos, Clerum et Populum nationis Italicae*, 5 Aug. 1898; apud *Act. S. Sed.* vol. 31, pag. 129; et vid. etiam *alia Encycl. ad Episcopos Galliae*, 8 Febr. 1884, apud eamd. ephemerid. vol. 16, pag. 241).

XIV. Episcopi debent operam suam impendere, ut *haereses* e sua qualibet dioecesi eliminent. Inter praecipuas pastoralis muneris curas, ita Benedictus XIV, (*de Synod. dioec.* lib. IX, cap. 4, n. 3) est, solerter invigilare, ne ullus contra orthodoxam doctrinam error in suam dioecesim irrepat; quod luculenter expressit Apostolus I ad Timotheum, cap. 3, et ad Titum, cap. I. Hinc nemo dubitat, quin ad Episcopum potissimum pertineat in haereticos inquirere, atque in illos, quos in suis erroribus pertinaces compererit, canonicis poenis severe animadvertere.

XV. Episcopi seu Ordinarii, qui, peracto examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegant eumdem publicandi, *tenentur* auctori rationes denegatae licentiae indicare, *si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax* (S. C. Indicis, die 3 Sept. 1898).

XVI. Episcopi tenentur, post adeptam Sedis possessionem, *Missam applicare pro populo* omnibus Dominicis aliisque festis diebus, tum de praecepto, tum suppressis (S. C. C. 9 Iul. 1881; S. R. C. 12 Nov. 1831, ad 20 et 22. N. 2682).

Hinc Leo PP. XIII decrevit et declaravit: « omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, *in Dominicis aliisque festis diebus,* qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri ».

Declaravit insuper, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem *unius Missae* pro universo populo sibi commisso, *etiamsi duas vel plures dioeceses et Abbatias* aeque principaliter unitas regant. Declaravit demum, ad id non teneri Episcopos *Titulares* (Const. *In suprema* IV Idus Iun. 1882; Act. S. Sed. vol. 14, pag. 529).

XVII. Tenentur Episcopi, maiori qua possunt cura, advigilare, ut suis in dioecesibus *pia legata debitae executioni mandentur,* praescriptae celebrentur Missae, eaedemque iuxta piorum fundatorum voluntatem applicentur. Hinc Tridentinum in cap. 8, sess. 22,

de Ref. edixit: *Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure permissis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores.* Quod autem spectat ad Missarum celebrationem, in Decretis Urbani VIII, confirmatis ab Innocentio XII per suam Constitutionem, cui initium *Nuper a Congregatione,* haec verba leguntur: *Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis, et in ecclesiis quoquo modo, etiam in vim decretorum Concilii Tridentini, sibi subiectis, Missae, ea qua par est fide et diligentia, celebrentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur.*

Haec autem omnia comprehendunt quoque *Praelatos inferiores,* habentes territorium separatum et iurisdictionem quasi Episcopalem in dioecesi sibi assignata; in qua videlicet possunt quidquid potest in sua dioecesi Episcopus, iis tantummodo exceptis, quae pendent ab Ordinis potestate (Vid. Bened. XIV, de Syn. lib. XIII, cap. ult. n. I, sq.).

XVIII. Tenentur Episcopi invigilare, ut exacte observetur Decretum S. Congregationis Concilii diei 25 Maii 1893, incip. *Vigilanti,* a Summo Pontifice approbatum, quo severe *prohibetur quodlibet damnabile lucrum ex eleemosynis Missarum.* Declaravit inter alia, turpe mercimonium sapere, ideoque improbandam et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercendam esse ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi rationem, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt (Vide Decr. S. Congr. Conc. diei 11 Maii 1904).

XIX. Debent Episcopi *mulctas et poenas pecuniarias locis et usibus piis* vel *pauperibus applicare* (*Conc. Trid. sess.* 6, *cap.* I; *sess.* 23, *cap.* I; *sess.* 25 *de Ref. cap.* III).

XX. Debent Episcopi procedere *contra Confessarios de nomine complicis poenitentes interrogantes,* eidemque poenitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: dummodo tamen huiusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis coniunctus sit ac convestitus, quae sic agentem Confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel

alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant (Bened. XIV, Const. *Ubi primum,* 2 Iun. 1746, § *Similiter*).

XXI. Tenentur Episcopi observare praescripta a Benedicto XIV in Constit. incip. *Sacramentum Poenitentiae,* edita die 1 Iunii 1741, quae ad haec quatuor maxime capita reducuntur:

1° *Omnes locorum Ordinarii* aeque ac Inquisitores deputantur *Iudices ad inquirendum* et procedendum, et condignis poenis animadvertendum *contra sollicitantes* ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos.

2° Omnes Sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, *obligantur monere suos poenitentes,* ut sollicitantes huiusmodi, quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent.

3° Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus, qui innoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos Iudices *falso* sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat.

4° Sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales confessiones *personae complicis* in peccato turpi contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter Sacerdos desit, qui Confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat. Et Apostolicae Sedi reservatur eoram Confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint. Videatur *duplex Instructio* S. Officii, una edita die 20 Febr. 1867; altera 6 Aug. 1897; apud *Nouv. Rev. Théol. tom.* 8, pag. 322; et *tom.* 30, pag. 155; tom. 25, pag. 491.

XXII. Episcopi tenentur *ad praedicationem Evangelii.* Nam Tridentina Synodus statuit et decrevit « omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi Evangelium. Si vero contigerit, Episcopos et alios praedictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilii, viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere con-

tempserit, districtae subiaceat ultioni » (*Sess.* V, *cap.* II, *de Ref.; et sess.* 24, *cap.* IV, *de Ref.*).

XXIII. Episcopi curare omnino debent, prudenter tamen et caute, *ne infantes* domi baptizentur; et abusus, qui in hac re irrepserunt, removeantur, et infantes iuxta praescriptionem et communem praxim ad Ecclesiam baptizandi deferantur (S. R. C. die 27 Apr. 1877. N. 3418).

XXIV. Episcopi curare debent, ut saltem Dominicis et aliis festivis diebus, *pueri* in singulis Parochiis circa *fidei rudimenta* et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, edoceantur (*Conc. Trid. sess.* 24, *cap.* IV, *de Ref.* Pius X Litt. Encycl. *Acerbo nimis* 15 Apr. 1905).

XXV. Episcopi et Parochi omni studio adlaborent, *ut a parentibus filii mittantur ad christianam perdiscendam Doctrinam,* et quoties monita et praecepta in re tanti momenti suo careant effectu, poterunt quidem Episcopi ea quoque adhibere remedia, quae in eorum potestate sunt ad continendos in officio fideles inobedientes (S. C. de Prop. Fid. 13 Apr. 1807; apud *Collectan. eiusd. S. C.* pag. 773, n. 1898).

XXVI. Satagant Episcopi, ut quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus, *plebes sibi commissas,* pro sua et earum capacitate *pascant salutaribus verbis,* docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem; annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sequi oporteat (*Conc. Trid. sess.* V, *cap.* II, *de Ref.*).

XXVII. Episcopi *in recitatione Officii* tenentur se conformare ritui propriae Ecclesiae, etiamsi ab ea absint (S. R. C. die 10 Iul. 1677. N. 1599 ad 2^{m}).

XXVIII. Episcopi etiam *Regulares* tenentur Officium recitare et divina Officia celebrare *iuxta ritum suae respectivae Dioecesis* (S. R. C. die 11 Iun. 1605. N. 181 ad 1^{m}).

XXIX. Episcopi *Regulares* tenentur uti Cappa pontificali *coloris propriae Religionis;* renuentes sunt opportunis remediis coercendi (S. R. C. die 12 Ian. 1636. N. 628).

XXX. Episcopi tenentur speciali modo celebrare *Anniversarium* suae Electionis; et dies electionis habetur ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio (Die 8 Maii 1886. N. 3661 ad 3).

XXXI. *Quoad Reliquias SS. Crucis in Cruce pectorali inclusas.* Cum Reliquiae SS. Crucis in die rariores fiant ac merito timendum sit, ne paullatim non facile suppetant, quae ipsis Episcopis, veluti proprium suae dignitatis gestamen, rite tradantur; ex iussu SS. D. N. Leonis XIII Rmis Episcopis enixe commendatum volumus, ut SS. Ligni particulas, quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, Successoribus suis transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem (studio et opera Capituli Cathedralis, vel eius qui, vacante Sede Episcopi vices gesserit), ad hoc perveniant legitimo haereditatis iure. Quo pacto novis Episcopis nulla erit necessitas alias non sine difficultate aliunde quaerere, sed omnes tamquam sibi et officio suo addictas et destinatas in promptu paratas habebunt, ceteris qui sequentur suo tempore transmittendas. — Quod de *Crucis dumtaxat Reliquiis* intelligendum est... (*Litt. Encycl. Urbis Vicariatus* 26 Mart. 1889 ad omnes Episcopos; apud Collect. S. C. de Prop. Fid. pag. 60, n. 140).

XXXII. Episcopi de mandato Clementis VIII monentur, ut per totam suam Dioecesim, ac praesertim in iis locis, qui a Civitate et Cathedrali Sede longius remoti sunt, *Poenitentiarios, aliosque Sacerdotes* constituant ac delegent, quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis concedant, *ita ut his quoque liceat eamdem aliis Confessariis* si opus sit, etiam viva voce *impartiri;* idque maxime in solemnioribus et praecipuis anni festivitatibus, ut peccatores, quibus obvia et facilis fuerit huiusmodi Sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur (*Litterae S. C. Ep. et Reg.* de die 26 Nov. 1602, apud Bizz. pag. 15 sq.).

XXXIII. Episcopi monentur, ne illos Casus promiscue reservent, quibus annexa est *excommunicatio maior a iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit,* nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi Casus nominatim reservandi viderentur. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione, propter periculum scan-

dalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid cadere potest (S. C. Ep. et Reg. loc. cit.).

XXXIV. Episcopi ius vel obligationem habent cogendi *Synodum dioecesanam,* nempe Congregationem conflatam ex Presbyteris et Clericis suae respectivae Dioecesis, aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de iis, quae curae pastorali incumbunt, agitur. Synodus dioecesana, attento decreto Concilii Tridentini, *sess.* 24, *cap.* 2, *de Ref., quotannis* celebrari deberet (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioeces.* lib. I sq.).

XXXV. *Episcopi observare debent decretum S. C. C. de Clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis* (1).

« Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta, et canonicas sanctiones, *tit.* 22, *lib.* I *Decret.,* ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina S. Concilii Congregatio, de speciali mandato SSmi D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios die 27 mensis Iulii 1890 datis, legem tulit, qua Italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret. Huiusmodi regulae hae sunt:

1. « In futurum prohibentur omnino Italiae Episcopi et Ordinarii concedere suis presbyteris e clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

2. « Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis,

---

(1) Apud *Acta S. Sed.* vol. 36, p. 355 sqq. et 757, ubi refertur correctio quaedam officialis peragenda, a nobis iam facta.

sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen, bonum testimonium habens intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet numquam a se maculatam iri sacerdotalem dignitatem exercitatione vulgarium artium et negotiationum.

3. « Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso Ordinario Americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione, una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam S. Congregationem Concilii referat. Quae si tamen assentiatur, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum Americano Antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem.

« Ex ea dioecesi ad aliam in America eidem sacerdoti emigrare ne liceat absque nova sacrae Congregationis licentia.

4. « Excluduntur in quavis hypothesi presbyteri ritus orientalis.

5. « Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiares honestas ac temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de cetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipsae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

6. « Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americam ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio ».

Hac lege noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera

art. 5 superius recensiti interpretatione, salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad insulas Philippinas.

Quare Emi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorumdem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis Iulii 1890 sub numm. 1, 2, 3, 4, et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub num. 5 concessa circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis, ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana caritas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis Clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis et monito per epistolam Episcopo loci ad quem sacerdos proficiscitur. Quoad vero Sacerdotes Orientalis ritus serventur dispositiones datae a S. C. de Propaganda Fide litteris diei 12 Aprilis 1894.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis sa-

cerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae sacerdotibus venia expetenda sit a S. Congregatione Concilii; pro Americae vero aliarumque regionum sacerdotibus, a Delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad Insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas: et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. X in audientia diei 17 Septembris p. e. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Decreta Emorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die 14 Novembris 1903.

† V. Card. Vannutelli, Ep. Praen., *Praef.*

L. ✠ S.

C. De Lai, *Secret.*

XXXVI. *Episcopi quoad clericos servitio militari obnoxios.*

Dubitatum est: « An dispositiones, quibus cavetur, ne clerici servitio militari subiecti promoveantur ad Ordines Maiores ante expletum ipsum servitium militare sint praeceptivae, vel tantum directivae?

Et SS. C. Univ. Inq. respondit *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam* (Die 31 Aug. 1904, approb. a Summo Pontifice).

Lector probe meminit, binas *Instructiones* e Sancta Sede prodiisse relate ad clericos *servitio militari obnoxios,* quarum prima a S. C. Univ. Inq. edita fuit sub die 16 Sept. 1875 (*apud Acta S. Sed. vol.* 23, p. 40 vel 44); altera prodiit e Sacra Congr. super Discipl. Regul. die 27 Nov. 1892 (*loc. cit. vol.* 25, p. 635). Prima Instructio data fuit Episcopis Italiae, ubi exhibentur quaedam normae, cautelae et praescriptiones pro eorumdem Episcoporum directione quoad Clericos *saeculares* militari servitio addictos; et praeter alia praecipit, ut *promotio ad sacros Ordines differatur usque ad servitii militaris expletionem.* In Epistola vero S. C. super

Disciplina Regulari similem Instructionem misit ad Superiores Generales Institutorum Regularium Italiae pro eorum subditis circumscriptioni militari subiectis, et inter cetera praescribentem, ut *professio solemnis et ad sacros Ordines admissio* retardari debeant post expletum militare servitium (Cf. Lib. VIII huius op. p. 483).

Et notandum, quod etsi hodierna declaratio S. O. respiciat praesertim Clericos saeculares, tamen indubium est eam comprehendere etiam Clericos regulares, quorum proinde nedum *admissio ad sacros Ordines,* prout pro Clericis saecularibus, sed etiam *professio solemnis* retardari debet post completum servitii militaris tempus.

Iamvero in dubio superius exposito quaeritur, utrum praefatae dispositiones sint *praescriptivae,* vel tantum *directivae?* Et responsum fuit, esse *praescriptivas,* adeoque omnino observandas.

Quaeritur ulterius, an huiusmodi dispositiones vim praeceptivam habeant etiam extra Italiam? Respondetur, nihil quoad hoc inveniri expresse declaratum a competenti auctoritate. — Ex una parte videtur affirmative respondendum; siquidem milites, qui actu militiae saeculari sunt addicti, ab Ordinibus sacris, ex Ecclesiae lege seu sacris Canonibus arcentur *sine ulla distinctione populorum.* Et ratio patet; nam vita militaris tum ob libertatis defectum, tum ob pravos mores, cum statu clericali conciliari vix aut ne vix quidem potest. — Ex altera parte, perpensis memoratis Instructionibus, dispositiones, de quibus loquimur, vim praeceptivam habere non videntur pro clericis extra Italiam. Quam sententiam nos probabiliorem esse arbitramur. Et revera utraque Instructio directa fuit ad Episcopos Italiae, italico idiomate conscripta atque data fuit occasione infaustae legis a Gubernio italico promulgatae. Recens porro rescriptum S. Officii supra allatum praedictas dispositiones simpliciter *declarat,* non autem *extendit* praedictas dispositiones.

Ex praenotatis, concludi posse videtur, saepedictas dispositiones quoad clericos militiae obnoxios vim *praeceptivam* pro clericis *respective* saecularibus et regularibus in Italia, *directivam* autem extra Italiam habere (Cf. *Acta S. Sed.* vol. 37 p. 239). Vide tamen dubium et resolutionem sequentem.

Dubium. Emus Card. Archiepiscopus Pragensis die 2 Decembris 1903 quae sequuntur exposuit:

« Iuxta leges ecclesiasticas pro ordinatione candidatorum in alia dioecesi tanto tempore commorantium, ut ibidem impedimentum canonicum contrahere potuerint, litterae testimoniales ab Ordinario illius dioecesis necessariae sunt. Tempus, quo candidati aliquod impedimentum iuxta communiter contingentia contrahere potuissent, respectu servitii militaris trimestre, secus autem — saltem iuxta plures — semestre statuitur, quamvis non desint, qui brevius statuant temporis spatium. Iam vero dubium est, utrum litterae testimoniales pro eiusmodi candidatorum ordinatione nonnisi tunc sint necessariae, cum requisitum temporis spatium per continuam eorum in alia dioecesi commorationem fuerit adimpletum, an etiam tunc, cum idem ipsum temporis spatium non quidem per continuam, tamen vero per iteratam in respectiva dioecesi ex parte candidatorum commorationem completum fuerit ».

Resolutio. S. C. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 25 Iunii 1904 rescripsit: « *Ordinarium non teneri sub poena suspensionis ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis, salvo iure Episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minori vel discontinua commoratione, aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit* ».

XXXVII. *Episcopi quoad religiosas Familias.*

De iuribus et officiis Episcoporum erga Regulares seu religiosas familias non semel egimus in decursu operis et adhuc agendum erit. In hac paragrapho brevis commendatio exponitur facta a Patribus Concilii Vaticani super vera animorum concordia magis constabilienda inter clerum saecularem et regularem, iuxta *schema,* quod subnectimus.

Schema Constitutionis de Regularibus Patrum examini propositum.

Dolendum vehementer est, malorum quorumdam hominum nequitiam eo processisse, ut Religiosos Ordines tamquam Institutiones iam inveteratas et obsoletas, nostroque aevo neutiquam accommodatas, sed potius noxias temere renunciarent; perinde ac si Evangelica Consilia a Christo Domino ad assequendam perfectionem

tradita quandoque essent societati obfutura: quodque deterius est, hi nunquam desinunt malis quibusque artibus in ipsos Ordines contemptum excitare ac fovere, quo facilius valeant ad eorum destructionem pervenire. Hinc Nos, sacro approbante Concilio, falsas ac malignas huiusmodi insinuationes artesque reprobantes, fideles omnes enixe in Domino exhortamur, ut non modo talibus abduci non patiantur doctrinis atque exemplis; verum etiam ut religiosis familiis tantopere de Ecclesia et de civili societate benemeritis, existimationis, devotionis et amoris signa constanter exhibeant.

Insuper inhaerentes vestigiis nostrorum Praedecessorum omnibus inculcamus Ecclesiarum Praelatis, ut easdem Religiosas familias benevolo diligant affectu, paterna charitate tractent, modis omnibus adiuvent, foveant ac tueantur: omneque potissimum studium conferant ad veram animarum concordiam inter Clerum saecularem et regularem magis constabiliendam ac servandam, ut arctissimo inter se charitatis vinculo obstricti, coniunctis viribus agrum dominicum excolere, et praeliari Christi praelia possint, atque Ecclesiae hostes profligare, qui omni conatu illam (si fieri posset) destruere commoliuntur.

Tandem Superiores Ordinum ac Regulares omnes graviter monemus, ut debita reverentia, obsequio et honore Episcopos prosequantur, nihilque eorum iuribus detrahant, quin imo adiutricem eis operam in sacri Ministerii officiis obeundis iuxta proprium institutum alacriter praestent, vota, quae in professione Deo nuncuparunt, fideliter reddant, regularem observantiam et disciplinam sedulo servent, seque religiosos non habitu tantum, sed et virtute ac spiritu, quo sancti eorum Fundatores animati erant, ostendant, ut propriam sanctificationem assequi, et Ecclesiae utilitati, ac populis aedificationi esse possint. (Ex libro, cui titulus: *Omnium Concilii Vaticani... Documentorum Collectio,* per Conradum Martin, Episcopum Paderbornensem, Editio altera. — Paderbornae... 1873; pars tertia, pag. 235).

XXXVIII. Episcopi excipere debent Generales Ordinum pariformiter ac Praelatos, iuxta sequentem resolutionem:

Episcopus *Lauden.* a S. R. C. declarari postulavit: *Quomodo excipiendi et tractandi sint ab Episcopo Generales Religionum?*

Sacra Congr. die 6 Apr. 1680 respondit: *Generales Ordinum tractandos esse ab Episcopo tam in eis comitandis, quam in aliis functionibus honorariis, pariformiter ac Praelatos, quorum Dignitati aequiparantur, ut disponit Caeremoniale Episcoporum*, lib. I, cap. 13, § 12 (N. 1646 ad 1).

XXXIX. *Munera et iura Episcoporum quoad Moniales et quoad Sorores votorum simplicium.*

1° Ius est Episcopi approbare Confessarios tam regulares quam saeculares, ad audiendas confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum (Greg. XV, Const. *Inscrutabili*).

2° Debent Episcopi observare regulam, qua *generaliter* statuitur, ut pro singulis Monialium monasteriis *unus* dumtaxat Confessarius deputetur (Benedictus XIV, Bulla *Pastoralis curae*).

3° Praeter Confessarium ordinarium, alius *extraordinarius* ab Episcopo et aliis Superioribus, *bis* aut *ter* in anno Monialibus offerendus est (*Conc. Trid. sess.* 24, *cap.* 10 *de Regul.;* Bened. XIV, Bulla cit.).

4° Summus Pontifex Leo XIII *hortatur* Ordinarios, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, *idoneos Sacerdotes* facultatibus instructos *designent*, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant (Decr. *Quemadmodum*, relat. in lib. IV, pag. 313).

5° Debent Episcopi curare observantiam citati decreti *Quemadmodum*, quo *manifestatio conscientiae* omnino prohibetur tum pro monasteriis Monialium etiam votorum *solemnium*, tum pro Institutis votorum *simplicium utriusque sexus*, iis dumtaxat virorum Institutis exceptis, natura ac regimine prorsus ecclesiasticis.

6° Iura Episcoporum sunt, in Dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos Sodalitatum (seu religiosarum familiarum votorum simplicium) condi, — item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri; — Sacrum fieri in domesticis Sacellis; — Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. — Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare (Leo XIII, Const. *Conditae*, sexto idus Decembris 1900, a nobis relata in lib. IV *de Monialibus*, pag. 333).

7° Ius est Episcopi *taxare numerum Monialium* in Monasteriis *non exemptis*. In Monasteriis vero *exemptis* et Regularibus subiectis spectat pariter ad Episcopum, sed cum interventu Superiorum Regularium (Greg. XIII Const. *Deo sacris*).

8° Ius est Episcopi, sive per se sive per alium, *explorandi puellas* an coactae an seductae sint, an sciant quid agant tum antequam recipiantur ad habitum Religionis, tum antequam admittantur ad professionem.

9° Ius est Episcopi, si ei expedire videtur, *Sororibus votorum simplicium* clausuram praescribere, eo quidem modo, qui iuxta indolem et scopum cuiuslibet Instituti congruentior et melior ab ipso iudicabitur (Vid. dicta de *Monialibus,* lib. IV).

10° Episcopo potestas est alumnas Sodalitatum *dioecesanarum* professas *dimittendi,* votis perpetuis aeque ac temporaneis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis (*Constit. cit.* ubi alia plura iura Episcoporum recensentur).

A Moderatoribus quorumdam Institutorum *dioecesanorum* Sacrae Congregationi Ep. et Regul. sequentis dubii circa votorum dispensationem solutio proposita fuit, nempe:

An dispensatio votorum pro Monialibus domorum *filialium* in Dioecesi existentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competat Ordinario domus filialis, vel potius Ordinario domus principis?

S. Congregatio, audito Consultorum voto atque attenta Constitutione *Conditae a Christo Ecclesiae* die 21 Ap. 1903 respondendum mandavit:

Ad primum *Affirmative.*

Ad secundum *Negative* (*Acta S. Sed.* vol. 35, pag. 721).

11° Non debent Episcopi seu Ordinarii admittere Sorores, ex aliena Dioecesi advenientes, ad colligendas eleemosynas, *nisi prius eamdem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint* (Decr. S. C. EE. et RR. 27 Mart. 1896).

CAPUT IV.

Iura et facultates Episcopis competentes.

§ I. *Facultates a Concilio Tridentino et a S. Sede recentius Episcopis concessae.*

200. Episcopi vigore Sacri Concilii *sess.* 24, *cap.* 6, LICEAT, sequentes habent facultates: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

Quare Episcopi vigore dicti capitis *Liceat,* dispensare possunt in omnibus *irregularitatibus* et *suspensionibus Papalibus* incursis ob *delictum occultum,* excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Dictum est ob *delictum occultum,* quia nequit Episcopus vigore praedictae facultatis dispensare in aliqua irregularitate occulta *ex defectu.* Sed insuper possunt Episcopi absolvere proprios subditos vel per se, vel per alium Sacerdotem ad id specialiter deputatum, *a casibus Papalibus occultis.* Quinimo iuxta Concilium *poterant antea etiam ab haeresi absolvere* (per se, non per alios), sed per Bullam Coenae *istiusmodi facultas fuit Episcopis adempta,* et Romano Pontifici reservata (S. Alph. *Theol. Mor.* tom. I, Append. *de Privilegiis,* n. 38; Bened. XIV, *de Syn. lib.* IX, cap. 4, n. 6 sq.).

201. Facultas Episcopis concessa a Tridentino in cap. *Liceat,* non fuit ablata per Constitutionem *Apostolicae Sedis.* Nam Summus Pontifex Pius IX sic declaravit: *Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam*

sess. 24, *cap.* 6, *de Ref. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.*

202. Quamvis Episcopis adempta sit facultas absolvendi ab haeresi etiam occulta, possunt tamen ipsi Episcopi resipiscentem haereticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum, Ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresim incidit. Quinimo possunt etiam poenitentem haereticum, postquam suos eiuravit errores, ad simplicem Confessarium remittere, ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licet a Confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cuius iurisdictione promanat (Bened. XIV, loc. cit. n. 3).

203. Iam antea per responsum S. Congregationis, datum Episcopo Biluntino die 2 Ianuarii 1669 (quod decretum iuxta responsum a S. Officio die 21 Dec. 1895 Episcopis Borussiae datum adhuc viget) declaratum est: posse Episcopos auctoritate *ordinaria* haereticos sponte comparentes in exteriore foro absolvere « post *abiurationem iuridice* factam ».

204. Ne vero sensus relati Decreti ansam praeberet dubiis, quidam Episcopus petiit declarari: Num possit Episcopus *ordinaria* sua facultate absolvendi haereticos etiam tunc uti, si non fiat abiuratio in stricto sensu *iuridica*, sed coram solo Sacerdote ab Episcopo delegato, aut coram tali Sacerdote et teste?

Congregatio S. Officii, die 28 Martii 1900, respondendum mandavit:

Respondeatur Episcopo ad mentem. Mens est quod abiuratio fieri potest coram quopiam ab Episcopo delegato ut notario et aliquibus personis uti testibus: et detur instructio 8 *Aprilis* 1786 *ad Episcopum Limericen.*

Praefata instructio sic se habet: « *Non est necesse, ut qui a catholica fide defecerunt, ad eamque postmodum reverti cupiunt, publicam abiurationem praemittant, sed satis est, ut privatim coram paucis abiurent, dummodo tamen promissa servent, ac revera abstineant communicare cum haereticis in spiritualibus*

aut quidquam facere quod haeresis protestativum sit. Idem sentiendum de iis qui haeresim, in qua usque ab initio educati fuere, privatim abiurent ». Quam resolutionem approbavit Leo PP. XIII (Apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. 32, pag. 415; *Acta S. Sed.* vol. 32, pag. 695).

205. Ad Episcopum spectat cognoscere causas omnes *ad forum ecclesiasticum* quomodolibet pertinentes in prima earum instantia: *Causae omnes,* ita Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 20, *ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur* ». Ea verba « *Causas omnes* » proculdubio civiles universas, de criminibus ac de beneficiis agentes complectuntur (Bened. XIV, *Instit.* 40, n. 2).

206. Episcopi qui *potiuntur facultate* dispensandi quoad sacram Ordinationem *a defectu aetatis unius anni,* dispensare possunt Clericos tam saeculares, quam *regulares.* Sane in facultatibus *quinquennalibus* S. C. de Propaganda Fide sub formula III, n. 13, conceditur facultas: *Dispensandi super defectu aetatis unius anni, ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint* ». Exorto dubio, utrum haec facultas extendatur etiam *ad Regulares,* S. C. Rom. et Univ. Inquisitionis, die 29 Ian. 1896, confirmante Summo Pontifice respondit *Affirmative* (Apud *Acta S. Sed.* vol. 30, pag. 122).

207. Statutum est, *facultates omnes speciales,* habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad *successores Ordinarios transire* (S. Off. 24 Nov. 1897; *Acta S. Sed.* vol. 30, pag. 627).

208. Hinc *a)* in posterum clausula *durante munere* concessionibus adiecta, suppressa erit.

b) Facultates omnes habituales in posterum committentur *Ordinariis* locorum.

c) Appellatione *Ordinariorum* veniunt Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Praelati seu Praefecti habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus Generales, et Sede vacante Vicarius Capitularis

vel legitimus Administrator (S. O. die 20 Apr. 1898; *Acta S. Sed.* vol. 30, pag. 702; et vid. etiam vol. 20, pag. 543, *quoad dispensationes matrimoniales*).

209. Declaratum est etiam ab eodem S. O. die 3 Maii 1899, sub illis verbis « *facultates omnes speciales* HABITUALITER *a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas* » 1° comprehendi facultates omnes speciales a S. Sede Ordinariis concessas, quibus utuntur quoties voluerint, *licet ad praefinitum tempus;* cuiusmodi sunt facultates *de Poenitentiaria* dictae, reductionis Missarum etc.

2° Comprehendi etiam facultates, quibus dumtaxat uti valent *pro determinato casuum numero,* ut sunt facultates dispensandi a sacrae Ordinationis titulo, pro definito Ordinandorum numero.

3° Praeterea declaratum est, quod facultas benedicendi et delegandi *ad sacra paramenta benedicenda, quae Episcopis fuerit concessa,* transit etiam ob eorum mortem vel a munere cessationem ad successorem *Vicarium Capitularem,* quamvis Episcopali dignitate non insignitum (*Acta S. Sed.* vol. 32, pag. 60).

4° Denique declaratum est, facultates ante decretum diei 20 Apr. 1898, non Ordinariis, sed Episcopis *nominatim* concessas, intelligi debere in sensu eiusdem Decreti, ita ut etiam huiusmodi facultates ad successores *Ordinarios* transire intelligantur (S. O. die 5 Sept. 1900; apud *Nouv. Rev. théol.* tom. 33, pag. 91).

210. Episcopi (*Dioecesani*) *subdelegare possunt,* absque speciali concessione, suis Vicariis Generalibus, aut aliis Ecclesiasticis, etiam generali modo, *facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas;* dummodo tamen id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur: in hoc enim casu servanda erit adamussim forma Rescripti (S. O. die 14 Dec. 1898; *Acta S. Sed.* vol. 31 pag. 635).

211. Episcopus potest obtinere facultatem *res S. Congregationis S. Officii communicandi cum suo Vicario Generali* (sub eodem secreto S. Officii) ut ipse quoque advigilare possit pro earum exacta exsecutione (S. O. die 11 Iul. 1900, cum approb. Summi Pontificis. *Acta S. Sed.* vol. 33, pag. 372).

212. Episcopis solet dari facultas subdelegandi *Parochum* ad

accipiendum *iuramentum suppletorium pro matrimonio vagorum.* Id tamen non expedit in Synodo dioecesana inserere. Ceterum Episcopus utatur facultate biennali, quam habet ab hac Suprema Congregatione, vi cuius quemcumque Parochum subdelegare potest *ad iuramentum suppletorium recipiendum* (S. O. die 8 Aug. 1900. *Acta S. Sed.* vol. 33, pag. 373).

213. Episcopus concedere potest facultatem *alienandi* ecclesiasticam supellectilem *non pretiosam,* nec non illa bona, quae in canone *Terrulas* sunt expressa (Vid. fusius dicta in Lib. XI).

§ II. *Episcopus quoad quasdam Benedictiones.*

214. *a)* Conceditur Episcopis facultas solemniter impertiendi, Romani Pontificis nomine, *duabus anni solemnitatibus,* nimirum Paschate Resurrectionis alioque die festo solemni eorum arbitrio designando, *Benedictionem Apostolicam* populo in ecclesia congregato. Eadem facultas indulgetur, sed *semel in anno tantum,* Praelatis inferioribus, mitrae et Pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate *Nullius Dioecesis* habentibus. Praedictam tamen facultatem debent Praelati omnes postulare: *Facultatem huiusmodi,* ait Pontifex, *ultro ipsis oblatam, postulare et impetrare non praetermittant* (Clemens XIII, Const. *Inexhaustum;* vid. nostra *Collectio,* n. 569).

b) Benedictio Apostolica ab Episcopo dari debet absoluta Missa Pontificali, induto iisdem paramentis quae habuit in Missa, reassumptis etiam chirothecis, et (si habet usum Pallii et dies eiusdem usum concedit) Pallio ornato; quippe qui actionem exercet *plenitudinis Pontificalis dignitatis* (Die 23 Febr. 1884. N. 3605 ad IX in *Neapolitana*).

c) Benedictio in Missa solemni, etiam exposito SSmo Sacramento, non a Celebrante, sed *ab Episcopo* in throno eidem Missae, cappa vel pluviali induto, assistente dari debet (Die 12 Sept. 1884. N. 3618 ad 1).

d) Non becet imdertiri penedictionem Episcopalem *post benedictionem cum SSmo Sacramento* a Sacerdote populo collatam, cui Episcopus cappa indutus assistebat (Die 12 Sept. 1884. N. 3618 ad 2).

e) Non potest Episcopus (neque Vicarius Generalis) sive ex iure ordinario sive ex consuetudine, delegare Sacerdotes ad *benedictiones reservatas* in Rituali Romano descriptas (Die 2 Apr. 1875. N. 3343).

f) Episcopus nequit *iure ordinario* delegare ad benedictionem *sacrarum supellectilium, et campanarum* (S. R. C. die 16 Maii 1744. N. 2377 ad 4^{m}; et vid. Bened. XIV, *Inst.* 21, n. 9 sq.).

g) Nec etiam *suo Vicario Generali* potest Episcopus delegare *benedictionem paramentorum et utensilium Altaris,* nec consecrationem Campanarum, in quibus unctio Chrismatis intervenit (S. R. C. die 22 Sept. 1703. N. 2119; et vid. etiam N. 3190).

h) Episcopus habens facultatem delegandi Sacerdotes pro benedictione *sacrae supellectilis,* potest etiam eosdem subdelegare *pro benedictione sacrorum Vasorum,* dummodo sacra unctio non sit in iis adhibenda (Die 2 Dec. 1881. N. 3533).

i) Neque Episcopus neque ab eo delegati Sacerdotes impertiri possunt absque Apostolico Indulto *benedictiones* in recentioribus Ritualibus contentas, quae propriae sunt diversorum Religiosorum Ordinum (Die 2 Dec. 1881. N. 3533 ad 3).

§ III. *Limites quorumdam iurium seu facultatum in Episcopis, praesertim Titularibus.*

215. Non potest Episcopus privative a seipso nominare *Canonicos ad honorem.* De re propositum fuit hoc dubium: An Archiepiscopus N. privative a seipso Canonicos ad honorem nominare, etiamque hunc honorem quibusdam officiis veluti Doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare valeat; vel potius hoc agere consensu vel consilio Capituli?

S. C. C. die 6 Iul. 1867, respondit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam (*Collect. S. C. de Prop. Fid.* n. 71).

216. Non potest Episcopus quaestiones definire *ad fidei doctrinam pertinentes,* sed potest ac debet imperare, ut caveantur errores iam ab Ecclesia proscripti (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* Lib. VI, cap. III, n. 7).

217. Non potest Episcopus sibi arrogare partes *iudicis* inter gravissimos secum contendentes Theologos, in rebus scilicet, quae

auctoritate Ecclesiae non sunt decisae (Bened. XIV, loc. cit. Lib. VII, cap. XI, n. 2).

218. *Vicarii Apostolici nequeunt ex regula generali habere thronum.* Revera, quidam Vicarius Apostolicus haec exposuit: In ista insula (*Ceylan*), et generaliter in India praevaluit usus erigendi thronum, et concedendi indulgentiam 40 dierum, quotiescumque Vicarii Apostolici celebrant. Quaeritur ergo:

1. Utrum Vicarii Apostolici possint habere thronum, et concedere dictam indulgentiam, necne; et quatenus negative, quaeritur:

2. Utrum tolerandum propter usum, et ne veniat scandalum.

3. Utrum Missionarii debeant, vel possint dicere in Canone: *et Antistite nostro* N., nominando Vicarium Apostolicum.

Resp. Ad. 1. 2. et 3. *Negative* (S. C. de Prop. Fid. 24 Aug. 1852; *Collect. cit.* n. 126).

219. *Vicarius Apostolicus* non potest suis subditis concedere illas omnes Indulgentias, quas Episcopi *titulares* impertire possunt propriis subditis dioecesanis (*S. C. de Prop. Fid.* die 21 Sept. 1843; *cit. Collect.* n. 123; et vid. etiam n. 126).

220. *Episcopus Titularis et nulla iurisdictione* gaudens, nec potest solemniter assistere Missae per alium decantandae, nec solemniter peragere benedictiones Candelarum, Palmarum et Fontis, nec Absolutionem facere ad tumulum, *quin Missam ipsemet decantaverit* (S. R. C. die 9 Maii 1893. N. 3798).

221. Praefata dispositio per speciale *Monitum* S. C. in memoriam revocata est (ann. 1903) tum Rmorum Episcoporum, tum Rectorum Ecclesiarum (*Urbis praecipue, quae docere nata est, verbo et exemplo*) (*Acta S. Sed.* vol. 35. pag. 426).

222. Rursus eadem S. Congregatio die 16 Febr. 1867 ita declaravit: *Vicarii Apostolici,* cum non sint *Episcopi titulares Vicariatus* quem regunt, stricto iure nequeunt iis omnibus uti honoribus et privilegiis, quibus frui datum est Episcopis in suo territorio; unde nec *thronum* in Ecclesia habere, neque *Cappam magnam* deferre valent; nec etiam iis ius est, ut eorum nomina *Canone Missae memorentur.* Verumtamen sicubi vel ex rescripto vel ex consuetudine *mos inoleverit,* ut similibus a longo tempore

fuerint usi, et timor sit admirationis in fidelibus si videant morem illum innovari, tunc S. Sedes huiusmodi observantiam tolerare consuevit (Apud Bucceroni in *Supplem. ad Ferraris,* verb. *Vicarius Apostolicus,* n. 2).

223. Episcopus *Titularis* iurisdictionem exercere potest *in subditos,* si ad christianam Religionem convertantur. « Licet Episcopus Titularis revera subditis careat, eo quod solum infideles in ipsius Dioecesi versentur, tamen in illos iurisdictionem exercere potest, si ad christianam Religionem traducantur, vel si fideles aliqui in eam Dioecesim commigrarent, ibique domicilium suum constituerint ». Ita Bened. XIV, Constit. *Cum a Nobis* 4 Aug. 1747, verb. *Omittimus.*

Episcopus mere Titularis non habet votum decisivum *in Synodo Provinciali,* nisi omnes et singuli Episcopi consentiant, neque supra ceteros gaudet praecedentia, licet ante consecrationem acceperit, nec considerari potest ut Episcopus exemptus (S. C. C. die 25 Aug. 1850; apud cit. Collect. n. 125).

224. Episcopi *Titulares* ob potestatem Ordinis, qua plene post Consecrationem praediti sunt, valide quidem, sed illicite Ordines conferunt et Confirmationis Sacramentum administrant, *sine licentia Ordinarii,* in cuius Dioecesi degunt (Cf. Bened. XIV, loc. cit.).

225. Item Episcopi *Titulares* possunt vasa sacra et altaria dedicare, et sacris indumentis benedictionem elargiri, *si Ordinarius id permittat* (Id. Pontifex, *Inst.* 21, n. 15).

226. Episcopi sive Dioecesani, sive Titulares, *Crucem pectoralem* detectam gestare possunt ubicumque degant (S. R. C. die 20 Iun. 1899. N. 4035 ad 1^{m}).

227. Episcopus *administrator* in functionibus ecclesiasticis

1° Non gaudet omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur Episcopi in propriis Dioecesibus (S. R. C. die 22 Augusti 1722. N. 2274 ad 1^{m}).

2° Dum cantat Missas et Vesperas in Pontificalibus, non potest sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus, sed uti debet Faldistorio, potest autem adhibere baculum (Decr. eod. ad 2^{m}).

3° Nequit indulgentiam quadraginta (hodie 50) dierum elargiri sine speciali facultate Apostolica (Ibid. ad 3^{m}).

4° Dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, sedere debet in primo Stallo chori, nec Canonici tenentur facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei* (Ibid. ad 4^{m}).

5° Nequit celebrari Anniversarium eius Consecrationis, neque eius nomen memorari debet in Canone a Sacerdotibus celebrantibus (Ibid. ad 5^{m}).

6° Non ei competit septimum candelabrum dum Missam pontificaliter cantat (Ibid. ad 6^{m}).

7° Neque debent omnes Canonici sacra paramenta sumere dum Missam pontificaliter cantat, sed tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis (Ibid. ad 7^{m}).

8° Potest pro lubitu Cappam magnam induere vel in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiae aut Presbyterii (Ibid. ad 8^{m}).

9° Decet ut omnes Canonici ad eum excipiendum accedant comitaturi ab aedibus ad Cathedralem (Ibid. ad 9^{m}).

10° Non potest dirigere gregi, sibi in administrationem commisso, Epistolam pastoralem (S. R. C. die 23 Sept. 1848. N 2976, ad 1^{m}).

11° Nequit uti Mozzetta, sed Mantelletta supra Rochettum (Ibid. ad 2^{m}).

12° In Pontificalibus uti unice debet Faldistorio (Ibid. ad 3^{m}).

228. Recentius eadem S. R. C. die 4 Dec. 1903 declaravit: Episcopum *extraneum* vel *Titularem* non posse, *inconsulto Ordinario Dioecesano,* atque in titulo *Cardinali Titulari,* Missam et Vesperas Pontificales celebrare, sedentem in Faldistorio, non utentem baculo pastorali, sed cum ornamentis Pontificalibus.

229. Quoad Episcopos *Administratores in Italia.* Summus Pontifex Leo XIII, attentis peculiaribus adiunctis, de speciali gratia *ad beneplacitum S. Sedis valitura,* benigne indulsit, ut Rmi Episcopi Italicae Regionis, *qui dimissa propria Dioecesi* ad aliam sive residentialem sive titularem transferuntur, atque *Apostolicam administrationem temporaneam prioris Dioeceseos retinent,* ibidem, durante tantum eiusmodi administratione, *omnibus honorificentiis, privilegiis, indultis ac facultatibus frui valeant,* quae iisdem, uti

propriis Episcopis Ordinariis, competebant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Iunii 1897. (N. 3958).

230. Episcopus in sua *Dioecesi* adhibere potest habitum violaceum *cum longa cauda;* scilicet cappam magnam iuxta Caeremoniale (N. 2909).

231. Episcopus *cauda* uti potest, quando SS. Sacramentum expositum est, quatenus solemniter celebret (N. 3434 ad 3).

232. Episcopi *super sacras vestes* Crucem pectoralem vel illius flocculum gestare nequeunt *in sacris functionibus* (S. R. C. die 20 Iun. 1899. N. 4035 ad 2).

233. *Episcopi quoad ieiunium.* Episcopi habent facultatem *anticipandi* die sibi benevisa, atque ob gravissimas causas etiam *dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae,* quando festum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore Quadragesimae, diebus Quatuor Temporum et Vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi, seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu habeantur. Et haec facultas concessa est *perpetuis futuris temporibus;* facta tamen in singulis casibus mentione Apostolicae dispensationis (S. O. die 5 Dec. 1894; vid. latius in Lib.).

234. Episcopi possunt cum subditis suis dispensare super lege ieiunii, non pro universo grege, sed *in casibus* et pro personis *particularibus,* at nonnisi ex iusta et rationabili causa, alias dispensatio erit nulla. Ita communiter Doctores, quorum auctoritas in hoc redundat in probabilitatem intrinsecam, cum agatur de re, quae valde pendet ab aestimatione sapientum (Vid. S. Alph. lib. III, n. 1032).

235. *Episcopi quoad nonnulla tributa.* Episcopi *tempore sacrae Visitationis* ius habent *ad procurationem,* nempe ad omnia quae sunt necessaria pro victu, id est cibo, potu et habitatione tum ipsius Episcopi Visitatoris, tum honesti comitatus eiusdem; item pro pabulo equorum et iumentorum (Vid. Conc. Trid. sess. 24, cap. III, de Ref.; et fusius dicta in Lib. XII, p. 705).

236. Episcopi ius habent ad *Cathedralicum* seu *Synodaticum*, quod est certa pensio singulis annis Episcopo solvi consueta in signum subiectionis et in honorem Cathedrae Episcopalis (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. V, cap. 6; Lib. XIII huius operis p. 729).

237. Episcopi, iusta interveniente causa, exigere possunt ab omnibus Clericis *beneficiatis*, etiam Canonicis Cathedralis, *subsidium charitativum*, nempe contributionem extraordinariam (Videantur dicta in Lib. XIII, p. 731).

§ IV. *Declarationes quoad Episcopos Regulares.*

238. 1. Episcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegio suae Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de *Beatis suae Religionis* recitare Officium et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altare Beatis praedictis erigere (S. R. C. die 17 Apr. 1660 ad 5).

2. *Episcopi Regulares*, quamvis a monasterio divulsi, *haud cessant esse Regulares*. Quare minime solvuntur a votorum obligatione, etsi termini relationis *voti obedientiae* mutentur. Quinimo tenentur observare Regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant (S. C. Ep. et Reg. die 6 Maii 1864 apud Bizz. pag. 773 sq.).

3. *Episcopi Regulares* tenentur etiam *alias* regulas propriae Religionis *observare*, quae cum personis a Communitate seiunctis et ad Episcopatum evectis congruunt: id est, tenentur ad illas observantias, quae dignitati et officio Episcopali non repugnant. Haec autem obligatio ita intelligi debet, ut in collisione status religiosi cum dignitate et munere Episcopali, *praevalere debeat dignitas munusque episcopale*. In casibus particularibus ipsius Episcopi Regularis iudicio relinquitur decidere, utrum praedictae observantiae cum dignitate et officio episcopali conveniant (Apud *Bizz.* loc. cit.; *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 465).

4. *Episcopi Regulares* nequeunt *uti habitu serico* ut Episcopi de Clero saeculari (S. R. C. die 12 Aug. 1673. N. 1488).

5. *Episcopi Regulares* nequeunt *uti Rochetto et fascia violacea* in pallio (S. R. C. die 26 Apr. 1704 N. 2135 ad 4^m; et vid. *Caeremonial. Lib. I, cap. I, n.* 4).

6. *Episcopi Regulares* capere possunt *haereditates et legata* post Episcopatum sibi delata, quoad *proprietatem* favore *ecclesiae suae,* quoad *usumfructum* favore *suipsius* (S. C. C. die 7 Dec. 1639, apud *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 227).

7. *Episcopi Regulares* si a sua Ecclesia seu Dioecesi ob quamlibet causam *recesserint,* tam ex Constitutione Benedicti XIII incip. *Custodes,* anno 1725 quam ex decreto Alexandri VII diei 26 Iul. 1662 super Episcoporum residentia, *ad claustra redire debent* (Vid. Bizz. pag. 773 sq.).

CAPUT V.

Iura et officia Episcoporum relate ad ecclesias parochiales Regularium.

239. Doctrina tradita a Benedicto XIV in Constit. incip. *Firmandis,* edita die 6 Nov. 1744, super iurisdictione Episcoporum quoad ecclesias parochiales Regularium et personas curam animarum subditorum saecularium in eis exercentes.

240. Summus Pontifex refert decretum Concilii Tridentini *sess.* 25 *de Regularibus,* cap. 11 circa propositum argumentum. Huiusmodi decretum est sequentis tenoris:

In monasteriis seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personae tam regulares, quam saeculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi in cuius dioecesi sunt. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac praevio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo: excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis iis monasteriis seu locis, in

quibus Abbates generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis, seu domibus in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in Parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent».

Praefatum Tridentini decretum quoad iurisdictionem Episcopi in ecclesiis parochialibus Regularium doctissimus Pontifex late explicat, decisiones Sacrarum Congregationum de re latas approbat et auctoritate Apostolica confirmat, pluraque alia pro olab inviili norma decernit circa actus, quos Episcopus in dictis ecclesiis explere potest in visitatione tum *locali*, *tum personali*. Quoad visitationem localem sequentia statuit:

I. Parochi regulares tenentur excipere in praefatis ecclesiis parochialibus Regularium *Missionarios ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuncios*, eosque omnibus rebus iuvare, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit.

II. Potest Episcopus ibidem, sive in ipso visitationis cursu, sive extra visitationem, *Sacramentum Confirmationis* administrare.

III. *Non licet Episcopo* omnia dictarum ecclesiarum *altaria visitare*, sed illud dumtaxat, in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum Tabernaculum.

IV. Potest Episcopus visitare *fontem Baptisterii*, si adsit.

V. Item *Confessionale*, in quo Parochus ad audiendas confessiones residere solet.

VI. Item *Pulpitum* ecclesiae, e quo Parochus ius habet verbi Dei annunciandi.

VII. *Sacrarium* pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro Sacramentis, tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis.

VIII. *Sepulchrum* excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, et Coemeterium Parochianorum humandis cadaveribus destinatum.

IX. Item visitare potest Episcopus *Turrim campanariam*, dummodo in ea sint Campanae ad Parochiam proprie spectantes.

X. Potest pariter visitare *omnia vasa sacra*, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra Olea sive in Baptismo, sive in Extrema Unctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

Quoad visitationem personalem praedicti Parochi regularis, docet Pontifex, eius agendi rationem, in iis quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis Instituti, *non est Episcopi inquirere*, quum ad ipsius Superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius Parochi seu Curati vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierunt, Rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt. — Deinde Pontifex plura recenset, quae ad Episcopi ius et officium pertinent; videlicet occasione visitationis ad eum spectat examinare:

I. An Parochus titulo legitimo animarum curam exerceat.

II. An residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur.

III. An ad Synodum vocatus, iverit.

IV. An Congregationes seu Conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet.

V. An onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, *a)* an Missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; *b)* an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in fidei rudimentis, christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; *c)* an statis diebus excipiendis fidelium confessionibus vacet; *d)* an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; *e)* an pueros et puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; *f)* an priusquam fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, ma-

xime vero in praecipius Religionis nostrae mysteriis, illos instructos esse; *g)* denique an Parochus apud se recte ordinatos retineat libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, et status animarum.

VI. Uno verbo quidquid Episcopus a Parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, *regulari observantia unice excepta,* a Parocho regulari exquirere et exigere potest.

VII. Potest proinde Episcopus in eumdem Parochum decreta condere et pronunciare, ac meritas poenas statuere, si in praedictis omnibus deficientem invenerit; in quo nihilominus Episcopi facultates *minime privativae sunt,* sed Praesul regularis *ius cumulativum* cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a Superiore regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, *huius, non vero illius, decretis sit standum;* reservata tamen eidem Episcopo privativa facultate in parochianorum mores inquirendi, eorumque scandala puniendi.

VIII. Parochus aequo iure removeri potest ab animarum cura, *tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari,* absque eo, quod unus alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare teneatur (Vide etiam Const. *Apostolicum ministerium,* 30 Maii 1753, § 15 usque ad § 18).

241. Exceptiones. Concilium Tridentinum in supra allato decreto excipit ab Episcopi iurisdictione, visitatione et correctione (etiam quoad animarum curam et Sacramentorum administrationem) parochos, tam saeculares, quam regulares, praedictam animarum curam exercentes in monasteriis, seu locis, in quibus *Abbates generales,* aut *capita Ordinum* sedem ordinariam principalem habent. Quoad hoc Benedictus XIV declaravit ac decrevit:

I. Non sufficere ad hanc exemptionem Abbatis cuiuslibet residentiam, sed debere esse residentiam *Abbatis generalis totius Ordinis sui* (§ 13).

II. Non requiri pro obtinenda dicta exemptione, quod monasterium, ubi iidem Abbates seu Superiores generales resident, sit caput Ordinis, sed sufficere, *quod sit ordinaria et principalis sedes eorumdem* (§ 14).

III. Huiusmodi sedem Superioris Generalis, ad effectum praefatae exemptionis, non vagam et arbitrariam, sed illam dumtaxat

intelligi, quae a Constitutionibus Ordinis, sive a consuetudine praefinitur. Quocirca illud tantummodo monasterium ita assignatum, non vero aliud, in quo quacumque de causa Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi debet, licet ipse Generalis ibi actu non resideat (§ 17).

IV. Si vero neque a Constitutionibus, neque a consuetudine praefinitum sit monasterium, tunc illud dumtaxat pro sede Generalis ordinaria principali haberi debere, quod semel ipse Superior Generalis, seu caput Ordinis, initio Generalatus elegerit pro sua stabili residentia. Quod si facta semel electione, eamdem postmodum variare praesumpserit, tunc neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eo se transtulerit, gaudere privilegio ordinariae et principalis sedis (§ 18).

V. Praedictis Superioribus Generalibus non ideo competere ius aliquod in *saeculares subditos* parochialium, in eorum ordinaria principali sede erectarum, sed privative spectare ad Episcopum. Insuper ad eumdem Episcopum pertinet interponere propriam auctoritatem et consensum, praevio examine per seipsum vel per Vicarium suum faciendo, super *admissione Parochi*, tam saecularis, quam regularis, etiam ad nutum amovibilis, ab eisdem Superioribus in dictis ecclesiis deputati (§ 16).

VI. Praeterea posse Episcopum, et aliquando etiam debere, instare apud saepedictos Superiores generales pro Parochi remotione, si hunc munus suum non recte administrare cognoverit; implorata etiam Sedis Apostolicae auctoritate, quoties Superiores reluctaverint, aut Parocho a se deputato plus aequo faverint (§ 16).

VII. Ecclesias parochiales unitas praedictis monasteriis, pro ordinaria et principali sede Superiorum generalium constitutis, non gaudere exemptione a visitatione et correctione Episcopi; quamvis a Parochis regularibus administrarentur (§ 15).

VIII. Nec ipsas parochiales ecclesias in praefatis monasteriis erectas, gaudere dicta exemptione, si qui sint Episcopi, qui eas quoque visitare consueverint (§ 19).

Concilium Tridentinum in decreto superius adducto excipit ab ordinaria Episcopi iurisdictione quoad visitationem, monasteria seu loca, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores *iurisdi-*

ctionem Episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent. Idem statuitur in hac Benedictina Constitutione, quod nempe « Ubi Abbas aut Superior regularis suam probat iurisdictionem Episcopalem et temporalem in ipsos Parochos et Parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debeat Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi Parochos et Parochianos » (§ 12).

De praecipuis Iuribus Episcoporum quoad Regulares universim dicetur infra.

CAPUT VI.

Referuntur plura alia iura, praerogativae et privilegia Episcoporum.

242. Episcopi in *Concilio Generali* habent praerogativam assidendi Summo Pontifici, atque subscribendi non tamquam meri consiliarii, sed etiam ut *Iudices*. Ex hoc porro non sequitur, quod Romanus Pontifex in ferenda sententia maiorem partem Iudicum sequi teneatur, eorumque doctrinam approbare: siquidem supremum iudicium est a Christo Domino suo in terris Vicario commissum, eidemque munus demandatum ad veram fidem revocandi quotquot in errorem deflexerunt (Bened. XIV, de *Syn. dioec.* lib. XIII, cap. II n. 2 seq.).

243. Episcopus Dioecesanus *in sua Ecclesia Cathedrali et Dioecesi* in Consecrationibus Episcoporum, et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercendis, *praeferendus est omnibus aliis Archiepiscopis et Episcopis,* etiam promotione ipso Dioecesano anterioribus, Metropolitano proprio tantum excepto; licet alias Episcopus Dioecesanus teneatur Episcopos advenas et peregrinos in sua Dioecesi honorare, et ex urbanitate dexteram et locum digniorem eis cedere (S. R. C. 10 Ian. 1609. N. 268).

244. « Circa *praecedentiam* inter Episcopos nulla alia ratio est habenda, *nisi temporis electionis* seu promotionis ad Episcopatum: ita ut qui prius electus seu promotus, et a Summo Pontifice

in Consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cuiuscumque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito, et ut supra confirmato, praecedere. Et *hoc servandum est inter omnes totius Orbis Episcopos* » (S. R. C. 21 Martii 1609. N. 270; 20 Nov. 1677. N. 1606).

245. Iuxta dispositionem Concilii Tridentini, *sess.* 24, *de Ref., cap.* 6, S. Rituum Congregatio declaravit: Episcopum in omnibus suae dioecesis ecclesiis, quamtumvis exemptis et privilegiatis, *esse honorandum,* ita ut ei is honor tribuatur, qui suae dignitati par sit, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, et in aliis actibus publicis *primam sedem et primum locum,* quem ipse elegerit, dandum et concedendum esse; nec posse prohiberi, quominus in dictis ecclesiis etiam exemptis Pontificalia exerceat, immo posse Episcopum contradictores poenis et censuris ecclesiasticis compellere. Si quis autem de huiusmodi decreto et S. R. C. declaratione se gravatum senserit, compareat in eadem S. C., ubi benigne audietur, sed interim parere Decreto non desistat (Die 6 Dec. 1613. N. 314).

246. Pollent Episcopi integra, absoluta, et quae a nullo dependet, auctoritate ministrandi *Confirmationis* atque *Ordinis Sacramentum,* nec non peragendi *ecclesiarum consecrationem.* Ex quo fit, ut possint Antistites in propria Dioecesi eiusmodi iurisdictione pro libito uti; quamvis si forte qui Episcopis praeest, id prohibeat vel impediat, hoc in casu actus Superiore vetante exercitus illicitus quidem sit, non etiam frustraneus (Bened. XIV, Const. *Ex tuis precibus,* 16 Nov. 1748, § 8).

247. Episcopi *inviti* non coguntur seu non tenentur excipere in sua Dioecesi *Religiosos saecularizatos;* sed possunt, perdurante indulto saecularizationis, eosdem Religiosos, ad sancta obeunda ministeria, *pro lubitu* in sua Dioecesi habilitare, *si velint* (S. C. *super Discipl. Regul.* die 16 Aug. 1898; *Acta S. Sed.* vol. 31, pag. 631; et vid. dicta in lib. II p. 142).

248. Ad Episcopum privative quoad alios in sua Dioecesi pertinet indicere *publicas Processiones,* et ad illas per publicum edictum populum convocare. Item potest Episcopus ex causa prohibere, ne fiant aliquae Processiones ex devotione populi et Confra-

ternitatum introductae, si fuerit repertum expedire, ut prohibeantur (S. R. C. 14 Ian. 1617. N. 346).

249. Nemini licet, inconsulto Episcopo, in sua Dioecesi *erigere* et *creare de novo Confraternitates,* et eorum statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua Dioecesi (S. R. C. 7 Oct. 1617. N. 357).

250. Quoad Confraternitates, quae eriguntur a Regularibus in suis respectivis ecclesiis, ut sunt Confraternitates SS. Trinitatis, SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel a Virgine Perdolente, consensus Episcopi est necessarius, quoties agatur de *Confraternitatibus proprie dictis,* quae scilicet sunt constitutae ad modum organici corporis et cum *sacco;* non autem si agatur de Confraternitatibus *late acceptis,* nempe ad modum simplicis piae Unionis erectae et institutis, quarum membra nullo fere vinculo inter se colliguntur: nam quoad istas satis provisum est per consensum praestitum ab Ordinario *pro erectione Conventus Ordinis* in Dioecesi (Cf. Decret. *Urbis et Orbis* S. C. I. de die 25 Aug. 1897, apud Acta S. Sed. vol. 30, pag. 276).

251. Episcopus *prohibere potest* Canonicis, ne Capitulum seu Congregationes faciant dum in Ecclesia Horae Canonicae cantantur, et Missa maior celebratur, etiam sub poena amissionis distributionum (S. R. C. die 10 Iun. 1602 ad 1^m. N. 96).

252. *Aliae declarationes: a)* Potest Episcopus incipere *visitationem* ab ea Ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis iuribus, et sine praeiudicio praetensionis alterius Ecclesiae (Decr. eod. ad 2^m).

b) Potest Episcopus *hortari, non cogere Parochos,* ut vinum, hostias, paramenta et cetera ad celebrandum necessaria subministrent Presbyteris in eorum Parochiis commorantibus, et in eorum Ecclesiis celebrare volentibus. Parochi autem recte agent, si monitionibus et hortamentis Episcopi parebunt (Decr. eod. ad 3^m et vid. N. 1999).

c) Episcopus *iubere potest* ut nihil sit circa Altaria, quod offensionem et scandalum pariat. Item iubere potest, ut amoveantur sedes laicorum a Presbyterio (Decr. eod. ad 5^m et 6^m).

d) Potest Episcopus moderare arbitrio suo *scamna et loca laicorum* in Ecclesia, et providere ne unus solus multa loca oc-

cupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur (S. R. C. die 11 Dec. 1604. N. 174).

e) Episcopus iure suo uti debet in omnibus, quae pertinent *ad disciplinam Chori* (Die 10 Sept. 1701. N. 2079 ad 9 et 10).

f) Episcopus abstineat a concedendis licentiis *Cappellanis Confraternitatum* audiendi confessiones cum clausula: *de licentia Parochi* (Die 13 Maii 1719. N. 2264).

g) Episcopus permittere potest Regularibus et Sodalitiis circumducere *Processiones* per Parochias, *quamvis Parochus contradicat* (Bened. XIV, Instit. 105, n. 52; et S. R. C. ibid. allata).

h) Episcopus adhibere potest pro suo servitio *unum vel duos Canonicos,* non solum Cathedralis, sed etiam Collegiatae, uti S. Congregatio respondit die 1 Sept. 1663. Potest etiam adhibere pro dicto servitio Beneficiatos tam ecclesiae Cathedralis, quam ecclesiae Collegiatae, ut eadem S. Congregatio declaravit (Apud Bened. XIV, Inst. 107, n. 57).

i) Episcopus commorans in aliquo suae Dioecesis Oppido satisfacit obligationi Horarum Canonicarum, *recitans Officium proprium illius loci* (S. R. C. die 14 Mart. 1643. N. 827).

j) Episcopus potest pro lubitu quemlibet Sacerdotem sibi magis benevisum *subdelegare ad effectum benedicendi Ecclesiam,* non autem consecrandi (S. R. C. die 7 Oct. 1645. N. 889).

k) Episcopus impeditus non potest delegare suum Vicarium Episcopali charactere insignitum ad explendas functiones, *quae competunt Dignitatibus,* et illas tantum potest ei demandare, quae a solo Episcopo fieri possunt (S. R. C. die 10 Iun. 1656. N. 1013).

l) Episcopo extra Cathedralem celebranti debetur semper et ubique assistentia *a digniore de Capitulo,* et nullo modo a Vicario Generali (S. R. C. die 20 Aug. 1639. N. 685).

m) Episcopus *in casu necessitatis* potest assumere ad servitium Altaris Ministros ordinis inferioris, etiamsi non sint de Capitulo (S. R. C. die 20 Iun. 1665 N. 1315).

n) Ordinarius loci, sive Episcopus sive Cardinalis, potest in Ecclesiis minoribus assistere Missae cantatae aliisque sacris functionibus et verbum Dei praedicare, *cum cappa tantum.* Idem dicendum est, quando Sacerdos in functione Benedictionem cum SS. Sa-

cramento populo impertitur; quo tamen in casu Episcopus cum cappa assistens, ponat incensum in thuribulum et thurificet SS. Sacramentum (Die 11 Dec. 1896. N. 3935 ad 3 et 4).

o) Episcopus potest erigere *Baldachinum in Regularium Ecclesiis,* assistendo functionibus ecclesiasticis, vel sacrae concioni (S. R. C. die 24 Maii 1664. N. 1290 ad 1^{m}).

p) Dum Episcopus *in Ecclesiis Regularium* in sua Dioecesi existentibus Missae solemni et Vesperis ex throno de more assistit, ad ipsum spectat confessionem cum Celebrante facere, thuribulo thus imponere, Evangeliorum textum osculari, atque populo solemniter benedicere, ceteraque similia de more ab assistentibus Episcopis adimpleri consueta (Die 18 Maii 1675. N. 1538 ad 2).

q) Episcopus satis est, ut manu benedicat Canonicos ante ipsum transeuntes, dum assistit Divinis cum cappa lata, tecto capite (S. R. C. die 10 Ian. 1604. N. 152 ad 5^{m}).

r) Episcopus quotiescumque solemniter celebrat, sive Ordinationem teneat, sive non, convenit, ut ei saltem illae personae assistant, de quibus in libro Caeremoniali mentio habetur (S. R. C. die 17 Iun. 1606. N. 219).

s) Episcopus potest Feria V in Coena Domini iubere Canonicis, et aliis quibuscumque de gremio Ecclesiae, ne privatim Missam celebrent, sed iuxta praescriptum Caeremonialis lib. 2, cap. 23, *Communionem ab eius manu recipiant,* non obstante qualibet contraria consuetudine (S. R. C. die 19 Sept. 1654. N. 970 ad 1^{m}).

t) Episcopus, dum Pontificalia celebrat, *iubere potest,* ne in eadem Ecclesia celebrentur *Missae privatae* (S. R. C. die 28 Aug. 1655. N. 989).

u) Episcopus Missam *planam* in Cathedrali celebraturus debet habere *duos Canonicos* assistentes. Cum vero Episcopus ad aliam Ecclesiam suae civitatis accedere voluerit, non potest semper Canonicos cogere, ut eidem assistant; sed ita demum si *ob aliquam publicam solemnitatem,* vel celebraturus, vel Episcopales functiones executurus, vel ad Ordines conferendos accesserit (S. R. C. 5 Iul. 1603. N. 138).

v) Episcopo Pontificalia exercenti *in Collegiata* vel alia Ecclesia debetur *assistentia Canonicorum Cathedralis* (S. R. C. 16 Sept. 1747. N. 2397 ad 1^{m}).

x) Episcopus nequit *generales* Ordinationes peragere extra Cathedralem (Decr. eod. ad 2m).

y) Insignia dignitatis episcopalis sunt *ornamenta pontificalia,* quibus utuntur Episcopi in solemnibus functionibus, et sunt: caligae, sandalia, tunicella, dalmatica, chirothecae, annulus pontificalis, crux pectoralis, mitra seu infula, baculus pastoralis, thronus episcopalis seu cathedra ad partem Evangelii parata (Vid. Caeremonial. Episc. lib. II, cap. 8).

Animadvertenda quoad Sacramentum Confirmationis.

253. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia proposita sunt solvenda.

1. Cum in Rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: Adulti seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui, quaeritur: *An sufficiat, si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi?*

2. An confirmandos tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: N. *signo Te signo Crucis* etc., praeter nomen suum baptismale, *possit nomen alicuius Sancti sibi imponi curare?*

S. C. die 20 Sept. 1749 respondit:

Ad 1m *Sufficere.*

Ad 2m *Posse* (*Decr. auth.* N. 2404, ad 6 et 7).

Si Episcopus confirmans *Patrini* officium erga confirmandum assumere velit, huiusmodi munus gerat per procuratorem (S. R. C. die 14 Iun. 1873. N. 3305 ad 3m).

254. In Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum confertur, adhibito sacro Chrismate, seu *Oleo olivarum Balsamo commixto,* et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formae verba pronunciat (Bened. XIV, Const. *Ex quo primum,* die 1 Mart. 1756, § 52).

255. Omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino, *ex sola Episcopi delegatione collatam,* quia Sedes Apostolica id iuris sibi unice reservavit. Posita autem *reservatione facultatis,* de qua est sermo, a Summo Pontifice sibi facta, *nec licite, nec valide* potest Episcopus Latinus illa uti: nam, quamvis confirmare sit actus Ordinis Episcopalis,

cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, *delegare tamen potestatem* exercendi eiusmodi actum, potius ad iurisdictionem, quam ad Ordinem pertinet; Episcoporum *iurisdictio,* sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper *huic subest,* ut, consentientibus omnibus Catholicis, eiusdem auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. VII, cap. 8, n. 7).

De facultate delegandi simplicem Sacerdotem ad administrandum Sacramentum Confirmationis habetur sequens dispositio:

256. Episcopus SSmae Conceptionis de Chile Summo Pontifici exposuit, quod in sua Dioecesi, in qua decies centena millia hominum numerantur, non potest ipse administrare omnibus Christifidelibus Sacramentum Confirmationis; quapropter Sanctitatem Suam oravit, ut sibi concederet facultatem benevisum Sacerdotem delegandi, qui inter limites suae Dioecesis dictum Sacramentum conferre valeat.

Congregatio S. O. die 4 Mart. 1903 ita respondendum mandavit:

Iuxta Decretum 9 Maii 1888, quod ita se habet: Supplicandum SSmo pro facultate subdelegandi unum vel alterum presbyterum, concedenda per Sacram Congregationem Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositam non solum Episcopis petentibus, sed etiam aliis qui in similibus circumstantiis reperiantur, durante eorum munere.

Et Summus Pontifex Leo XIII die 5 eiusdem mensis et anni, resolutionem EE. et RR Patrum adprobare dignatus est (*Acta S. Sed.* vol. 36, pag. 115).

257. Confirmationis Sacramentum Episcopo non licet ministrare *sibi non subditis* absque consensu Episcopi confirmandorum (S. C. C. die 28 Nov. 1602; apud Adone, lib. I, n. 708).

258. Episcopus, *occasione administrationis Confirmationis in pastorali visitatione,* non potest procurationem exigere (S. C. C. die 6 Febr. 1700; loc. cit. n. 710).

259. Extra visitationis occasionem Episcopo accedenti *ad Sacramentum Chrismatis* conferendum, *non sunt praestanda vi-*

ctualia, nisi concurrat consuetudo legitime praescripta (S. C. C. die 14 Nov. 1654; loc. cit.).

260. Confirmationis Sacramentum in Abbatia *Nullius Dioecesis* ministrare potest Episcopus *vicinior* in territorio (S. C. C. die 30 Ian. 1717; Adone, ibid. n. 707).

Hoc autem intelligendum est, si Abbatia *Nullius Dioecesis* non habeat territorium separatum; secus enim Episcopus non potest, cum Praelatus *Nullius Dioecesis* tunc habeat quoad hoc ius accersendi *quemcumque maluerit catholicum Antistitem* (S. C. C. die 2 Aug. 1596; loc. cit.).

261. Tam in cursu pastoralis visitationis, quam extra illam, Episcopus potest Sacramentum *Confirmationis* administrare *in ecclesiis Regularium,* sive Parochialibus, sive non Parochialibus (Bened. XIV, Constit. *Firmandis,* die 6 Nov. 1744, § 6).

Quoad *tempus* administrandi praedictum Sacramentum, sciendum est, Summum Pontificem Leonem XIII die 22 Iun. 1897 quam maxime laudasse Illm. ac Rmum Robert Episcopum Massiliensium, propterea quod, *abrogata quae toto fere saeculo,* inoleverat consuetudine, sategit et obtinuit in mores dioecesis suae inducere, ut pueri antequam Eucharistiae epulo reficiantur, Confirmationis Sacramentum susciperent (Vid. *Nouv. Rev. Théol. tom.* 29, pag. 644 sqq.).

Nonnullae dispositiones quoad Beneficia, binationem, examen Parochorum, et alia.

262. Non potest Episcopus alicui *promittere beneficia, antequam vacent,* ne mortem eius desideret, cui pro certo habet se successurum (Cap. *Nulla,* II). Quae quidem Decretalis ampliata est a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 19, prohibente insuper reservationes etiam mentales (Vid. Giraldi, tom. I, pag. 273, sect. 417).

263. Episcopus *in fundatione Beneficii* debet admittere conditiones a Fundatore praescriptas, *quamvis iuri communi contrarias,* dummodo non sint turpes, impossibiles et contra naturam Iurispatronatus; et hoc ne Laici a fundationibus retrahantur (Ferraris, verb. *Episcopus,* art. VI, n. 70, ubi citantur iura).

264. Episcopus debet *Beneficium parochiale* conferre per concursum, si conferat iure devoluto ob negligentiam Patroni laici

(Fagn. cap. *Cum propter*, 27, *de Iurepatr.* n. 9; Ferraris, loc. cit. n. 68, ubi refertur declaratio S. C. C. de die 29 Nov. 1600).

265. Episcopus potest, praeter unum simplex *beneficium* non sufficiens ad congruam vitae sustentationem, *conferre etiam secundum* absque dispensatione Sedis Apostolicae. Nam Concilium Tridentinum sic decernit: *Statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri* (Sess. 24, cap. 17; Bened. XIV, *Instit.* 91, n. 1 sq.).

266. At supposita collatione duorum *Beneficiorum non sufficientium* ad congruam vitae sustentationem, Episcopus non potest conferre *tertium absque dispensatione Sedis Apostolicae,* etiamsi sit de iure patronatus Laicorum (Bened. XIV, cit. *Inst.* 91, n. 6 sq., ubi afferuntur plures declarationes S. C. C.).

267. Nihilominus potest Episcopus *habenti duplex Beneficium* conferre *plures pensiones, legata pia,* seu *capellanias iuris patronatus Laicorum* absque facultate Sedis Apostolicae; haec enim vera Beneficia non putantur (Bened. XIV, loc. cit.).

268. Ad Episcopum, cuius conscientia stricte oneratur, spectat cognoscere et perpendere num revera *necessitas urgeat,* ut Sacerdos *duas Missas* celebrare cogatur (S. C. C. die 25 Sept. 1858).

269. Superveniente rationabili causa, potest Episcopus ex officio, etiam extra visitationem, *examinare Parochos* iam approbatos ad ecclesias parochiales. Ita pluribus casibus declaravit S. Congregatio Concilii, ut videre est penes Bened. XIV, Instit. 9, n. 16.

270. Ius est Episcopi *examini subiicere* quemcumque Sacerdotem, etiam Regularem, antequam eum admittat ad confessiones audiendas (*Conc. Trid. sess.* 23, *cap,* 15 *de Ref.*).

271. Episcopus non habet facultatem *comam fictitiam* permittendi tempore Sacri. In Missali Romano iussu Urbani VIII ad meliorem formam redacto, Decretum eiusmodi continetur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missae sine expressa licentia*

Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine (Bened. XIV, *Instit.* 34, *n.* 14).

Et S. R. C. die 4 Apr. 1699 declaravit: *Non licere* Canonicis Missas celebrantibus vel deferentibus SS. Eucharistiae Sacramentum processionaliter immediate post Missam ab ipsis celebratam, *gestare capillos fictitios,* vulgo *Parrucca* (N. 2027 ad 4 et 5).

272. *Quoad censuras.* Episcopus potest *censuras statuere et casus reservare,* ut publica, et graviora, ac atrociora delicta e sua Dioecesi eliminet. At *locorum Ordinarii monentur, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis Dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent* (S. C. Ep. et Reg. ann. 1601 et 1602, *apud Bened. XIV, de Syn. V, cap.* 5, n. 4; et vid. *Const. eiusdem Pont.* A QUO PRIMUM, 14 Iun. 1751, § 8).

273. Episcopi, iisque Superiores Praelati, exclusis Ordinariis inferioribus, privativum ius habent demandandi *extractionem reorum e locis immunibus,* in casibus per Constitutiones Apostolicas permissis; ita ut pro locis *Nullius Dioecesis,* ad vicinniorem Episcopum recurri debeat (Bened. XIV, Const. *Officii Nostri,* anno 1750 § 12).

274. Episcopi mandare possunt in quibusdam solemnitatibus vel in alio particulari casu *sonum Campanarum* omnium Ecclesiarum, etiam exemptarum (Die 3 Apr. 1821. N. 2613 ad 3).

275. Episcopus nequit delegare, sive ex iure ordinario sive ex consuetudine, Sacerdotes ad adhibendas benedictiones in Rituali Romano descriptas et *reservatas,* sine speciali indulto S. Sedis (Die 2 Apr. 1875. N. 3343 ad 1 et 2).

276. Episcopus praecipere potest, ut *Collecta* recitetur etiam in duplici I classis sub una conclusione, si revera indicatur pro re gravi (Die 7 Aug. 1875. N. 3365 ad 3).

277. Episcopus Ordinarius *potest obligare omnes et singulos Parochos et Sacerdotes* ad servanda omnia praescripta in Rituali Romano, non obstante contraria etiam immemorabili consuetudine (Die 31 Aug. 1872. N. 3276 ad 6).

278. Episcopus in benedicendo populo post Communionem

extra Missam ministratam atque in absolvendis fidelibus in Poenitentiae Sacramento, debet *tres Cruces* efformare (Die 20 Maii 1890. N. 3731 ad 5).

279. Episcopus Ordinarius, qui in aliena Dioecesi celebrat, in Canone Missae *semetipsum nominare debet* (Die 6 Febr. 1892. N. 3764 ad 19).

Missa extra Dioecesim diebus festis relate ad Sacerdotem nulla obligatione beneficii obstrictum.

280. Episcopus nequit suo decreto prohibere, ne Sacerdotes nulla alia Beneficii aut Capellaniae obligatione devincti, die festo a Dioecesi absint seu recedant, et alio se conferant ad Missam celebrandam. Quod constat ex sequenti decisione S. C. Ep. et Reg. diei 4 Mart. 1842, relata ab Emo Cardin. Bizzarri in sua *Collectanea* pag. 110. Cum Episcopus N. N. videret, quod festis Sacerdotes suae iurisdictioni in vicinam dioecesim transmearent ad Missam inibi celebrandam, ideoque in suae dioecesis ecclesiis Missarum defectus haberetur, suo decreto sancivit: *ne ullus Sacerdos, praesertim diebus festis sese conferret ad celebrandam Missam in quacumque ecclesia extradioecesana sub poena suspensionis ipso facto incurrendae.* Re ad S. Congregationem delata, concinnatum est dubium:

An et quomodo sustineri debeat decretum editum ab Episcopo dioecesis N. N.?

In Congregatione generali praedictae diei rescriptum fuit: « *Quoad censuras, negative in omnibus, in reliquis ad mentem; mens est: exceptis Sacerdotibus, qui onus habent celebrandi intra fines dioecesis, quoad alios Presbyteros decretum Episcopi sustineri non posse* ».

Duo ergo in hac responsione declarata sunt: 1° Quod Episcopus non potest prohibere, quominus Sacerdotes nulla obligatione Beneficii seu Capellaniae obstricti, extra dioecesim diebus festis se conferant ad celebrandam Missam; 2° Quod Episcopus potest quidem obligare Sacerdotes, qui *Missam ex speciali titulo celebrare debent in dioecesi,* ne diebus festis a dioecesi recedant Missam alibi celebrandi causa; attamen decreto suo non potest Episcopus *contra istos censuram latae sententiae infligere,* si recedant.

281. *Indultum: Episcopis Americae Latinae indulgetur facultas conferendi paroecias et canonicatus absque concursu.*

Beatissime Pater,

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae in Concilio plenario congregati, attentis necessitatibus suarum Dioecesium, postulant:

I. Ut stante difficultate celebrationis concursuum, omnes Paroeciae titulo amovibili conferri possint;

II. Ut Episcopi conferre possint absque concursu omnes Canonicatus de officio, quoties expedire indicaverint.

Die 4 *Maii* 1900. — S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vigore facultatum sibi a SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII specialiter tributarum, ad praemissas preces rescribendum censuit, prout sequitur:

Ad I. — Designatis, ubicumque fieri poterit, a singulis Ordinariis in propria dioecesi nonnullis paroeciis principalioribus quae sacerdotibus maturae aetatis, probatae vitae, non communi scientia et pietate praeditis, in titulum ad tramitem iuris de regula ordinaria conferantur, — pro gratia *ad decennium* ut ceterae omnes paroeciae, imo et superius recensitae, si adiuncta (prudenti Ordinarii iudicio aestimanda) id exigant, conferri possint absque concursu et ad nutum, salvis tamen privilegiis ab Apostolica Sede concessis, et cauto ut facultate transferendi aut removendi paroeciarum rectores, Episcopi nonnisi moderate et ex iusta causa utantur; onerata super hoc eorumdem Episcoporum conscientia.

Ad II. — Pro gratia iuxta petita, *ad decennium*.

A. Card. di Pietro, *Praef.*

B. Archiep. Nazianz. *Secret.*

CAPUT VII.

Episcopi quoad Indulgentias et quaedam privilegia recenter ipsis concessa.

282. Notum est, Episcopos *(residentiales)* prout etiam Archiepiscopos posse, ex Concilio Lateranensi IV, concedere suis subditis

dioecesanis indulgentiam *quadraginta* dierum; indulgentiam vero *unius anni* in consecratione ecclesiae. Archiepiscopis autem *Americae Latinae* concessum fuit a Summo Pontifice Leone XIII die 4 Iulii 1899 privilegium elargiendi *octoginta dies* de vera indulgentia. Tandem Emi Cardinales in ecclesiis suorum titulorum concedebant indulgentiam *centum dierum* (Cf. nostra *Collectio Indulg.* p. 38).

283. Iam vero facultas largiendi indulgentias, a Summo Pontifice Pio X per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 28 Aug. 1903 tum Cardinalibus, tum Archiepiscopis, tum Episcopis ampliata est. Sanctitas namque Sua clementer decernere dignata est ut *in posterum* Emi Patres Cardinales, in suis titulis aeque ac Dioecesibus *bis centum;* Archiepiscopi *centum;* atque Episcopi *quinquaginta* dierum indulgentiam elargiri valeant. Praestat de hoc Pontificis Summi spirituali beneficio integrum referre Decretum.

URBIS ET ORBIS.

Decretum, quo Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis facultas adaugetur in elargiendis indulgentiis.

Pontificale Iubilaeum fel. rec. Leonis XIII solemnibus ubique laetitiis ab orbe catholico peractum, congruam sane occasionem praebuit, qua plures sacrorum Antistites, praesertim ex regione Neapolitana et Sicula, ad auspicatum eventum novo quodam pietatis religiosique fructus pignore consecrandum, enixas, coniunctis simul litteris, preces admoverunt, ut sua, in indulgentiis elargiendis, facultas aliquantum ab Apostolica Sede adangeretur. — Has vero postulationes, Pontificis optimi obitu interceptas, sed, ex S. C. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposito consulto, ab infrascripto Cardinali, eidem Congregationi Praefecto, in audientia die 28 Augusti, hoc vertente anno, ad Vaticanum habita, rursum et suppliciter exhibitas, cum primum agnovit Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, nihil se in votis magis habere est testatus, quam ut gloriosam Antecessoris memoriam digno, hoc etiam in re, honoris documento prosequeretur, et propriam insuper, erga universos ecclesiasticos ordines, paternam charitatem oppido osten-

deret. Quapropter Sanctitas Sua, percepta omnium relatione, non modo memoratis votis annuere, verum etiam clementer decernere dignata est, ut, in posterum Emi Patres Cardinales, in suis titulis aeque ac Dioecesibus, *bis centum,* Archiepiscopi *centum,* atque denique Episcopi *quinquaginta* dierum indulgentiam elargiri valeant, dum tamen serventur cuncta hucusque ab eisdem servata, in huiusmodi indulgentiarum elargitionibus. Hanc autem concessionem *futuris quoque temporibus perpetuo valituram extare voluit.* Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 28 Augusti an. 1903.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amid. *Secret.*
Iosephus M. Can. Coselli, *Subst.*

Adaucta per relatum Decretum Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum facultate in indulgentiis elargiendis, planum est inferre, praedictam facultatem non raro in libris commemoratam, esse modo et in posterum intelligendam *iuxta novissimam ampliorem concessionem.*

284. *a)* Episcopus *Ordinarius* tantum concedere potest indulgentiam 50 (1) *dierum,* minime vero alii Episcopi *per eam dioecesim transeuntes;* et si concedunt, nullius roboris sunt ac momenti. — Casus :

Titius, civitatis Massiliensis, apud se possidet ac retinet devotam quamdam Deiparae Virginis effigiem in tabula coloribus pictam, cui Episcopus Ordinarius adnexuit quadraginta dierum indulgentiam, acquirendam a Christifidelibus nonnullas preces ante ipsam recitantibus. Rursus alios Episcopos, quotquot per illam civitatem transeunt, idem Titius exorat, *ut unusquisque alios quadraginta dies* de indulgentia praefatae imagini concedat. — Quaeritur a S. Congregatione :

---

(1) Cetera relinquimus ut erant scripta ante concessionem Summi Pontificis Pii X.

Quid dicendum sit de praedictis concessionibus, quidque de Episcopis transeuntibus, sine permissu Ordinarii indulgentias concedentibus?

S. Congregatio die 17 Decembris 1838 respondit:

Indulgentiae, quae ut supra a nonnullis Episcopis pro aliquibus precibus recitandis ante imaginem B. M. V. sunt impertitae, nullius roboris sunt ac momenti, ac revera apocryphae, praeter illam nempe quadraginta dierum, quam prima tantum vice Episcopus dioecesanus ex iurisdictione sibi dumtaxat competenti est elargitus (Decr. auth. S. Congr. Indulg. N. 265).

b) Nequit Episcopus fidelibus *dioecesis non suae* indulgentias concedere, *etiamsi Ordinarius loci consentiat* (loc. cit. Decr. 12 Ian. 1878. N. 433 ad 2^{m}).

c) Servatis Apostolicis ordinationibus *circa fragilitatem obiectorum,* quibus non sunt adnectendae indulgentiae, possunt Episcopi adnectere indulgentiam *quadraginta dierum* aliquibus *imaginibus* seu *statuis* ab ipsis designandis, lucrandam *a visitantibus,* seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes (Decr. 24 Ian. 1846. N. 333).

d) Nequit Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis, sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice iam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adiungere; neque crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel Sacerdote, legitima facultate munito, benedictis, novas adnectere indulgentias, *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur* (Decr. 12 Ian. 1878. N. 433 ad 1^{m}).

e) Nequit Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui iam antecessor indulgentias adnexuit, *novas indulgentias applicare* (Decr. eod. ad 3^{m}).

f) Non potest Episcopus, quin limites sui iuris excedat, eumdem actum pietatis in partes dividere, et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere (Decr. eod. ad 5^{m}).

g) Episcopus *Titularis,* quamvis Auxiliarius Ordinarii alicuius dioecesis, indulgentiam 50 dierum concedere non potest sicut Dioecesanus (Decr. eod. ad 4^{m}).

h) Delegatus Apostolicus consultius se abstineat a concurrendo cum uno vel altero Episcopo territorii Delegationis suae, ut idem obiectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet (Decr. eod. ad 7m).

i) Vicarii Apostolici cum non sint veri Ordinarii, nequeunt *regulariter et per se* concedere indulgentias 50 dierum (Decr. S. C. de Prop. Fide, 21 Sept. 1843, et 24 Aug. 1852, apud *Collectanea* S. C. de Prop. Fide, n. 123 et 126; pag. 58-59).

Attamen *ex indulto S. Sedis Vicariis Apostolicis facta est facultas elargiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis confessis ac sacra Communione refectis.* Super hac facultate duo dubia proposita sunt S. Congregationi de Prop. Fide:

1° *An ad lucrandam ter in anno indulgentiam plenariam* vigore facultatis (praedictae) *debeat Episcopus designare pro qualibet vice unum tantummodo diem,* quo omnes illam lucrari volentes, confiteri ac sacra Communione refici teneantur; *an potius possit, saltem in sua dioecesi, designare aliquot dies continuos,* v. g. aliquod festum cum praecedenti aut sequenti triduo, vel etiam octiduo? Ratio est, quia fideles, attenta eorum conditione, nequeunt omnes concurrere ad ecclesiam uno eodemque die, imo nec solent concurrere nisi illis diebus, quibus in unaquaque respective ecclesia celebratur aliquod festum solemne. Huiusmodi autem festa non in unam eamdemque incidunt diem. Insuper vix aliqua est ecclesia, in qua duo reperiantur confessarii; ac saepe fit ut unus Sacerdos pluribus ecclesiis per diversos pagos sitis deservire debeat.

2° *An debeat similiter assignare eosdemmet dies pro tota simul dioecesi, vel potius possit designare diversos respective dies pro singulis seorsim ac successive parochiis, missionibus aut districtibus,* ita ut fideles modo unius, modo alterius, et sic successive omnium, possint in sua quisque ecclesia praedictam indulgentiam ter in anno lucrari diebus ab Episcopo pro illo districtu designatis, licet diversi sint a designatis pro alio districtu?

R. Ad 1. *Posse per triduum, vel per integram octavam.*

Ad 2. *Non teneri, sed posse assignare diversos dies pro diversis parochiis seu missionibus, dummodo non sint in eodem loco* (S. C. de Prop. Fide, 22 Ian. 1759; Collectanea, pag. 358. N. 1015).

Exinde deducitur, praedictam concessionem indulgentiae *ter in anno* intelligi debere non distributive per annum *fidelibus singulatim* ad opportunitatem impertiendam, *sed tribus per annum praescriptis diebus* communiter elargiendam ad normam consuetae praxis in Ecclesia (Decr. S. C. de Prop. Fid. 31 Ian. 1796, loc. cit. n. 1016, pag. 358).

Praelati, quibus privilegio Apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debent hac facultate uti *per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, quin possint unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentes, aut in perpetuum* (Decr. 12 Ian. 1878. N. 433 ad 7[m]).

285. *Missa in Sacello Episcopali.* Quoad satisfactionem praecepti de audienda Missa *in Episcopali Sacello,* Episcopi omnes, sive Dioecesani, sive Titulares, eodem privilegio gaudent, quo fruuntur Cardinales; scilicet, ut non solum Ipsi in propriae habitationis Oratorio, aut super Altare portatili, *ubicumque degant,* Missam facere, aliamque in sui commodum permittere valent: sed etiam *Fideles omnes* alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimplent (S. R. C. die 19 Maii 1896 cum approb. Summi Pontif. N. 3906; et vid. vol. IV, pag. 169 Comment. N. 2585).

286. In Cappella *Palatii Episcopalis,* etiam absente Episcopo, vel vacante Sede, potest Missa celebrari, potissimum vero per Vicarium, nec non in diebus Festis inibi Sacrum audientes, implent praeceptum Ecclesiae (S. R. C. die 2 Iul. 1661; et vid. Comment. vol. IV, loc. cit.).

287. *Facultas litandi unam Missam de Requie in Oratorio privato Episcopis petentibus concessa.* SSmus D. N. Leo PP. XIII, ad levamen animarum, quae in Purgatorio detinentur, Sacrae Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis *petentibus* S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, aliisque Praelatis, quibus Oratorii privati privilegium de iure competit, permitti possit in eodem Oratorio *unica Missa privata de Requie, defunctis applicanda,* infra hebdomadam, diebus non impeditis a Festo ritus du-

plicis, *quod iure translationis polleat,* a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Vigiliis, Feriis, Octavisque privilegiatis; et servatis Rubricis (Die 8 Iun. 1896. N. 3915).

288. *Crux pectoralis.* Episcopi, sive Dioecesani sive Titulares, *Crucem pectoralem detectam* gestare possunt *ubicumque degunt;* sed non possunt gestare eamdem Crucem supra sacras vestes, nec illius flocculum in sacris functionibus (Die 20 Iun. 1899. N. 4035 ad 1 et 2).

289. Episcopus *Dioecesanus* potest *Thronum suum alteri Episcopo cedere* cum Rmorum Canonicorum adsistentia sibi debita: dummodo Episcopus invitatus *non sit ipsius Dioecesani Coadiutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut etiam Dignitas seu Canonicus* in illius Ecclesiis. — Sicut autem *Cardinales* Episcopi Suburbicarii aliique Titulares Ecclesiarum Urbis Purpuratis tantum Patribus Thronum cedere possunt; ita Praesules Cardinales aliarum Dioecesium decet, ut suum Thronum nonnisi aliis eadem Cardinalitia dignitate ornatis cedant (S. R. C. die 9 Maii 1899. N. 4023, *approbante Summo Pontif.*).

290. *Privilegium Episcopis concessum utendi pileolo et birreto violacei coloris.* Pius PP. IX s. m. Brevi *Ecclesiarum omnium,* die 17 Iun. 1867 « Omnibus et singulis catholicae Ecclesiae Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis tam praesentibus, quam futuris concessit atque indulsit, ut ipsi in posterum... *pileolo violacei coloris* uti libere ac licite possint et valeant. Non obstantibus quibuscumque ».

Leo autem XIII s. m. Litt. Apost. incip. *Praeclaro* diei 3 Febr. 1888 perpetuum in modum concessit, ut universi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi *birreto violacei coloris* hoc futurisque temporibus uti libere et licite possint et valeant. Hoc ita illis proprium voluit, ut *alius, qui Episcopali dignitate non sit insignitus,* eiusmodi ornamento *ullatenus potiri queat.* Non obstantibus etc. (Vid. *Acta S. Sed.* vol. XX, p. 369; *Supplem. ad Ferraris,* vol. IX, v. *Episcopus,* n. 3).

CAPUT VIII.

Episcopi seu Vicarii Apostolici quoad consecrationem Sacrorum Oleorum.

291. S. Congregatio de Prop. Fid. die 18 Febr. 1783, ad Vicarium Apostolicum Sophiae respondit: *Posse ipsum uti veteribus Oleis Sanctis, quoties, adhibita diligentia, Olea recenter consecrata a catholico Episcopo cum Romana Ecclesia communionem habente, paschali tempore recipere nequeat, urgeatque necessitas Sacramenta ministrandi* (*Collectan. eiusd. S. C.* n. 489).

292. S. Congregatio S. O., die 14 Febr. 1704, ad Praef. Aethiopiae rescripsit: Factis debitis diligentiis, si nova Olea non suppetant, posse Missionarium, ex privilegio Clementis VIII, uti veteribus Oleis per *quatuor annos et ultra* (Apud cit. *Collect.* n. 487).

293. Cum Episcopis et Vicariis Apostolicis in Sinis et Regnis adiacentibus quandoque contingat, ut iis premantur angustiis, quibus legitime impediantur, quominus iuxta sacros Ritus quotannis Olea sacra benedicant, Gregorius XVI indultum alias concessum in similibus casibus, ut veteribus Oleis utantur, *confirmat in perpetuum, et ad omnes Episcopos et Vicarios Apostolicos supradictos extendit* (S. C. de Prop. Fid. die 37 Sept. 1835; loc. cit. n. 490).

294. Exclusis tamen praedictis necessitatis casibus, Episcopi tenentur singulis annis Feria V in Coena Domini sacra Olea renovare, veteribus oleis combustis (Cf. cit. *Collectan.* n. 486).

295. Quaesitum est: An Patriarchae Maronitarum liceat recipere pecuniam in dispensatione sacrorum Oleorum, etsi sponte offeratur?

S. C. de Prop. Fid. die 8 Iul. 1774 respondit: *Negative,* et servetur omnino dispositum in Bulla *Apostolica* Benedicti XIV (Collect. cit. n. 488). In huiusmodi Bulla, incip. *Apostolica Praedecessorum,* praecipitur, ut Parochi et Superiores ecclesiarum et monasteriorum quasdam pecuniarias oblationes sub nomine *charitativi subsidii* contribuant et solvant *die Dominica infra Octavam As-*

sumptionis B. M. V. Ipse vero Patriarcha pro tempore existens, alio opportuno tempore sacra Olea gratis omnino transmittat sive distribuat, et nihil penitus vel pecuniae, vel alterius cuiuscumque rei, etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat (*Bullar. Const.* 43, de die 14 Febr. 1742, §§ 5, 6, 7; et vid. etiam *de Syn. dioec.* lib. V. cap. 7, n. 10).

296. Non est necessarium, quod Olea Feria V in Coena Domini consecranda *sint recentia,* ex. gr. ultimi anni (S. R. C. die 22 Mart. 1862. N. 3114 ad 5).

297. Vasa tria praescripta forma conficiantur: unum, in quo *sacri Chrismatis,* alterum, in quo *sacrae Extremae Unctionis,* tertium, in quo *Catechumenorum Oleum* consecretur. Singula vasa distincta sint inscriptione, litteris grandiusculis inauratis expressa (*Instructiones Eccl. Mediol.* l. II, apud Adone, lib. I, n. 998).

298. Sacrorum Oleorum consecratio fieri nequit Feria V in Coena Domini *ante Missam Conventualem* (S. R. C. die 9 Maii 1857. N. 3044 ad 2^{m}).

299. Episcopus in Oleorum consecratione medius stet inter Diaconum et Subdiaconum; Archidiaconus ad latus Subdiaconi, nempe ad sinistram Episcopi ut commode possit sumere a Ministris vasa Oleorum et Librum seu Pontificale; Diaconi vero assistentes maneant hinc inde ad latus Altaris, manibus iunctis, stantes tamen et Sacramentum adorantes (S. R. C. die 20 Mart. 1869. N. 3202).

300. Oleorum sanctorum confectioni assistere debent (ultra Ministros Altaris) *septem Subdiaconi,* induti Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, et Tunicella; *septem Diaconi,* induti Amictu, Alba, Cingulo, Stola transversa, Manipulo, et Dalmatica; *duodecim Presbyteri,* induti Amictu, Alba, Cingulo, Stola directa, et Planeta (S. R. C die 13 Ian. 1681. N. 1660).

301. Quatenus sufficiens numerus Presbyterorum in Dioecesi non reperiatur, vel aliter commode haberi nequeat, super quo Episcopi conscientia oneratur, et dummodo in reliquis, quantum fieri potest, Pontificali libro se conformet, ipsi facultas concedi potest conficiendi Olea sacra cum minori numero Ministrorum (S. R. C. die 7 Febr. 1874. N. 3325, et N. 3402 ad 7^{m}).

302. Imploranda est autem dispensatio a S. Sede *toties quoties occurrat* defectus tum Presbyterorum tum Ministrorum, in casu consecrationis Oleorum sanctorum (S. R. C. die 19 Iun. 1875. N. 3359).

303. In praedicta confectione sacrorum Oleorum forma libri Pontificalis servanda est; nec Canonici a dicta functione sunt exempti quatenus sine eis numerus sufficiens assistentium non reperiatur (S. R. C. die 9 Maii 1606. N. 210).

304. Olea sacra, si non sufficiunt pro Ecclesiarum consecratione, Episcopus debet ea petere *a vicinioribus Episcopis:* Non enim conceditur facultas iterum benedicendi alia Olea *extra tempora* (S. R. C. die 27 Nov. 1864. N. 3125).

305. Olea sancta conficienda sunt *publice in Ecclesia,* non autem private in Sacello domestico. Quod si Episcopus ob aegritudines nequeat ea conficere, id potest, imo debet ex necessitate propriae ecclesiae alteri Episcopo committere (S. R. C. die 13 Iun. 1693. N. 1896).

306. Oleorum consecratio fieri omnino debet in Cathedrali, *cessante legitimo impedimento.* Dato vero, quod Episcopus, propter aliquam canonicam necessitatem, Oleorum sanctorum consecrationem faciat in aliqua alia Ecclesia Dioecesis, attamen eadem Olea sacra *dispensari debent in Ecclesia Cathedrali* (S. R. C. die 19 Febr. 1707. N. 2178; et N. 2298).

307. Oleorum distributio ecclesiis subiectis facienda est *per Archidiaconum* iuxta alias decreta, non vero per Caeremoniarium Cathedralis (S. R. C. die 25 Sept. 1852. N. 3006 ad 2).

308. Urgente necessitate Oleis sacris addi potest *pars modica Olei non benedicti;* hoc autem faciendum est quando intra annum deficiunt, et non quando distribuuntur post consecrationem (S. R. C. die 7 Dec. 1844. N. 2883 ad 3^{m}).

De S. Oleis non mittendis per cursus publicos seu per publica officia postalia.

Beatissime Pater,

309. Il Vescovo di Porto Alegre, nel Brasile, prostrato ai piedi della S. V. umilmente espone che nella sua diocesi molti parrochi'

a causa delle immense distanze della scarsezza di ferrovie e delle conseguenti difficoltà e grave costo dei viaggi, sono costretti talvolta di omettere o almeno ritardare di molto l'annuale rinnovazione degli Olii Santi. Domanda perciò umilmente la facoltà di far trasportare per posta i detti olii colla massima decenza, ed evitando nel miglior modo possibile qualsivoglia profanazione (1).

Fer. IV. 14 *Ianuarii* 1903.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram EEmis ac RRmis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ut in Leavenworthien. feria IV die 1 *Maii* 1901.

Porro citatum decretum in Leavenworthien. sic se habet:

« I. Licetne Sacra Olea transmittere ad Sacerdotes per « The Express », seu societatem quamdam mercatoriam ex acatholicis, ut plurimum, et ethnicis, quae res varias exportandas recipit?

« II. Licetne eadem Sacra Olea ad Sacerdotes mittere per viros laicos, quo ipsorum Sacerdotum convenientiae consulatur?

« Suprema haec S. C. respondit:

« Ad I. Non licere.

« Ad II. Deficientibus clericis, affirmative, modo constet de laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate ».

Sequenti vero Feria V, die 15 eiusdem mensis et anni SSmus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Notarius.

---

(1) *Versio latina:* Episcopus Portus *Alegre* in Brasilia, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit, in sua dioecesi ob extraordinarias distantias, ob parvum numerum viarum ferrearum, atque consequentes difficultates magnasque itineris expensas, multos Parochos aliquando omittere aut saltem diu retardare annuam Sacrorum Oleorum renovationem cogi. Quare humiliter expostulat facultatem transmittendi per publica officia postalia *(posta)* dicta Olea, servata maxima decentia et amota meliori quo fieri potest modo qualibet profanatione.

CAPUT IX.

Facultates concessae Episcopis quoad Matrimonium.

310. Litteris S. Officii datis die 20 Februarii 1888 ut supra iam notavimus concessa est *locorum Ordinariis* facultas dispensandi, *sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam,* aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis *quantumvis publicis,* matrimonium *iure ecclesiastico* dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente (*Act. S. Sed.* vol. 20, p. 543).

311. Si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro Subdiaconatus aut Diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem facere debent, et interim omni ope curare, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum (Loc. cit.).

312. Eadem S. Officii Congregatio, decreto diei 9 Ianuarii 1889, declaravit, Ordinarios quibus memorata facultas praecitatis litteris diei 20 Febr. 1888 data fuit, posse illam *subdelegare habitualiter Parochis tantum,* sed pro casibus dumtaxat, in quibus deest tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi, et periculum sit in mora (*Act. S. Sed.* vol. 22, p. 640).

313. Proposito autem dubio: An sub nomine Parochorum in subdelegatione facultatis intelligendi sint etiam *vice-parochi* vel

oeconomi curati ad nutum amovibiles, in quibus paroeciis Parochi stricte sumpti ac vere nominis non sunt creati?

Responsum fuit: *Comprehendi omnes, qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis* (S. O. die 23 Apr. 1890; apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. 22, p. 490).

314. In dicta facultate dispensandi super impedimentis matrimonii in articulo mortis comprehenditur etiam facultas *legitimandi prolem, excepta prole adulterina et prole proveniente a personis Ordine sacro aut solemni Professione religiosa ligatis* (S. Congregatio Inq. die 8 Iulii 1903 apud *Acta Ord. Min.* ann. XXII, pag. 138).

315. Praefata facultas dispensandi aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium *iure ecclesiastico* dirimentibus, extenditur etiam ad casus, in quibus impedimentum directe non aegrotum, sed bene valentem afficit, vel etiam ambos, scilicet tum aegrotum tum bene valentem (S. O. die 1 Iul. 1891; *Nouv. Rev. Théol.* tom. 24, p. 49).

316. Ex quo sequitur 1° ut si civiliter sint coniuncti, aut alias in concubinatu vivant, ex. gr. puella soluta et Diaconus, illaque graviter aegrotante, hic valens sit, vi decreti 20 Febr. 1888 potest Ordinarius cum his dispensare. 2° Si Monialis aegrotans in concubinatu viveret cum Diacono bene valente, esset similiter locus dispensationi, quamvis Diaconus non sit in gravissimo mortis periculo constitutus. In utraque tamen casu debet Ordinarius Congregationem S. Officii de impertita dispensatione certiorem reddere, ac ea interim curare, quae in eodem Decreto 20 Febr. 1888 praescribuntur (Decr. eod. S. O. loc. cit.).

317. At memorata facultas non se extendit ad aegrotos in mortis articulo constitutos, qui matrimonium *civile,* quod vocant, non celebrarunt, nec actualiter vivunt in concubinatu, quamvis in eo vixerint, prolemque genuerint (S. O. die 17 Sept. 1890, apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. 24, p. 47 et 3 Maii 1899, — apud *Act. S. Sed.* vol. 32, p. 62).

Quinam pauperes vel quasi pauperes censendi sint in ordine ad dispensationes matrimoniales?

318. Episcopus *Neocastren.* supplicavit ut sibi daretur determinata norma, quae, inter tot variorum Auctorum opinamenta, teneri debeat in indicando statu paupertatis vel quasi paupertatis oratorum pro dispensationibus matrimonialibus.

Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet: Donec aliud a S. Sede non statuatur, standum decreto Benedicti XIV, dato per S. Congr. S. Officii fer. V die 25 Septembris 1754, iuxta quod, *in ordine ad dispensationes matrimoniales, pauperes in Italia* censendi sunt tum qui ex labore et industria tantum vivunt, tum qui aliqua possident bona, sed non ultra summam scutatorum romanorum 300 in capitali (idest libellarum 1612, 50). Fere pauperes autem ibidem ii dicendi sunt, quorum bona non excedunt in capitali summam scutatorum mille (idest libellarum 5735), a quibus tamen fere pauperibus modicum taxae augmentum exigi solet.

Datum in S. Poenitentiaria, die 20 Ianuarii 1904.

319. Episcopi possunt *ex legitima causa* dispensare *super denunciationibus* seu proclamationibus, quae banna etiam dicuntur, quibus fideles admonentur de matrimonio inter certas personas contrahendo, ut si quis sciat aliquod impedimentum inter contrahere volentes existere, illud opportuno tempore auctoritati ecclesiasticae seu Parocho manifestet (Vid. Conc. Trid. sess. 24, *Decr. de Ref. Matrim.;* Bened. XIV, Const. *Satis Vobis*, 27 Nov. 1741, § 5; item *Instit.* 87, n. 22).

320. In praecitatis Litteris S. O. anni 1888 non comprehenditur facultas dispensandi ab *impedimento impediente mixtae religionis.* Nihilominus Summus Pontifex Leo XIII cuidam Episcopo praefatam facultatem dispensandi, ob peculiaria adiuncta, benigne concessit *ad triennium, adhibitis solitis clausulis pro matrimoniis mixtis* (S. O. die 18 Mart. 1891, approb. Sum. Pont. die 20 Mart. eiusdem anni; *Act. S. Sed.* vol. 31, p. 52).

CAPUT X.

Facultates quae Episcopis a S. Sede concedi solent, circa compositionem, Officiales publicos, etc.

I.

Compositio cum Apostolica Sede.

321. Nomine *Compositionis* intelligitur partialis quaedam remissio debiti facta auctoritate Summi Pontificis. Compositio igitur habetur quando Romanus Pontifex suprema sua potestate debitori indulget ut maior quantitas restituenda in minorem (in pias causas impendendam) commutetur; reliquam vero sibi retineat; supplendo tamen de thesauro Ecclesiae utilitatem spiritualem, quae domino obveniret, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset.

Ut compositio sit legitima requiritur: 1° Ut bona sint *incerta;* si enim domini aliqualiter cognoscantur, non poterunt sine iniuria et absque eorum consensu spoliari. 2° Ut adsit *iusta causa;* secus enim compositio valida quidem, sed illicita foret in *rebus ecclesiasticis;* in ceteris vero etiam invalida. Ratio est, quia in primo casu Summus Pontifex, utpote supremus Administrator omnium bonorum Ecclesiae, in lege propria dispensat, non item in secundo casu. Porro rite peracta compositione, debitum tam in foro interno quam externo omnino extinguitur, neque domino, si postea forte compareat, ulla amplius competit restitutio, ut verior Auctorum sententia docet; nam rei dominium iam *legitime* translatum est (Cf. S. Alph. *Homo Ap.,* tract. X, n. 17; Scavini et Mar. *de Restit.,* Bucceroni, *Suppl.* ad Ferrar., vol. IX, v. *Compositio*).

Advertendum est, emptores bonorum ad causas pias *mere laicales* pertinentium, generatim loquendo non indigere compositione, nisi, ratione onerum super iisdem bonis impositorum, aliquod ius Ecclesiae competat, quo casu Ordinarius utatur facultatibus S. Poenitentiariae circa *compositiones* (S. Poenitentiaria die 9 Mart. 1894, et 14 Dec. 1898. Apud *Acta S. Sed.* vol. 31, p. 535).

Compositionis facultas habetur in Bulla Cruciatae, quae adhuc viget in quibusdam regionibus, puta in Hispania, et ea in casibus particularibus consulenda est. Potest etiam concedi et obtineri a S. Poenitentiaria, ut constat ex Bulla Benedicti XIV, *Pastor bonus,* n. 24 et 25. Non autem sine speciali indulto concedi potest ab Episcopo, cum huiusmodi facultas sit actus supremae potestatis.

Specimen *indulti compositionis,* quod a S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate locorum Ordinariis ad annum duraturum communicari solet, refertur a Bucceroni loco citato, quod est de die 15 Apr. 1892, cui accedit commentarius eiusdem cl. Auctoris.

II.

Facultates de Officialibus publicis.

322. Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nostro Leone XIII, Ven. in Christo Patri Episcopo NN. attentis peculiaribus adiunctis, ad annum duraturas infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per suum Vicarium in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ab alterutro ad hoc in singulis casibus specialiter subdelegandas intra fines suae dioecesis et pro grege ipsi commisso uti licite et libere valeat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

1. *Indulgendi* Christifidelibus ut officium administratoris locorum piorum retinere et de novo assumere et exercere licite possint, ad effectum et sub conditione curandi utilitatem locorum piorum, et circa alienationem bonorum rem agendi cum Ordinario. Porro quisque curabit scandalum amovere, caute manifestando se id peragere de licentia Apostolica. Ordinarius vero in administratione locorum piorum passive se habeat, nullumque positivae conniventiae argumentum respectu Gubernii exhibeat, et eidem dumtaxat, si fuerit interrogatus, respondeat.

2. *Absolvendi* a censuris et poenis ecclesiasticis officiales publicos, quibus demandata est executio legum super usurpatione bonorum aliorumque iurium ad Ecclesiam et loca pia spectantium ac super suppressione Ordinum regularium, quique idcirco vi pro-

prii muneris cooperantur, imposita tamen illis obligatione dimittendi officium vel quamprimum recurrendi ad S. Poenitentiariam, et dummodo prius verae resipiscentiae signa exhibuerint et iuramentum, quatenus illud emiserint, retractaverint; separato scandalo meliori modo quo fieri potest prudenti iudicio absolventis, iniuncta singulis pro modo culparum congrua poenitentia salutari aliisque iniunctis de iure iniungendis.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria.

III.

Facultates circa Forum et Iudices.

323. Sacra Poenitentiaria, attentis peculiaribus causis, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nostro Papa Leone XIII, Ven. in Christo Patri N. N. attentis peculiaribus adiunctis, ad annum duraturas infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per suum Vicarium in spiritualibus generalem, sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab alterutro ad hoc in singulis casibus specialiter subdelegandam intra fines suae dioecesis et pro grege ipsi commisso, uti licite et libere valeat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

1. *Componendi* absque strepitu et figura iudicii controversias inter personas ecclesiasticas et regulares, praevio tamen examine super rationibus et documentis ac salva semper iustitia.

2. *Indulgendi* quibuscumque, ut loca pia et ecclesiasticas personas apud iudices laicos in causis civilibus convenire, ac etiam in causis criminalibus, quae periculum capitis nullimode afferunt, accusare valeant, dummodo accusatores aliter propriae indemnitati nequeant consulere, et quatenus iidem sint personae ecclesiasticae, facta prius protestatione iuxta S. Canones.

3. *Habilitandi* ecclesiasticos quoscumque ac loca pia, ut in iudicium coram iudicibus laicis tam active quam passive comparere ac proprias causas civiles tantum ac profanas agere valeant.

4. *Indulgendi* pariter iisdem, ut citati apud forum saeculare criminales causas agere et se defendere valeant.

5. *Permittendi* ut documenta et acta episcopalis Curiae ex tabulario ecclesiastico extrahantur, et saeculari potestati tradantur,

cum ipsa saecularis potestas id ex officio requisierit, facta saltem quo meliori ac decentiori modo possit declaratione, ex qua pateat ecclesiasticam potestatem ea in re cedere circumstantiarum gravitati iuxta instructiones a S. Sede tributas.

6. *Permittendi* iudicibus laicis aliisque executoribus sibi ob morum integritatem et studium religionis benevisis, ut in causis tam criminalibus mere profanis (exceptis causis Episcoporum, Ordinariorum aliorumque Superiorum Praelatorum) quam civilibus item profanis, ecclesiasticas personas bonaque Ecclesiae vel loca pia respicientibus iudicare, iudiciaque etiam diebus festis, ubi ipsa lege coguntur, agere valeant, remoto scandalo et salvis ceteroquin legibus divinis et ecclesiasticis.

7. *Permittendi* iisdem executoribus, ut contra delinquentes et suspectos, si ad locum immunem confugerint, servatis quantum fieri potest debitis cautelis, valeant procedere, remoto scandalo.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria.

IV.

Facultates circa Rebelles etc.

324. Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nostro Papa Leone XIII, Ven. in Christo Patri Episcopo N. N. ad annum duraturas infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per suum Vicarium in spiritualibus generalem, sive confessarios ipsis benevisos ab alterutro ad hoc etiam habitualiter, non tamen ultra praefinitum tempus specialiter subdelegandos intra fines suae dioecesis *pro foro conscientiae* uti licite et libere valeat: contrariis quibuscumque non obstantibus:

1. *Absolvendi* a censuris et poenis ecclesiasticis omnes et singulos poenitentes, qui rebellioni ditionis pontificiae cooperati sunt vel adhaeserunt, aut quocumque modo operam suam vel favorem praestiterunt, sive votum pro unione Italiae sub unico rege dederunt, aut immunitatem ecclesiasticam violaverunt; dummodo tamen prius verae resipiscentiae signa exhibuerint, reparato scandalo meliori modo quo poterunt prudenti iudicio absolventis, et imposito

onere standi mandatis S. Sedis desuper ferendis, cum congrua pro modo culparum poenitentia salutari, aliisque iniunctis de iure iniungendis. Exceptis tamen rebellionum magistris, coryphaeis, instigatoribus ac officialibus publicis, et exceptis illis, qui violaverunt immunitatem ecclesiasticam per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos aut alios ecclesiasticos in dignitate constitutos, pro quibus omnibus recurrendum erit in singulis casibus ad S. Poenitentiariam.

2. *Absolvendi* sub praefatis conditionibus et exceptionibus ecclesiasticos, si qui in praemissis culpabiles extiterint, postquam tamen tempore, modo et loco ab Ordinario determinandis, exercitiis spiritualibus vacaverint; et si supplicibus libellis pro inducendo Romano Pontifice ad dimittendum temporale dominium subscripserint, omissa retractatione ut sequitur: *Io N. N. confesso ed affermo essere errore e temerità contraddire alle dottrine manifestate dalla Chiesa, e non potersi senza grave peccato ricusare ossequio e sincera sottomissione all' autorità della S. Sede, e perciò rispetto e mi uniformo a tutte le dichiarazioni della medesima e specialmente a quelle che riguardano il dominio temporale del Sommo Pontefice, alle quali ha fatto eco l' intero Episcopato cattolico:* et cum eisdem super irregularitate ex violatione dictarum censurarum quomodocumque contracta Apostolica auctoritate misericorditer dispensandi; iniuncta singulis congrua poenitentia salutari aliisque iniunctis de iure iniungendis; exceptis tamen personis quae in num. praecedenti excipiuntur.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria.

V.

Facultates de rebus mobilibus et conductionibus.

325. Sacra Poenitentiaria de speciali ac expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nostro Papa Leone XIII, Ven. in Christo Patri Episcopo N. N. ad annum et durantibus temporum adiunctis valituras infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per suum vicarium in spiritualibus generalem,

sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ab alterutro ad hoc, etiam habitualiter, non tamen ultra praefinitum tempus, specialiter subdelegandas pro grege ipsi commisso uti licite et libere valeat, contrariis quibuscumque non obstantibus:

1. *Indulgendi* christifidelibus ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles vel inter mobiles adnumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a gubernio usurpatas acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerit pretio, quod iudicio ipsius ordinarii aut subdelegati fuerit minus iusto, ita tamen, ut si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur et parati sint eas quandocumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curando pro viribus, ut, supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum seu oratoriorum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

2. *Providendi* sub iisdem conditionibus, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res iam emerint.

3. *Indulgendi* pariter christifidelibus, ut bona ecclesiastica a gubernio occupata vel ab iis qui a gubernio illa acquisierint sine licentia S. Sedis, conducere seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, tamen S. Poenitentiaria declarat, non obstare quod, sic iubente gubernio seu locatore, conductio fiat ultro triennium, cum huiusmodi conductionis contractus sit ipso iure nullus, et indultum apostolicum concedatur conductori tantum pro

suae conscientiae tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria.

VI.

Facultates quoad Congregationes charitatis.

326. Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, attentis praesentibus rerum angustiis, Ordinario N. N. facultatem concedit ad annum duraturam:

1. *Permittendi* intra fines suae dioecesis ut christifideles sibi benevisi, non tamen ecclesiastici, pro quibus in singulis casibus recurrendum erit, Congregationis charitatis nuncupatae officia assumere et exercere valeant, cum obligatione curandi utilitatem locorum piorum, quorum bona a Congregatione ipsa administrantur vel in posterum administrabuntur; et curandi ut pia legata, in quantum fieri potest, suae destinationi conserventur; et ut praesertim divino cultui provideatur.

In iis autem in quibus lege civili agente, piae fidelium voluntati derogandum erit, eam mentem gerant ut praefatam legem approbare non intendant, idque ad scandalum removendum sua agendi ratione sufficienter ostendant, atque Ordinarii consilio in difficilioribus se dirigant.

2. *Permittendi* iisdem administrationibus Congregationis charitatis alienationem bonorum etiam immobilium, quando casus omnino urgeat, quin tamen releventur emptores, qui sine Ecclesiae venia ea acquisituri sint.

Et 3. Si agatur de iis qui officia supradicta sine Ecclesiae venia iam susceperint et exercuerint, illos de speciali Apostolica auctoritate per personas Ecclesiasticas ab ipso Ordinario ad hoc specialiter deputandas a censuris quomodolibet incursis absolvendi, permittendo etiam ut in assumptis officiis perseverent cum conditionibus superius expressis: Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria.

(Vid. Bucceroni, *Supplem. Bibliothecae Ferraris,* vol. IX pag. 338).

CAPUT XI.

Episcopus aegrotans vel defunctus.

327. Sacramenta administrare Episcopo aegrotanti ac in extremis laboranti, spectat *ad Capitulum Cathedralis* privative quoad Parochum unicum loci, intra cuius limites Episcopus degit (Die 1 Apr. 1662. N. 1230; et N. 2076 ad 1).

328. Episcopo infirmo Sacramenta ministrare, eoque defuncto Officia celebrare, non spectat ad Canonicos, sed *ad Dignitates gradatim* iuxta eorum ordinem (Die 26 Aug. 1713. N. 2219 ad 3).

329. Episcopo aegrotanti Sacramenta ministranda sunt a *Digniore Capituli Cathedralis,* non autem a loci Archipresbytero, ut Parocho (Die 22 Nov. 1681. N. 1684 ad 12).

330. Episcoporum cadavera exponenda sunt cum sacris paramentis Ordini Epicopali competentibus; et si adsit consuetudo, sic induta sepeliantur (Die 12 Nov. 1831. N. 2682 ad 25).

Idem dicendum est de cadaveribus Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque de Clero (ibid.).

331. Feretrum cum cadavere Episcopi defuncti *deferre tenentur Beneficiati,* qui ad id a Capitulo compelli possunt (Die 10 Mart. 1657. N. 1021).

332. Dum corpus Episcopi Dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae Aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae *in suffragium animae eius* per totum mane celebrari possunt. Quod privilegium extenditur ad *Vicarios Apostolicos* in suis Vicariatibus, ad Abbates ceterosque Praelatos *Nullius Dioecesis;* et ex speciali gratia ad Episcopos *Titulares;* dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur, et ornamentis Pontificalibus (excepto baculo pastorali) si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio (Die 3 Apr. 1894. N. 3822; approb. Summo Pontif. die 29 eiusd. mensis et ann.).

CAPUT XII.

Officia, Iura et Privilegia Vicarii Generalis.

333. *Vicarius Generalis,* qui et *Officialis* dicitur, ille est, qui ex Episcopi mandato iurisdictionem exercet in tota Dioecesi. At Vicarius Generalis, quamquam a Iure quandoque dicatur *Officialis,* attamen in aliquibus regionibus, ut in Germania, Gallia, Belgio etc. usus obtinuit, ut ab Officiali distinguatur, quatenus *Vicarius* nuncupetur, qui ea exercet, quae sunt iurisdictionis *voluntariae; Officialis* vero, qui iurisdictioni praeest *contentiosae* (Bened. XIV, de *Syn. dioec.* lib. III, cap. III, n. II; Aichner, *Compend. Iuris Ecclesiast.* pag. 423, edit. 7ª).

334. *Vicarium Generalem* potest Episcopus constituere *propria auctoritate,* ac ideo sine consensu vel consilio Capituli. Imo non solum potest, sed ordinarie tenetur Vicarium Generalem sibi assumere, excepto casu, quo ipse Episcopus sit peritus Iurista, velitque negotia per se tractare, et Episcopatus non sit valde amplus (Ferraris, verb. *Vicarius Generalis,* art. I, n. 3 et 4; Reiff. *Lib. I Decretal. tit.* 28, n. 64 sq.).

335. Si Episcopus *duabus Dioecesibus aeque principaliter unitis* praesit, pro unaquaque Dioecesi *proprium ac distinctum Vicarium Generalem* constituere potest; imo aliquando etiam debet, et cogi potest, ut constituat distinctos Vicarios Generales, ceu resolvit S. C. Ep. et Reg. die 7 Iun. 1594, et S. C. C. die 2 Oct. 1706. Ita Santi, *lib.* I *Decretal. tit.* 28, n. 22; Ferraris, l. c. n. 11.

336. Quoad *qualitates* Vicarius Generalis 1° debet esse constitutus in aetate 24 anni completi; 2° debet esse *Doctor* aut *Licentiatus* in Iure Canonico (Trid. sess. 24, cap. 12 et 16 de Ref.) (1).

337. Plures Canonistae arbitrantur, non posse Episcopum sibi assumere in Vicarium Generalem, qui sit eius consanguineus, vel qui sit originarius Dioecesis. Certe plures declarationes S. C. Ep. et Reg. allegatae a Ferraris, loc. cit. n. 29 ad 36, sententiam eo-

(1) Idem volunt plures S. C. Ep. et Reg. decisiones, quas tamen nonnulli negant constituere legem universalem.

rumdem Canonistarum veram ostendere videntur. Ast alii Canonistae censent, dictas declarationes fuisse editas pro casibus specialibus. Verum, *saltem pro Provincia Romana,* extat Decretum editum in Concilio Romano sub Benedicto XIII celebrato anno 1725, quod sic se habet: *Episcopi praeterea in Vicarios Generales suos fratres, aut nepotes, aut propriae Episcopalis Urbis cives non eligant* (Vid. Ferraris, loc. cit.; et cf. Santi, pag. 217, n. 29).

338. Nihilominus *praxis* et *consuetudo* assumendi extraneam personam in Vicarium Generalem non semper eadem ubique fuit, et haec praxis potest excusare ab observantia praescriptionis huiusmodi, attenta praesertim difficultate in his temporibus, habendi doctum idoneumque Sacerdotem, qui possit aut velit, propria relicta, ad aliam Dioecesim transire.

339. *Regularis,* ex iteratis declarationibus S. Congr. Ep. et Reg. allegatis a Ferraris in sua Bibliotheca, loc. cit. n. 21, *non potest esse Vicarius Generalis* Episcopi, nisi cum aliis requisitis habeat etiam *licentiam Apostolicam* degendi extra claustra: quod etiam eruitur ex Decretis Clementis VIII, *De Reformatione Regularium* n. 32, ubi statuitur, quod *degentes extra Conventum, ad eum quamprimum revocentur... nec de cetero nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.*

340. Vicarius Generalis esse nequit Dignitas aut Canonicus Ecclesiae Cathedralis, *cui adnexa est cura animarum,* ceu resolvit S. Congregatio Concilii die 3 Febr. 1685 apud Santi, n. 28, necnon pluries S. Congr. Ep. et Reg. penes Ferraris, loc. cit. art. I, n. 27 et 28. Et ratio patet; nam Parochus potitur officio, quod assiduam adsistentiam et operam exigit. Ob eamdem aliasque rationes nec Canonicus Poenitentiarius assumi potest in Vicarium Generalem (Vid. Santi ibid.; Ferraris, loc. cit. n. 36).

341. *Vicarius Generalis* in iis, quae *iurisdictionis sunt,* censetur una eademque cum Episcopo persona, atque unum et idem est utriusque tribunal: ex quo fit, ut a sententia Vicarii Generalis, non ad Episcopum, nec ab eodem ad eumdem, sed ad Metropolitanum, cui Episcopus subest, interponatur appellatio (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. VIII, n. I).

342. Quamquam *Vicarius Generalis* ordinariam Episcopi iurisdictionem, *Episcopi nomine,* in Dioecesi exerceat, plurima tamen sunt, quae *virtute solius generalis mandati* seu commissionis Vicarius Generalis facere nequit *sine speciali Episcopi mandato.*

343. Inter ea, quae *sine speciali Episcopi mandato* a Vicario Generali expleri nequeunt, haec enumerantur:

1° Ea quae spectant *ad potestatem Ordinis,* puta, Chrisma conficere, Sacramentum Confirmationis conferre, Ecclesias et Altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem pristinam restituere. Haec quippe, aliaque huius generis, Vicarius Generalis, *etsi Episcopali Ordini sit insignitus,* peragere non potest, sine peculiari Episcopi dioecesani consensu; cum non in istis, sed *in iurisdictionis dumtaxat exercitio,* illius vices gerat; ob quam rationem nec ea peragendi potest alteri Episcopo facultatem impertiri (Bened. XIV, loc. cit. n. II; et vid. Ferraris, loc. cit. art. II, n. 19).

2° Non potest Vicarius Generalis, *sine speciali mandato, concedere litteras dimissorias ad Ordines,* excepto casu, quo Episcopus versetur in longinquis regionibus (Bened. XIV, ibid.).

3° In materia *Beneficiali* non potest ea peragĕre, quae sunt *merae liberalitatis et gratiae,* vel speciem habent alienationis. Hinc, *sine speciali Episcopi mandato,* non potest Vicarius Generalis conferre Beneficia, aut ad ea, quae Iuris patronatus *Episcopalis* sunt, Clericos nominare, praesentare, vel eligere, quia tam collatio Beneficii, quam ad istud praesentatio, seu electio, donationem quamdam et liberalitatem sapit. Item non potest Beneficia supprimere, aut simul unire, vel factas uniones revocare; nam haec omnia speciem referunt alienationis; nec pariter potest Beneficiorum renunciationes recipere. Potest tamen Vicarius Generalis Clericos praesentatos a Patronis instituere et electos confirmare. Institutio enim et confirmatio, non liberalitatis et gratiae, sed *necessitatis* et *iustitiae* sunt actus (Bened. XIV, ibid. Ferraris, art. II, n. 5).

4° *Sine speciali Episcopi mandato* non potest Vicarius Generalis *Synodum dioecesanam indicere* et celebrare (S. C. C. die 4 Dec. 1655, apud Bened. XIV, loc. cit. n. III).

5° *Sine speciali mandato* non potest Vicarius Generalis *Dioecesim visitare,* cum ex Tridentino, sess. 24, cap. III, Episcopi de-

beant *per seipsos,* aut si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium aut Visitatorem propriam dioecesim visitare.

6° Non potest Vicarius Generalis *sine speciali Episcopi mandato, a casibus Episcopo reservatis* absolvere; nec in casibus procedere, in quibus Episcopus procedit, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus nec in irregularitatibus et in suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare (Trid. sess. 24, cap. 6); nec causas criminales graviores Clericorum cognoscere; et generatim Vicarius Generalis nequit, sine speciali Episcopi mandato, *graviora negotia, causasque arduas* pertractare atque expedire. Vid. plura penes Reiff. loc. cit. § IV per totum; Ferraris, art. II; et cf. Aichner et Santi loc. cit.

7° Vicario Generali delegari nequit *benedictio paramentorum* et *utensilium Altaris; nec consecratio Campanarum,* aliarumque rerum, in quibus unctio Chrismatis intervenit (S. R. C., die 22 Sept. 1703. N. 2119; et vid. etiam N. 3190; et 2377 ad 4).

8° Vicarius Generalis nequit delegare Sacerdotibus *Benedictiones reservatas,* in Rituali Romano contentas, neque ex facultate ordinaria, neque ex speciali delegatione Episcopi (S. R. C. die 2 Apr. 1875. N. 3343 ad 2^{m})

9° Vicario Generali, *uti Vicario,* non competit *ius supplendi vicibus Episcopi* in celebratione *Missarum solemnium,* aliorumque Divinorum operatione; et contraria consuetudo est abusus, et decretum synodale id decernens non sustinetur (S. R. C. die 29 Mart. 1659. N. 1111 ad 1^{m}).

344. *Vicarius Generalis quoad locum seu sedem vel praeeminentiam.*

I. Vicario Generali in habitu *vicariali,* tam praesente quam absente Episcopo (nisi tamen consueverit sedere in sede et loco separato) semper et ubique debetur praecedentia *supra omnes de Capitulo,* dummodo hi sacris vestibus non sint induti. Si vero Vicarius Generalis sit *de gremio Capituli,* sedere debet in loco receptionis, si vult distributiones lucrari (S. R. C. die 15 Sept. 1691. N. 1856, et pluries).

II. *Vicarius Generalis* occupare nequit *stallum Dignitatis,* sed addendum est sedile in Choro, et primus locus dandus Vicario (S. R. C. die 4 Aug. 1663. N. 1277).

III. *Vicarius Generalis,* qui simul est quarta Dignitas, quando vult intervenire tamquam Capitularis et dare votum in Capitulo, debet sedere et dare votum *in suo quarto loco* (S. R. C. die 20 Nov. 1677. N. 1602).

III. Vicarius Generalis, *qui non est de gremio Capituli,* debet occupare primum et dignius stallum in Choro a parte dextera; quod stallum manere debet fixum, nec ab aliis unquam, eo absente, occupandum; et in casu Archidiacono dandus est locus primus a parte sinistra (S. R. C. die 20 Dec. 1692. N. 1886).

IV. Vicario Generali non debetur in Choro *pulvinar nec stratum,* sed sedeat primus inter Dignitates et Canonicos (S. R. C. die 3 Aug. 1737. N. 2331 ad 5^{m}; et vid. etiam N. 2386 ad 3^{m}).

V. *Vicarius Generalis* in functionibus ecclesiasticis peragendis extra Cathedralem sedere debet *in loco digniori* a capite circuli Canonicorum, dummodo Canonici paramentis sacris non sint induti (S. R. C. die 3 Iul. 1745. N. 2386 ad 4^{m}).

VI. Vicarius Generalis, *quamvis sit Protonotarius,* in Missa privata nequit sumere paramenta de Altari, nec adhibere quatuor candelas, nec duos ministros cum cotta, nec bugiam (S. R. C. die 7 Aug. 1627; 5 Iul. 1631; 26 Ian. 1658; 3 Aug. 1737. N. 441; 567; 1051; 2331 ad 15).

VII. Vicarius Generalis in associatione Episcopi a palatio ad Ecclesiam, *si sit Protonotarius,* praecedit Canonicis; secus abstineat (S. R. C. die 31 Maii 1670. N. 1402 ad 2).

345. *Quoad Processiones.* Processiones publicas edicere ac dirigere, absente Episcopo, spectat ad Vicarium Generalem cum consilio Capituli, prout pertineret ad Episcopum, si praesens esset (S. R. C. die 28 Sept. 1630; 30 Apr. 1632. N. 545; 589 ad 1).

346. *Vicarius Generalis* in Processionibus incedere debet inter Canonicos *digniori loco,* quandocumque iidem non fuerint sacris vestibus induti: tunc enim Vicarius a Processionibus abstinere debet: vel post Episcopum incedere, nisi Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem in loco immediate post Episcopum (S. R. C. die 7 Sept. 1658. N. 1087).

Generatim autem, iuxta Caeremoniale, Vicarius Generalis, servare debet in Processionibus *locorum consuetudinem* (S. R. C. die 14 Nov. 1676. N. 1583 ad 9).

347. *Quoad thurificationem et osculum pacis.* Vicarius Generalis, praesente Episcopo, thurificandus est et admittendus ad osculum pacis *ante Canonicos* sacris vestibus non amictos: exceptis tamen illis, qui assistentiam praebent Episcopo, licet habitu chorali indutis (S. R. C. die 3 Iul. 1745. N. 2386, et vid. etiam N. 248 ad 1).

Cessatio Iurisdictionis Vicarii Generalis.

348. Pluribus modis vel pluribus ex causis cessare potest iurisdictio Vicarii Generalis. Ex communi canonistarum doctrina has causas indicamus. Igitur Vicarii Generalis iurisdictio expirat:

1. *Per renuntiationem* sive expressam sive tacitam, puta si Vicarius Dioecesim sui Vicariatus egrediatur, et in longinqua abeat animo non amplius revertendi: tunc enim tacite renuntiasse censetur.

2. *Per remotionem ab officio,* seu per revocationem mandati generalis ab Episcopo factam, quae tamen remotio fieri debet ex rationabili causa, ne laedatur honor Vicarii.

3. Cum Vicarius Generalis eamdem habeat iurisdictionem cum Episcopo, idemque tribunal, cumque *Episcopi nomine* eamdem iurisdictionem in Dioecesi exerceat, sequitur hanc potestatem Vicarii Generalis omnibus illis modis absque ulla declaratione cessare, quibus cessat potestas Episcopi, qui illum in officio Vicarii constituit.

Hinc *Vicarii Generalis iurisdictio expirat a) per obitum Episcopi; b) per eiusdem translationem* ad alium Episcopatum; *c) per eiusdem renunciationem* a Papa acceptatam; *d) per mortem civilem eiusdem Episcopi.* Si tandem *Episcopi iurisdictio suspendatur* per censuras, puta excommunicationis, suspensus manet etiam in Vicario.

349. *Monitum.* De Vicario Generali egimus iuxta Ius commune. At « institutum Vicariatus Generalis aevo recentiore varias formas induit, nec leves subiit mutationes. In plerisque Dioecesibus Vicarius Generalis cum Consiliariis subordinatis Collegium efficit, quod *Vicariatus generalis, Ordinariatus,* vel *Consistorii nomine* venit. In nonnullis locis inter plura tribunalia causae sepa-

ratae dividuntur ». Ita cl. Aichner pag. 425, ubi alia ad rem docentur.

350. Quoad *naturam* potestatis Vicarii Generalis, an scilicet ea sit *ordinaria* vel potius *delegata,* controversia est inter Doctores, dicentes alii esse ordinariam, alii delegatam. Nos de hac quaestione sequentia breviter subiicimus:

1° Vicariatus in spiritualibus generalis non est beneficium, sed munus, cui adiectus est honor cum iurisdictione. 2° Haec iurisdictio est in eodem tribunali Episcopi seu cum Episcopo, consequenter non datur appellatio a Vicario Generali ad Episcopum. 3° Hinc Vicarius Generalis eadem cum Episcopo censetur persona, eiusque iurisdictio *coram Episcopo* cessat. 4° In Dioecesi *titulus* et *magistratus est unus* qui residet penes Episcopum, *ministerium vero* seu executio potestatis residet penes Episcopum et eius Vicarium Generalem. 5° Vicarii Generalis iurisdictio est *vicaria* et *mandata,* scilicet est ipsiusmet Episcopi iurisdictio, *nomine et vice Episcopi exercenda,* huiusque tam revocationi quam limitationi obnoxia. 6° Unde sequitur, Vicarii Generalis iurisdictionem non esse proprie dictam ordinariam, sed potius participare de ordinaria, quatenus Vicarius Generalis postquam in tali officio constitutus est, vi et dispositione legis quamdam *legis episcopalis* mensuram accipit. At in omnibus *mandatarium* Episcopi repraesentat, qui ipsum constituit et suo arbitratu removet, eiusque potestatem contrahit vel ampliat. 7° Vicarii Generalis iurisdictio est *generalis,* utpote quae extenditur *ad totam dioecesim* necnon ad omnes causas, quae *ad iurisdictionem episcopalem ordinariam* pertinent, exceptis tamen iis, quae *speciale mandatum* expostulant (Cf. Santi Lib. I. tit. 28, n. 20; Aichner, pag. 424 et 425 cum subiecta nota 22).

Laudatus Franciscus Santi tenet, iurisdictionem Vicarii Generalis esse *sui generis,* ac utriusque simul ordinariae et delegatae iurisdictionis indolem aliquo modo referre; Aichner autem in cit. nota 22 haec subiungit: Quod si haec principia (a nobis enunciata) firmiter teneantur, quaestio, utrum Vicarius Generalis ordinariam, an delegatam habeat potestatem, *otiose magis, quam utiliter* agitatur, estque non rerum sed verborum ea de re disputatio...

CAPUT XIII.

Officia, Iura et Privilegia Vicarii Capitularis.

351. *Vicarius Capitularis quoad electionem.*

A) Iuxta veterem disciplinam, Ecclesia aliqua vacante, ad viciniorem Episcopum spectabat illius curam assumere. Iure autem Decretalium, sede Episcopali vacante, Capitulum Ecclesiae Cathedralis succedebat Episcopo in ordinaria administratione Dioecesis. Iure demum Tridentino, *sess.* 24, *cap.* 16 *de Ref.* praefatum Capitulum, intra *octo dies* ab accepta notitia vacationis, tenetur eligere seu constituere Vicarium, per quem iurisdictionem ad se devolutam exerceat (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. IX, n. I et II).

B) Si Capitulum in Vicario *intra octo dies* eligendo negligens fuerit, tunc ex cit. cap. Trid. si agatur de Ecclesia *Suffraganea,* ad Metropolitanum devolvitur deputatio Vicarii Capitularis; si agatur de *exempta,* devolvitur ad viciniorem; si de *Metropolitana,* ad antiquiorem ex Suffraganeis. Quod si contingat *simul vacare* Ecclesiam Metropolitanam et Suffraganeam, negligente Capitulo huius Suffraganeae, deputatio Vicarii in hoc casu non ad antiquiorem ex Suffraganeis spectat, ut nonnulli opinabantur, sed *ad Capitulum vacantis Ecclesiae Metropolitanae,* prout resolvit S. Congregatio Concilii die 28 Aug. 1683 et 14 Apr. 1685, apud Bened. XIV, loc. cit.).

C) Interim infra *octo dies* ab Episcopi obitu seu ab Ecclesia vacante, quoadusque scilicet Vicarius Capitularis non fuerit electus, actus administrationis Dioecesis *a Capitulo perficiuntur,* penes quod iurisdictio dioecesana residet. Et hic advertendum, quod etsi Tridentinum in cit. cap. 16 sess. 24, de sola vacatione *per mortem* loquatur, tamen in praxi receptum est, ut Tridentina dispositio servari etiam debeat, quando sedes Episcopalis vacat *aliis modis,* id est per renunciationem, translationem vel depositionem Episcopi. Insuper receptum quoque est, ut tempus octo dierum pro

eligendo Vicario Capitulari decurrere incipiat a die *habitae notitiae* vacationis (1) (Cf. *Collect.* Emi Bizzarri, pag. 662).

D) In Decretali *Si Episcopus de supplenda neglig. Praelat. in* 5, statuitur, ut si Episcopus a Paganis aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, acsi sedes per mortem vacaret, illam in spiritualibus et temporalibus administrare debeat, donec vel Episcopus fuerit libertati restitutus, vel Ecclesiae utilitati a Romano Pontifice ea de re per Capitulum admonito fuerit provisum.

352. At id minime locum habet, ubi Episcopus, quamvis ab hostibus captus fuerit, in ea tamen conditione versetur, ut possit Dioecesim administrare, id est per litteras mandata indicere, et a suis dioecesanis epistolas recipere, in hoc quidem casu Episcopi iurisdictio non suspenditur, nec ad Capitulum devolvitur, ceu resolvit S. Congregatio Concilii die 7 Aug. 1583, apud Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. XIII, cap. XVI, n. XI.

E) Nec potest Capitulum *Vicarium constituere* in casu, quo Episcopus sit excommunicatus vel suspensus, vel in casu, quo Episcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipso relictus moriatur, vel a Principe saeculari eiiciatur a Dioecesi, quia tunc recurrendum esset *ad S. Sedem* pro provisione. Hinc Summus Pontifex Pius IX per organum S. C. Ep. et Reg. Decretum edidit. incip. *Dolendum,* sub die 3 Maii 1862, quo irritas declaravit electiones nonnullorum Vicariorum Capitularium factas ab aliquibus Capitulis ditionis Neapolitanae, cum Episcopi ex civilis auctoritatis decreto a Dioecesi exulare cogebantur, relictis interim pro administratione Dioecesis Vicariis seu Delegatis, quorum auctoritas contemnebatur, ut Capitula in Vicarios eligerent, qui partium studiis faverent. Insuper tam electores, quam huiusmodi Vicarios Capitulares, in censuras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus et a Constitutionibus Apostolicis comminatas, incurrisse declaravit (Vid. totum Decret. penes Bizz. pag. 167, et cf. ibid. p. 663).

F) Non potest Capitulum eligere suum Vicarium, quoties *S. Sedes ipsa,* vivente adhuc Episcopo, deputaverit Vicarium Generalem,

---

(1) Plures resolutiones S. C. Ep. et Regul. relate ad Vicarium Capitularem referuntur a laudato Emo Bizzarri in sua *Collectanea,* pag. 662 sqq.

vel Administratorem Dioecesi designaverit. Persona enim sic deputata ab Apostolica Sede, etiam mortuo Episcopo, perdurat in suo officio quoadusque ab ipsa S. Sede iurisdictio ei collata, non fuerit revocata. Vide resolutiones S. C. Ep. et Reg. de die 17 Nov. 1590, *Bizz. pag.* 256; et die 4 Aug, 1578, ibid. pag. 236 in *Aquilana.*

G) Forma electionis. Ad plura removenda incommoda, praefertur in electione Vicarii Capitularis forma scrutinii per secreta suffragia (cfr. Lib. XII *de electionibus*). Verumtamen forma scrutinii non est tam necessaria, ut si ea non servetur, nulla sit electio. Sacra enim Congregatio Concilii alias formas electionis constanter admisit praesertim in *Sulmonen.* 17 Iul. 1655, et in *Assisien.* 11 Maii 1669.

Ratio iuridica est, inquit, Santi, Lib. I, tit 28, n. 53 ex Leurenio et Card. De Luca, quia ecclesiastica lex de forma canonicae electionis expressa in *Cap.* 42, *De Elect.* non est extendenda ad casum *constitutionis Vicarii Capitularis.* Non enim haec constitutio Vicarii est proprie dicta electio, quia electio *proprie talis* eget confirmatione, quod non verificatur in ista Vicarii deputatione, *sed est simplex deputatio.*

H) Capitulum eligere debet Vicarium Capitularem, iuxta decretum S. C. Trid. *sess.* 24, *cap.* 16, simpliciter *absque assessore,* et *absque restrictione,* vel clausula mutationis, vel revocationis ad beneplacitum (Ead. S. C. in *Caietana,* 20 Oct. 1587; S. C. C. die 1 Dec. 1736).

I) Capitulum nequit apponere *restrictivam,* ut Vicarius Capitularis non possit procedere contra aliquem Capitularem absque consensu Capituli, in *Reginen.* 26 Iul. 1593; nec apponere pactum et conditionem participandi de emolumentis; in *Brundisina,* 8 Maii 1606.

J) Capitulum nequit deputare Vicarium Capitularem *ad certum tempus,* sed pro toto tempore vacationis Ecclesiae (Ead. S. C. in *Potentina* 7 Maii 1604).

K) Vicarius Capitularis canonice electus *privative,* et *non cumulative* quoad Capitulum iurisdictionem consequitur (Ead. S. C. in *Hydruntin.* 1 Octob. 1655).

L) Sententiis sacrarum Urbis Congregationum Summus Pontifex Pius IX adiiciendum censuit Apostolicae auctoritatis robur per

Constitutionem incip. *Romanus Pontifex,* datam V Kal. Sept. 1873, ubi haec leguntur: Motu proprio... declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua sede Episcopali ad Capitulum venerat, *ad Vicarium* ab ipso rite constitutum *omnino transire;* nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus removere, sed eum in officio permanere, quousque novus Episcopus *Litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu Capitulo,* iuxta Bonifacii Praedecessoris Nostri Constitutionem (*Iniunctae* de Elect. inter Extrav. comm.) *vel Capitulo deficiente, ei exhibuerit,* qui ad normam SS. Canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, *vacantem Ecclesiam administrat, vel eiusdem Administratorem, seu Vicarium deputat* (Vid. integram Const. penes *Acta S. Sed.* vol. VII. pag. 401).

Ex dictis manifeste patet, quod Vicarius Capitularis semel electus, *non potest a Capitulo revocari.* Quod si iusta causa interveniat eum removendi, res deferenda est ad S. Sedem (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. IX, n. IV).

M) Si Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte suo muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, Capitulum potest et debet novum Vicarium deputare. Deputatio tamen seu electio cadere non potest, *sub poena nullitatis,* in personam *electi vel nominati ad dignitatem Episcopalem eiusdem Ecclesiae vacantis* (Ex cit. Const. Pii IX, *Romanus Pontifex*).

N) Si Dignitates et Canonici praedicta exsequi detrectaverint, ac concedere et transferre *in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam* eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint, praeter nullitatem iam decretam praedictae concessionis et translationis, incurrunt ipso facto *poenam excommunicationis maioris speciali modo Romano Pontifici reservatam,* necnon poenam privationis fructuum Beneficiorum quae possident, aliorumque redituum ecclesiasticorum, pariter Romano Pontifici speciali modo reservatam (Const. cad.).

O) In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes Ecclesias, *qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent* ex concessione et

translatione a Dignitatibus et Canonicis in eos peracta, necnon ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint (Ibid.).

P) Nominati et praesentati, *administrationem acceptantes,* ius, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerat, amittunt; et si aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, nec non interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incidunt, S. Sedi pariter reservatam (Ibid.).

Q) Nulla tandem et omnino irrita declarantur ea omnia, quae in administratione Ecclesiae geruntur a sic nominatis et praesentatis, qui administrationem susceperint *ante praesentationem Litterarum Apostolicarum* (Cit. Const. *Romanus Pontifex*).

R) Vicarius Capitularis debet esse *in Iure Canonico Doctor,* vel *Licentiatus,* vel alias, quantum fieri poterit, idoneus (Trid. sess. 24, cap. 16), et non potest eligi, ut patet ex citato capite Tridentini, nisi *unus,* et si Capitulum plures eligat, electio devolvitur ad Metropolitanum (S. C. Ep. et Reg. 6 Aug. 1596; 30 Aug. 1641).

S) Si Capitulum plures Vicarios successive eligat, *primo electus* haberi debet uti legitimus Vicarius, dummodo necessaria requisita habeat (Ead. S. C. 11 Sept. 1623).

T) Quamvis ex regula generali *unus tantum Vicarius Capitularis* eligendus sit, nihilominus S. Sedes, attentis peculiaribus locorum circumstantiis, aliquando indulget, ut *duo deputentur,* ut in *Vercellen.* 6 Nov. 1654).

U) Quinimo S. Congregatio Concilii die 21 Apr. 1592 declaravit, non esse sublatam *consuetudinem* duos aut plures eligendi Vicarios Capitulares, praesertim immemorabilem. Talis usus est nominatim in Gallia, eumque in casu speciali tolerandum esse duxit laudata S. C. C. mense Martio 1863. Ita Aichner, pag. 415, nota 6; et cf. responsum Pii IX, die 22 Mart. 1862, datum Vicario Capitulari cuiusdam Galliarum Dioecesis, apud Bizz. loc. cit.; Fagn. in lib. I, cap. *His quae, De Maiorit. et Obed.* n. 68).

V) Vicarius Capitularis eligi debet *e gremio Capituli,* si aliquis Doctor aut Licentiatus in Capitulo reperiatur, et sit idoneus

(S. C. Epp. et RR. in *Tranen.* 22 Febr. 1597, et in *Nepesina* 10 Iun. 1602, ex allegatis a Ferraris v. *Capitulum,* art. III, n. 50). Quod si in Capitulo desit Canonicus aliquo ex praedictis gradibus academicis insignitus, vel si adsit, sed non sit idoneus ad gubernium Dioecesis, tunc libertas conceditur Capitulo, ut vel Vicarium praeexistentem etiam non doctorem aut licentiatum confirmet, aut alium extraneum, etsi praefatis academicis gradibus non decoratum, dummodo tamen sit idoneus (S. C. C. *in Recinet.* 17 Sept. 1768; et in *Acernen.* 27 Febr. 1709, cit. a Santi).

X) Gradus Doctoratus vel Licentiae, de quo hic agitur, debet esse concessus *ab aliqua Universitate studiorum,* vel *ab aliqua Academia,* adeoque non valet gradus huiusmodi, si fuerit *ex gratia tantum* concessus honoris causa (Santi, ibid.; Ferraris, loc. cit. n. 29).

Y) Ad faciendam deputationem Vicarii Capitularis oportet convocari Capitulum, videlicet opus est, 1° ut Capitulum sit legitime congregatum; 2° ut vocentur omnes, qui vocem in Capitulo habent, vel de praesenti habere possunt; 3° ut negotia *capitulariter* expediantur; 4° ut *maior pars* consensum suum interponat (Ferraris, verb. Capitulum, art. I, in fin. *Additiones ex aliena manu,* n. 36; Santi, n. 53).

Praeter Vicarium Capitularem, debet etiam Capitulum ad formam Concilii Tridentini, cit. cap. 16 sess. 24, *unum* vel *plures Oeconomos* deputare, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant.

353. Quoniam Vicarius Capitularis *Vicario Generali Episcopi quodammodo comparatur,* ideo illae qualitates quae in Vicario Generali requiruntur, etiam in Vicario Capitulari inesse debent. Ex hac ratione Auctores inferunt, Vicarium Capitularem quoad *aetatem* habere debere annum 25 incoeptum, non secus ac Vicarium Generalem. Addunt Doctores, in Vicarium Capitularem non posse assumi illum, qui actualem animarum curam exercet.

354. *Vicarius Capitularis quoad potestatem.*

a) Vicarius Capitularis potest, sine speciali mandato, Dioecesim visitare, sed *post elapsum annum ab ultima visitatione* ab Episcopo peracta (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. IX, n. VI).

b) Vicarius Capitularis potest, sine speciali mandato, *Synodum dioecesanam convocare,* dummodo, ut supra, effluxerit annus a die ultimae Synodi habitae ab Episcopo (Id. ibid.).

c) At Sede *Metropolitana* vacante, ius indicendi ac celebrandi *Synodum Provincialem,* non ad Capitulum *Metropolitanum,* sed ad antiquiorem Provinciae Episcopum pertinet (S. C. C. die 10 Febr. 1624). Et revera indecens et absonum esset tantam iurisdictionem tribuere Vicario Capitulari Metropolitanae Ecclesiae, ut valeat ad Synodum compellere totius Provinciae Episcopos (Vid. Bened. ibid. n. VIII).

d) Vicarius Capitularis potest suis subditis *litteras dimissoriales* concedere, ut ab alieno Episcopo ad Ordines promoveantur, sed nonnisi *post annum a die vacationis sedis,* sub poenis in sess. 7 Conc. Trid. cap. 10 comminatis. Excipiuntur *arctati* ad Ordines suscipiendos *ratione Beneficii suscepti,* si videlicet infra annum teneantur Ordinem aliquem recipere; vel ratione *Beneficii suscipiendi,* si nempe aliquis sit a Patrono praesentatus ad Beneficium, quod actu requirit Ordinem sacrum. In his casibus potest Vicarius Capitularis concedere litteras dimissoriales etiam infra annum luctus. Id iuxta nonnullos Auctores extenditur etiam ad *Tonsuram,* quatenus Vicarius Capitularis potest dimissorias litteras quoad Tonsuram concedere, nondum elapso anno luctus (Vid. Santi, n. 60 sq.).

e) Vicarius Capitularis, generatim loquendo, potest ea omnia peragere, quae sunt *iurisdictionis Episcopalis;* v. g. (ita Aichner, 417) dispensationes et absolutiones concedere, adprobare Confessarios, leges condere, censuras et poenas decernere, Beneficia erigere..., verum nonnisi exquisito Capituli consensu vel consilio in iis casibus, in quibus Episcopus ad hoc ipsum obligatur » (Cf. etiam Fagn. Comment. in lib. I, cap. *His quae,* XI, *De Maiorit. et Obed.* n. 49 sq.).

f) Vicarius Capitularis non potest ea peragere, quae sunt *Ordinis Episcopalis.* Cum enim ea quae sunt Ordinis Episcopalis derivent a *charactere,* quem proprium habet Episcopus, nec habet communem cum Capitulo, sequitur eadem non transire in Vicarium Capitularem. Potest autem Vicarius concedere *extraneo Episcopo* facultatem exercendi in Dioecesi Pontificalia sive pro Officio solem-

niter celebrando, sive pro ecclesia consecranda, sive pro Ordinibus conferendis (Cf. Fagn. lib. I, cap. *His quae,* XI, *De Maioritate et Obed.* n. 64, sq.; Santi, n. 59; et vid. super re declarationem S. C. Ep. et Reg. relata a Bizz. in Collectan. pag. 665, circa init.).

g) Ex quo Vicarius Capitularis concedere potest extraneo Episcopo licentiam exercendi Pontificalia seu ministerium consecrationis, sequi videtur, id etiam posse ipsum Vicarium Capitularem, *si charactere Episcopali sit insignitus.* Et sane qui potest aliquid facere per alios, ceteris paribus, a fortiori per seipsum facere potest (Cf. Santi, n. 62).

h) Vicarius Capitularis non potest facere ea, quae Episcopo competunt non iure ordinario, *sed tamquam Delegato Apostolicae Sedis;* secus dicendum, si ea competant Episcopo *utroque iure,* scilicet ordinario et delegato, prout accidit, quando Concilium Tridentinum concedit Episcopo facultatem procedendi ETIAM *tamquam Delegato Apostolicae Sedis,* vel, ETIAM *auctoritate Apostolica* (Vid. Fagn. loc. cit. n. 54).

i) Vicarius Capitularis non potest *alienare bona* sive Ecclesiae sive mensae Episcopalis (S. C. Ep. et Regul. die 14 Iūn. 1788 apud Bizz. pag. 44; et cf. Fagn. loc. cit. n. 58).

j) Vicarius Capitularis non potest concedere Clericis *licentiam transeundi ad aliam Dioecesim,* seu *excardinationem,* eo quia excardinatio praesefert speciem alienationis, quae Vicario Capitulari non competit (Vid. Fagn. ibid. n. 59). At iuxta cl. De Angelis a Francisco Santi n. 65 citatum, potest Vicarius Capitularis Clericos extraneos dioecesi adscribere, vulgo incardinare, facultate expedita.

k) Vicarius Capitularis non potest concedere licentiam *erigendi nova Regularium Monasteria,* vi cap. III sess. 25 Conc. Trid. de Regul. ex resolutione S. C. Ep. et Reg. die 19 Febr. 1633 (Bizz. pag. 662).

l) Vicarius Generalis tenetur reddere rationem administrationis non quidem Capitulo, sed Episcopo, qui eligetur (Ead. S. C. in *Catanen.* 31 Ian. 1600, et alias; Bizz. ibid.).

m) Vicarius Capitularis *quoad Indulgentias.* Cum potestas concedendi indulgentias non ad Ordinem, sed ad Iurisdictionem pertineat, posset quis opinari, huiusmodi potestatem transire ad Vica-

rium Capitularem, ita ut etiam hic, prout Episcopus, possit elargiri Indulgentias *quadraginta* (modo 50) *dierum*. Et sic de facto post Abbatem opinati sunt clarae notae Auctores, quos recenset Benedictus XIV, *de Syn. dioec.* lib. II, cap. IX, n. VII.

At contraria sententia, quam sequuntur quamplurimi Doctores, saltem in praxi, omnino tenenda est. Nam S. Congregatio Concilii, die 13 Nov. 1688 interrogata: *An Vicarius Capitularis, Sede Episcopali vacante, facultatem habeat concedendi Indulgentias:* noluit quidem Iuris controversiam decidere, districte tamen vetuit, ne opinio, eam facultatem asserens Vicario, deduceretur in praxim, respondendo: *Vicarius Capitularis se abstineat.* Et ratio videtur esse, quia facultas concedendi Indulgentias non est adeo necessaria ad Dioeceseos regimen, ut aliquod damnum ei immineat, si ea careat, qui Dioecesim ad tempus administrat. Praeterea dicta facultas etsi Iurisdictionis, et non Ordinis sit, est tamen Iurisdictionis cuiusdam *extraordinariae,* soli dignitati Episcopi adnexae (Vid. Bened. XIV, loc. cit.).

n) Quoad *Missam.* Vicarius Capitularis non tenetur ad Missam applicandam pro populo, sede vacante (S. R. C. die 12 Nov. 1831. N. 2682 ad 23).

o) Vicarius Capitularis *quoad honorificentias ac distinctiones.* Quibus ritibus Vicarius Capitularis excipiendus sit ab Ecclesiis Dioecesis *in Visitatione,* declaratur a S. R. C. sub n. 2864 in *Abellinen.,* et methodus ibi descripta communita est firmitate sua a Gregorio XVI die 8 Nov. 1843; quam methodum vide ibi.

p) Vicarius Capitularis *nequit exigere* a Sacerdotibus et Clericis illud obsequium, quod competit soli Episcopo ob eminentiam gradus (S. R. C. die 18 Apr. 1682. N. 1687).

q) Vicario Capitulari locus competit tam in Choro, quam in Processionibus (et ita in sessionibus ceterisque ecclesiasticis functionibus) a sinistris primae Dignitatis: vel, prima Dignitate deferente SS. Sacramentum, a sinistris primi et dignioris Canonici, *repraesentantis Capitulum* (S. R. C. die 16 Mart. 1658. N. 1057. et N. 1702).

r) Vicarius Capitularis, prout etiam Vicarius Generalis, *sedere nequit in sede Episcopali,* in qua Episcopus conciones auditurus sedet (S. R. C. die 8 Apr. 1656. N. 1007).

s) Vicario Capitulari non licet *a)* interesse Choro vel aliis functionibus cum vestibus brevioribus; *b)* nec interesse concionibus in sigmate et cum *zimarra; c)* nec ipsi concionem audienti inter Missarum solemnia debetur praecedentia super Canonicum celebrantem sacris vestibus indutum; *d)* nec potest, indutus vestibus nigris, incedere in Processionibus post Canonicum celebrantem; *e)* Vicarius Capitularis indutus vestibus suae Dignitatis proprium locum in Processionibus occupare debet; non vero incedere post Canonicum celebrantem, prout Episcopus; *f)* non potest in expeditionibus et actis Vicarii Capitularis uti proprio sigillo, sed adhibere debet sigillum Capituli (S. R. C. die 23 Mart. 1709. N. 2190).

t) Vicario Capitulari non competunt, tam intra quam extra Cathedralem, supra Capitulum honorificentiae ac distinctiones adhibitae Vicario Generali Episcopi: verum si collegialiter cum Capitulo incedat, omnes honorificentiae, distinctiones et iura spectant ad primam Dignitatem Capituli, ordine successivo; nec potest pro libito ac iure proprio peragere functiones tum intra tum extra Cathedralem, interveniente Capitulo; sed potest eo tantum casu id facere, quod Vicarius ipse sit prima Dignitas ordine successivo; vel, si reapse constat de consuetudine, Hebdomadarii munere fungatur (S. R. C. die 22 Apr. 1871. N. 3247).

CAPUT XIV.

De Synodo Dioecesana.

355. Quae breviter exponimus de Synodo dioecesana, desumimus ut plurimum ex aureo opere Benedicti XIV, cuius titulum habes in fronte huius capitis.

Definitio. « Synodus dioecesana est legitima congregatio ab Episcopo coacta ex Presbyteris et Clericis suae Dioecesis, aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est » (Lib. I, cap. I, n. 4).

Ius cogendi Synodum dioecesanam est adeo proprium Episcopi, ut ad eam cogendam non sit ei necessarius cuiusquam alterius consensus, puta Archiepiscopi seu Metropolitani, cui forte subiiciatur (Lib. II, cap. V, n. 1).

Vicarius Generalis potest dioecesanam Synodum habere, si *speciali ab Episcopo instruatur mandato:* Episcopus enim non prohibetur ne suam Synodum per alium celebret (Lib. II, cap. VIII, n. 4).

Vicarius Capitularis potest sine speciali mandato Synodum convocare, dummodo effluxerit annus a die ultimae Synodi habitae ab Episcopo (Ibid. cap. 9, n. 6).

Vicario Apostolico ius pariter est celebrandi Synodum dioecesanam (Ib. cap. 10, n. 8).

Praelatus vere Nullius potest convocare Synodum, si habeat ad id privilegium, atque privilegii usum (Ib. cap. 11, n. 5).

Vocandi ad Synodum. Vocandi sunt et interesse debent Synodo dioecesanae:

1° Abbates omnes saeculares, quamvis exempti, qui in Dioecesi reperiuntur.

2° Quicumque obtinent vel *Dignitatem* vel *Personatum,* aut *Officium.* Haec tria saepe promiscue usurpantur; stricte tamen distincta sunt. *Dignitatem* quippe obtinere dicitur, qui ratione Beneficii, quod possidet, praeeminentiam habet cum iurisdictione in foro externo, sicut olim erat, et alicubi etiam nunc est Archidiaconatus; — *Personatus,* qui solam praeeminentiam sine iurisdictione, uti Prior, et Decanus; — *Officium,* qui nec praeeminentiam, nec iurisdictionem, sed administrationem dumtaxat habet aliquarum rerum ad ecclesiam pertinentium, uti Sacrista, et Thesaurarius. Hi omnes lato quodam loquendi modo dicuntur Praelati, et eapropter si sint de Clero saeculari, nec privilegio post Tridentinum impetrato excusentur, tenentur Synodo dioecesanae interesse (Lib. III, cap. 3, n. 1).

3° Vicarius Generalis, iubente Episcopo, tenetur Synodo intervenire. Quinimo decet et expedit, ut Episcopus velit, suum Vicarium Synodo adesse.

4° Invitandi sunt Canonici ecclesiae Cathedralis. Censendi enim sunt constituti in quadam quasi dignitate, comparanda cum Prioribus et Decanis, qui semper ad interessendum Synodo adiguntur (Ib. cap. 4, n. 1).

5° Invitandi quoque sunt *Canonici ecclesiarum Collegiatarum.* Quod si Collegiata extra locum sit, ubi Synodus habetur, tunc, ne

ecclesia suo fraudetur servitio, non omnes Canonici, sed aliqui eorum, a Capitulo deputandi, debent omnium nomine Synodum adire (Ibid. n. 5).

6° *Alii Clerici Beneficiarii ecclesiae Cathedralis, et etiam Collegiatae,* ab Episcopo vocati, possunt et debent interesse, *sed veluti singuli,* non tamquam constituentes unum corpus seu collegium (Ibid. n. 4).

7° *Parochi omnes,* seu quotquot animarum curam gerunt, sive Saeculares, sive Regulares, debent invitari et interesse Synodo (Trid. Sess. 24, cap. 2, de Ref.; Bened. XIV, ibid. cap. 5, n. 2).

8° *Vicarii Foranei,*si ab Episcopo vocentur, tenentur ad Synodum accedere. Quinimo omnino expedit, ut Episcopus omnes suos Vicarios Foraneos ad Synodum vocet, quoniam ab istis, tamquam oculatis testibus, melius quam a Vicario Generali, certior fieri poterit de iis, quae in remotis dioecesis partibus occurrunt (Lib. III, cap. 3, n. 10).

9° *Quoad reliquos Presbyteros et Clericos* Beneficium ecclesiasticum non habentes, S. Congregatio Concilii die 15 Dec. 1629 in *Balneoregien.* declaravit: Posse Episcopum eos cogĕre, quando in Synodo agendum est de aliqua re concĕrnente totum Clerum, vel de intimandis decretis factis in Synodo Provinciali: quo in casu in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de praedictis erit tractandum. Quod si concurrat *consuetudo* vocandi omnes praedictos Clericos, ius est Episcopi eosdem ad interessendum Synodo cogendi (Ibid. cap. 6, n. 2).

An etiam Regulares exempti teneantur Synodo dioecesanae interesse? Ad huiusmodi quaesitum distincta responsio dabitur in particulari capite infra posito.

356. *Quanta sit potestas Episcopi quoad Synodum.*

Quamvis non parva multitudo Clericorum ex tota Dioecesi in Synodo conveniat, tamen *Episcopus solus est iudex et legislator,* qui Synodum indicit et dissolvit, quique suo nomine decreta conficit et promulgat. Verum quidem est, in pluribus dioecesibus usum invaluisse, ut, lectis Synodalibus constitutionibus, omnium qui Synodo adsunt, exquiratur consensus per verbum *Placet;* cui consuetudini adstipulatur Pontificale Romanum, quod agens de ordine

ad Synodum, ait: *Post haec leguntur constitutiones, si quae sint, per Synodum approbandae.* Sed sciendum, adstantium votum esse tantummodo *consultivum,* non vero *deliberativum,* adeoque Episcopus, etsi exquirat consilium adstantium, minime tamen tenetur illud sequi.

Quapropter approbatio illa, de qua loquitur mox citatum Pontificale Romanum a Synodo tribuenda decretis, antequam haec publicentur, non est approbatio *authentica et auctoritativa,* sed *adhaesiva.* Qui secus profiteretur, non declinaret errorem Aerii a Calvino renovatum: Aerius enim, Presbyter Arianus, quarto Ecclesiae saeculo, cum Episcopatum, quem ambiverat, non fuisset assecutus, ut seipsum solaretur, docuit, nihil plane discriminis intercedere inter Episcopum et Presbyterum (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. XIII, cap. I, n. 1 sq.).

Nihilominus exceptio facienda est quoad res illas et dispositiones, in quibus Episcopus ex lege canonica procedere non potest *sine consensu Capituli.* Quibus in casibus tenetur Episcopus exquirere hunc consensum, nec contra illum potest procedere et publicare decreta in Synodo.

357. *Expenditur ulterius haec materia.*

Cum hodie cuiuslibet particularis Ecclesiae Senatus, non ex omnibus Dioecesis Sacerdotibus, *sicut olim,* sed ex solis constituatur Canonicis Ecclesiae Cathedralis, *necesse utique non est,* ut Episcopus novas constitutiones in Synodo promulgaturus, totius Cleri sententiam efflagitet, *sed satis est,* si sui Capituli consilium exposcat (Bened. XIV, loc. cit. n. 9).

Sed licet Episcopus teneatur sui Capituli *consilium* exquirere, non propterea tamen tenetur illud sequi, nisi in casibus a Iure expressis. Latum siquidem intercedit discrimen inter consilium et consensum; ubi enim iura *Capituli consensum* exposcunt, illud facere cogitur Episcopus, *quod maior pars Canonicorum* faciendum concluserit: ubi vero solum exigunt *Capituli consilium,* suae obligationi faciet satis, si Canonicos consulat, quin deinde ulla adigatur lege ad eorumdem amplectendam sententiam (Idem, ibid. n. 6).

Nec proinde frustraneum erit reputandum Canonicorum *consilium:* etsi enim Episcopus non teneatur illud sequi, consulentium

tamen rationibus instruitur atque edocetur, ne inconsiderate et praecipitanter agat; quae etiam causa est, cur Romanus Pontifex non soleat ardua negotia sine S. R. E. Cardinalium consilio decernere, quamquam sciat, supremae suae potestatis exercitium ab eorumdem assensu nequaquam pendere (Loc. cit.).

Doctrina exposita constat etiam ex pluribus responsis S. Congregationis Concilii, relatis a Benedicto XIV, loc. cit. n. 10 sq., ex quibus sequentia transcribimus:

a) In causa *Urgellen.* anno 1581, S. Congregatio respondit: « *Episcopum in Synodo dioecesana per se Constitutiones facere posse, absque consensu et approbatione Cleri; requirendum tamen consilium Capituli, licet id non teneatur sequi Episcopus, praeterquam in casibus a Iure expressis* ».

b) In epistola ab eadem S. Congregatione data ad Patriarcham Venetiarum die 27 Apr. 1592, haec habentur: « *S. Congregatio per libellum Amplitudinis tuae nomine porrectum consultata, respondit, eamdem Amplitudinem tuam in Synodo dioecesana facere posse Constitutiones absque consensu et approbatione Cleri; debere tamen requirere consilium Capituli, licet illūd non teneatur sequi, nisi in casibus a Iure expressis, non obstante quod ex forma Romani Pontificalis in celebranda dioecesana Synodo expresse habeatur, ut Constitutiones in Synodo publicandae, a Patribus per verbum* Placet *confirmentur* ».

c) In causa *Hispalen.* Sacra eadem Congregatio die 26 Nov. 1689, ad dubia sibi proposita, sic respondit: 1° Posse Archiepiscopum *sine consensu Capituli indicere et convocare dioecesanam Synodum;* 2° Posse Archiepiscopum *sine consensu Capituli* in dioecesana Synodo condere Statuta et Constitutiones de rebus gravibus et arduis; debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi, praeterquam in quibusdam casibus a Iure expressis; 3° *Non esse necessarium assensum* Clericorum Synodo interessentium; ac ideo, quamvis maior pars contradiceret, nullatenus id retardaret seu impediret exitum et vim constitutionis ab Episcopo latae.

358. *Obiectum Synodi dioecesanae.*

Synodus in Dioecesi convocatur, ut ea ab Episcopo *generatim*

constituantur, quae ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam, aut fovendam, necessaria et utilia esse iudicaverit. Hinc decreta Synodalia observantiam sacrae Liturgiae praecipiunt, et removent abusus, qui fortasse irrepserint; negligentiam vel defectus praesertim Clericorum in propriis muneribus obeundis, corrigunt et emendare satagunt; salutaribus monitis et sanctionibus, iuxta temporum et locorum circumstantias, pericula ab hostibus christianae Religionis opposita praeveniunt et arcent, et alia constituunt iuxta propriae Dioecesis indigentias, quas hic *singillatim* impossibile est definire (Vid. Bened. XIV, lib. VI et sqq.).

359. *Deputatio Iudicum Synodalium.*

In Synodo deputantur personae idoneae, quarum nomina ad Sedem Apostolicam subinde transmittuntur. Huiusmodi personis, seu Iudicibus Synodalibus, causae decidendae et negotia explenda a S. Sede delegantur; quae personae saltem quatuor esse debent, quarum si aliqua decesserit, Episcopus cum consilio Capituli aliam in eius locum substituere potest usque ad futuram Synodum (Conc. Trid. *sess.* 25, *cap.* 10 *de Ref.*). Bonifacius VIII, (in Cap. *Statutum, de Rescriptis, in* 6) ne Apostolicae delegationes vilescerent, non aliis causas committi voluit, nisi personis *in dignitate ecclesiastica* constitutis, aut Personatum, vel saltem Canonicatum in ecclesiis Cathedralibus obtinentibus. Bonifacii Constitutionem renovavit Concilium Tridentinum in cit. sess. 25, cap. 10 de Ref., ut melius videbimus in articulo de Iudicibus Conservatoribus.

360. *Electio Examinatorum Synodalium.*

Concilium Tridentinum, *sess.* 24, *cap.* 18, decrevit, vacantes ecclesias Parochiales illis dumtaxat esse ab Episcopo conferendas, qui in experimento seu examine, coram eodem Episcopo, aut eius Vicario Generali, aliisque Examinatoribus *non paucioribus, quam tribus* instituendo, fuerint approbati et idonei renuntiati. Iussit praeterea, *sex ad minus Examinatores* ab Episcopo vel eius Vicario, in dioecesana Synodo singulis annis proponi, *qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur,* e quibus, adveniente Parochialis ecclesiae vacatione, tres ab Episcopo seligi voluit, qui una cum eo examen perficiant.

Insuper Sacrum Concilium addidit: *Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Iure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei.* Quamobrem examen seu concursus ad ecclesias Parochiales *necessario institui debet coram tribus saltem Examinatoribus*, a Synodo approbatis. Secus autem est de examine ab aliis subeundo, qui aut Ordines petunt, aut ad excipiendas Confessiones approbari cupiunt; in hoc quippe poterit Episcopus Examinatoribus uti, *quos maluerit* (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. 4, cap. 7, n. 2).

361. Quamvis Concilium Tridentinum decreverit, *sex ad minus* ab Episcopo, aut eius Vicario, in Synodo proponi debere Examinatores; *non tamen vetuit, ne plures proponantur:* quinimo ex tali loquendi modo, et plures proponi posse, et ut plures proponantur, se exoptare, satis aperte Tridentinum innuit (Bened. XIV, loc. cit. n. 3).

Quot ergo proponi possunt? Barbosa refert, a S. Congregatione Concilii fuisse decisum, *non esse ultra viginti* proponendos: *fortasse,* observat Benedictus XIV loc. cit., *ob periculum,* ne nimium aucto eorumdem numero, minus diligens sit personarum, quae proponuntur, delectus. Nuperrime occasione Synodi dioecesanae... habitae, ad S. Congregationem Concilii pervenerunt querimoniae, praesertim super pluralitate electionum tam Iudicum quam Examinatorum Synodalium. Emi Patres praelaudatae S. Congregationis, matura deliberatione perpendentes doctrinam Concilii Tridentini, Benedicti XIV, ac responsum alias datum ab eadem S. Congregatione, *in eam per praesens decretum venerunt sententiam, ut a Rmo Archiep. cohibeatur numerus Iudicum et Examinatorum Synodalium, ita tamen ut, hoc auctorante Sacro Ordine, ii tantummodo habeantur ac tales sint, qui sequuntur, nimirum:*

Iudices Synodales *novem;*

Examinatores Synodales *viginti.*

Romae, 15 Sept. 1874 (Bucceroni, *Supplement. ad Ferraris...* p. 360 sq.).

362. *De loco, in quo Synodus habenda est.*

Cum Episcopus in tota sua Dioecesi iurisdictionem habeat ordinariam, indubium est, in qualibet suae dioecesis parte posse Synodum cogere. Nihilominus expedit, ubi nullum impedimentum obstet, ut illam convocet in civitate, nempe apud suam Cathedralem ecclesiam. Quod si Episcopus praesit duabus Cathedralibus aeque principaliter unitis, potest *stricto iure* Synodum vel in una vel in alia congregare. At congruit, ut modo in una et modo in alia Cathedrali ecclesia Synodum celebret (Vid. Bened. XIV, lib. I, cap. 5).

De tempore convocandi Synodum.

Antiquitus semel vel etiam bis in anno cogebatur. Cogebatur autem praesertim, ut publicarentur decreta Synodi Provincialis. Innocentius III decrevit, Synodos *Provinciales* ab Archiepiscopo, et *Dioecesanas* ab Episcopo *quolibet anno esse cogendas.* Quam dispositionem innovavit Concilium Tridentinum *in cap.* 2, *sess.* 24, *de Ref.* in hunc modum, ut a singulis Metropolitanis quolibet saltem triennio Synodus Provincialis, et ab unoquoque Episcopo semel in anno Dioecesana cogatur: *Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur.*

Profecto haec lex Tridentina de annuali celebratione Synodi Dioecesanae abrogata non est; nihilominus eius obligatio adeo stricte urgeri non solet (Vid. Bened. XIV, loc. cit. cap. 6). Tandem advertendum est, constitutiones Synodales posse ab Episcopis statim publicari, quin ulla obstringantur obligatione illas transmittendi ad S. Congregationem Concilii, eiusque expectandi iudicium. Quinimo eadem S. Congregatio rogata, ut recognosceret acta dioecesanae Synodi Strongolensis, respondit: *se non consuevisse revidere et approbare, nisi Synodos Provinciales ex Constit. Sixti V, et quoïd idcirco Episcopus uteretur iure sibi, ex sacro Concilio, competente* (Bened. XIV, *de Syn. dioec. lib.* 13, *cap.* 3, n. 6).

363. *Officiales qui deputari solent in Synodo.*

Praefecti Hospitiorum: quorum est Clero foraneo honesta Hospitia providere.

Promotores: quorum munus est urgere actiones Synodales, seu insistere ut omnia, quae in Synodo facienda sunt, celeriter et fructuose perficiantur.

Secretarius: cuius est sessiones nomine Episcopi indicere, Clerum vocare, legere alta voce constitutiones, promulgare decreta etc. Ipse socium sibi adsciscit, qui Coadiutor vel Lector appellatur, eo quod ei onus incumbat alta voce legendi Synodi decreta.

Notarius: cuius est absentes et professionem fidei emittentes notare, atque actorum omnium Synodalium in fine cuiuslibet sessionis instrumentum conficere.

Procuratores Cleri: quorum est excipere observationes et propositiones, quas quis facere voluerit super synodalibus Constitutionibus, Episcopo deinde exponendas, ut, si visum fuerit, eas approbet.

Iudices Quaerelarum et Excusationum: quorum est examinare excusationes tum illorum, qui ad Synodum accedere nequeunt, tum eorum qui, Synodo nondum finita, se dimitti postulant. Item quaerelas quaestionesque circa praecedentiam, si forte exoriantur, componere ac dirimere.

Praefecti Caeremoniarum: quorum est satagere, ut omnia quae in Synodo fiunt, debito ritu, ordine, decentia et maiestate peragantur.

Scrutatores suffragiorum: quorum est numerare et perscrutari suffragia praesentium in Synodo, atque eorum exitum Episcopo significare.

Concionatores: quorum est disserere de vita, honestate et disciplina Clericorum, nec non de observantia constitutionum synodalium.

Confessarii synodales Cleri: quorum est audire confessiones Clericorum Synodo adstantium, quibusque Confessariis ab Archiepiscopo tota delegatur potestas, qua ipse potitur.

Oeconomus: cuius est exigere cathedraticum.

Ostiarii: quorum est praesidere ecclesiae ianuis, laicos, cum tempus fuerit, ab ecclesia dimittere, et ianuas claudere (Vid. Bened. XIV, de Syn. lib. IV, ubi per plura capita de huiusmodi Officialibus tractat).

364. *Monitum Summi Pontificis Benedicti XIV.*

Nihil quod iuribus Apostolicae Sedis praeiudicium afferat, aut eiusdem auctoritati sit iniuriosum, inveniri debet *in Constitutionibus sive Provincialium, sive Episcopalium Synodorum;* et si quid eiusmodi forte irrepserit, statim erit a Romano Pontifice re-

scindendum. Porro ut falsa reiicienda est opinio illa, plurium et non infimae notae Doctorum auctoritate munita, quae asserit: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quae totius Ecclesiae statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit.* Nam etiam seclusa Superioris prohibitione, nequit inferior legem ab eodem Superiore latam, aut abrogare, aut relaxare: Superior quippe statim ac aliquid per suam legem praescribit aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea non licet in illam falcem immittere, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati Superioris per legem manifestatae, quod profecto esset suae subiectionis iugum excutere. Praeterea, si integrum esset Episcopo legem relaxare a Concilio generali aut Summo Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, et proinde actum iam esset de ecclesiastica Hierarchia divinitus instituta (Vid. *De Syn. dioec.* lib. IX, cap. I, ubi plura de re).

CAPUT XV.

An Regulares teneantur Synodo dioecesanae interesse.

365. Lex Tridentina haec est: «Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione tamen Parochialium, aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam adnexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse» (*Sess.* 24, *cap.* 2, *de Ref.*).

366. Ex hoc Tridentini decreto haec habentur:

1. Regulares qui *curam habent alicuius ecclesiae parochialis, aut alicuius ecclesiae saecularis,* tenentur ad Synodum accedere, quamvis sint exempti, et quamvis Capitulo generali sui Ordinis subiiciantur.

2. Regulares exempti, *quibus cura animarum non incumbit, si Capitulo generali sui Ordinis subdantur, non tenentur Synodo interesse.*

3. Regulares exempti, *qui non subduntur Capitulo generali sui ordinis,* quamvis nullius ecclesiae parochialis aut saecularis curam habeant, tenentur Episcopo, eos ad Synodum vocanti, obedire. Nam Concilium Tridentinum dum ab obligatione interveniendi Synodo excipit eos, qui *subduntur Capitulis generalibus,* hoc ipso subiectos huiusmodi obligationis constituit eos, qui dictis Capitulis generalibus *non subduntur.* Cum enim (ait Benedictus XIV, *de Synod. dioec. lib.* III, *cap.* I, *n.* 8) exceptio firmet contrariam regulam pro non exceptis, manifestum inde fit, Regulares generali Capitulo non subiectos, nulla ratione posse se a Synodo subducere » (Vid. Bouix, tom. II, p. 149).

367. Si quaeras, *quinam sint Regulares, Capitulo generali non subiecti?* respondetur, illos esse, quorum monasterium *non coalescit cum aliis monasteriis in unum corpus* seu in unam congregationem, cui tamquam *suprema potestas* aliquod Capitulum generale ex instituto praeficiatur. Quod magis patebit ex iis, quae ex Benedicto XIV, loc. cit. mox subnectimus:

368. Quaestio: *An Abbates regulares exempti teneantur Synodo dioecesanae interesse?* Respondetur, *non teneri, si generali Capitulo subiiciuntur; secus teneri;* idque clare eruitur ex dictis, et docet Benedictus XIV in hunc modum: « Si vero Abbates una cum monasteriis quae regunt, sunt omnino ab Episcopi iurisdictione exempti, non ideo tamen sunt statim liberi pronuntiandi ab obligatione interveniendi Synodo Episcopali: sed considerandum est, *an simul cum aliis sui Ordinis monasteriis coalescant in unum corpus,* seu conficiant unam communitatem, cuius singula membra subdantur Capitulo generali eiusdem Ordinis; vel potius monasteriis praeficiantur, *quorum quodlibet solitarium est,* nullam nimirum habens cum aliis Ordinis monasteriis coniunctionem, nullum societatis et mutuae communicationis vinculum; atque ideo eorumdem monasteriorum Praelati *nullum Superiorem Generalem* agnoscunt, cuius Capitulo subiiciantur: cuius generis monasteria non pauca extra Italiam reperiri, exploratum est omnibus. Primi non coguntur accedere ad Episcopi Synodum; secundi omnino accedere debent: illos siquidem, et non istos exemit Tridentinum, sess. 24, cap. 2 de Reformatione ».

369. *Dubia proposita S. Congregationi Concilii.*

1. An PP. Guardiani, ceterique Superiores *parvorum* Conventuum, teneantur accedere ad Synodum dioecesanam, quatenus fuerint vocati ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato? Et quatenus affirmative:

2. An casu, quo vocati non interveniant, subiacere debeant mulctae in praedicta Synodo dioecesana adversus contumaces comminatae? S. Congregatio, die 16 Iunii 1703, respondit:

Ad 1^m *Affirmative.*

Ad 2^m *pariter Affirmative* arbitrio Ordinarii, *excepta mulcta pecuniaria* (Apud Bened. XIV, loc. cit. cap. II, n. 4, et vid. etiam n. 3).

370. Scias, in relato decreto sermonem esse de parvis Conventibus ab Innocentio X suppressis, et postea restitutis ea lege, ut 1° in illis *sex ali possent, et actu alerentur Religiosi* probatae vitae, quorum saltem quatuor essent Sacerdotes maturae aetatis; 2° ut iidem Conventus totaliter subiacerent iurisdictioni Ordinarii quousque tantas adepti non essent fortunas, ut sustentare possent, et actu sustentarent *duodecim Religiosos* (Vid. Bened. XIV, ibid. cap. II, n. 1 sq.; et quae nos late scripsimus in L. III, quae non sunt hic iteranda).

371. In praesenti casu commemorare sufficiat declarationem Summi Pontificis Leonis XIII in Constitutione *Romanos Pontifices,* octavo Idus Maii 1881: *Iure autem communi,* ait Pontifex, *constitutum est, ut Domus, quae sodales Religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant.*

372. Ex quo coniicitur, Abbates regulares, Priores, Guardianos, et alios parvorum Conventuum *(qui sex minimum Religiosos non capiunt)* Superiores, ad Synodum dioecesanam accedere teneri, *si ad eam ab Episcopo,* uti *Sedis Apostolicae Delegato, vocentur* (Cf. etiam *Litteras Apost. Alexandri VII,* 30 *Martii* 1661, *apud Bened. XIV, loc. cit. n.* 3).

Si vero Conventus sex Religiosos vel plures continet, eius Superior minime tenetur ad Synodum accedere; et hoc sequitur ex dictis.

373. *Quid dicendum de Regularibus Missionariis?* Leo PP. XIII in citata Constitutione *Romanos Pontifices,* qua nonnullae contro-

versiae inter Episcopos et Missionarios regulares Angliae et Scotiae definiuntur, sic breviter respondet: *Standum esse decretis Synodi Tridentinae.* Unde Missionarii regulares, *animarum curam exercentes,* ad Synodum convenire tenentur; secus alii qui curam animarum non habent.

CAPUT XVI.

Ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium.

INSTRUCTIO (1)

pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus Clericorum.

Die 11. Iun. 1880.

374. Sacra haec EE. et RR. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super Clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processorum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas a Curiis servandas:

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas in eisdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur, ut impediant, quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque

(1) Hoc documentum S. Sedis referimus prout in latinam linguam translatum legitur apud *Acta S. Sedis* vol. XIII, pag. 324.

ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones, et casuum adiunctorumque gravitatem.

IV. Mediis quae praeservant praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, *ut ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus.

VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam, sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut respondendum sit, cum accomodae poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus et a praevento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad *poenalia* media advertant reverendissimi Ordinarii praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eadem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim

servat suam extraiudiciale remedium *ex informata* conscientia pro criminibus occultis, quod decrevit Sacra Tridentina Synodus in Sess. 14. cap. 1. De Ref. adhibendum, cum illis regulis et reservationibus quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus et praesertim in Bosnien. et Sirmien. 20. Dec. 1873.

X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive ob infractionem praecepti, aut ob crimina communia, vel legum Ecclesiae violationem, processus confici potest formis summariis, et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

XI. Processus instruitur *ex officio* aut in sequelam supplicis libelli, aut notitiae alio modo a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum reitatis aut innocentiae accusati erumpat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo Ecclesiastico adstante Actuario.

XIII. Unicuique Curiae opus est Procuratori fiscali, pro iustitiae et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit opera Apparitorum Curiae, supplebitur exhibitione eorumdem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis Art. VII. et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personae quas examinare expediat semper audiuntur separatim.

XVIII. Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium aut in aliena Dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate eidem transmittendo apposita prospectum facti adiuncta; auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis Instruct. normas.

XX. Quoties ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae maxime opportunum esset testes interrogare, qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de auditu aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Cum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati culpam constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collectae ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur, eundem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit uti accusatum.

XXIV. Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod, si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine, et quatenus responsiones faciat alicuius momenti, debent istae quantum fieri potest iudiciali examini subiici.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et determinationem rationum, quibus persuadetur accusatum reapse criminis fuisse auctorem lapsumque in relativis poenis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem eius, quod in actis extat contra se, ultra quod respondere possit, iure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem, cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem Art. 23. nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX. Expleto processu actorum, instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem.

XXX. In die, qua causa proponitur est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio Sacerdote aut laico patrocinatore antea adprobatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinario consulit constituendo aliquem *ex officio*.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein Procuratori fiscali processus restrictus, ut munere suo ex officio functo, uterque Ordinario tradatur, qui plena causae cognitione adepta, diem constituit in quo disceptanda et resolvenda sit, curans, ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus Procuratore fiscali, Defensore et Cancellario.

XXXV. Post votum Procuratoris fiscalis et deductiones defensionis profertur sententia dictando dispositivam Cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae a Constitutione « Ad militantes » s. m. Bened. XIV. 30 Martii 1742 aliaeque emanatae ab hac Congregatione Decreto 18 Decembris 1835 (1) et littera circulari diei 1 Aug. 1851.

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra termi-

(1) Cfr. *Acta S. Sed.* vol. XIII, pag. 333 in nota.

num decem dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnia acta causae originalia, id est processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior capta cognitione actus appellationis, intimari facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum Defensorem constituat, qui adprobari debeat ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Elapso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod Clericus non obstante fori privilegio ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius hoc in casu summariam sumit criminosi facti cognitionem et perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones locum faciat infamiae, irregularitati aut alii ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. Donec iudicium pendat, aut accusatus detentus sit, prudentis est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§ 2. Expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congreg. ad vitandas contentiones et nullitates.

Ex Aud. SSmi die 11. Iun. 1880.

SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII. audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto S. Congreg. EE. et RR. Secretario eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. Card. Ferrieri, *Praef.*

I. B. Agnozzi, *Secret.*

LIBER VIGESIMUS QUINTUS

DE EPISCOPORUM ADIUTORIBUS

Visis praecipuis officiis, quibus obstringuntur sacri Dioecesium Praesules, nec non iuribus quae eis competunt et privilegiis quibus decorantur, rectus ordo postulat ut similis investigatio fiat de Episcoporum adiutoribus. Non enim Romanus Pontifex tantum, sed etiam Episcopi pro regimine, administratione et maxime pro cura animarum, aliorum opera indigent. Et de istiusmodi adiutoribus, ut sunt Capitula canonicorum, Vicarii Foranei et Parochi sermo erit in hoc Libro, ubi etiam in peculiari capite nonnullae S. Sedis dispositiones exponentur pro Protonotariis Apostolicis. Item aliquid dicemus de Seminario clericorum et de gradibus academicis.

CAPUT I.

Canonici eorumque onera ac munera.

§ 1. *Praenotanda quoad Capitula Canonicorum.*

375. Inter eos qui divinis ministeriis se dedicarunt, primum locum obtinent *Canonicorum Collegia*. Haec Collegia, quae Capitula dicta sunt, primum quidem in ecclesiis Cathedralibus, sed deinceps in aliis quoque inferioribus ecclesiis institui coeperunt. Hinc duplex Capitulorum species inducta est, quatenus ea quae in ecclesiis Cathedralibus constituta sunt, *Capitula Cathedralia*, cetera autem quae in inferioribus ecclesiis erecta fuerunt, *Capitula Collegiata* dicta sunt.

De Canonicis, praesertim in materia de *Distributionibus*, vide Bened. XIV *Instit.* 107; Fagn. in Lib. III, tit. IV, cap. *Licet* de Praebendis, n. 16; Giraldi, tom. I, p. 243 sq.; Aloys. Adone *Synopsis Canonico-Liturgica* edit. Neap. ann. 1886, Lib. II, cap. II, p. 176 sqq.

Porro *Capitula Cathedralia* prae Capitulis Collegiatis eminent; siquidem Capitula Cathedralia Episcopi Senatum quodammodo constituunt, qui eidem Episcopo in Dioecesi gubernanda consilio et opera praesto esse debent tamquam praecipui adiutores et consiliarii (Cfr. *Conc. Trid. sess* 24, *cap.* 12 *de Ref.*).

Insuper non omnes leges, quae ex citato capite Tridentino constitutae sunt pro Canonicis ecclesiae Cathedralis, valent pro Canonicis ecclesiae collegiatae: ex. gr., Concilium in memorato cap. 12 sess. 24 sic decernit: In omnibus Cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant adnexum Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus; ita tamen ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, ceteri vero Diaconi aut Subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, omnino servetur ». Quae quidem dispositio, ut patet, ad ecclesias Cathedrales dumtaxat limitatur.

Unde sequitur, in ecclesiis collegiatis adhuc vigere vetus commune ius ut Clericus vel tonsuratus aut in minoribus Ordinibus constitutus possit esse canonicus, dummodo tamen ex peculiaribus legibus aliquid non obstet. Episcopus tamen, iuxta declarationem S. Congregationis Conc. diei 23 Mart. 1872, curare debet, ut non desit in Collegiata congruus Sacerdotum numerus, ut omnia choralia munera expleri possint (Cf. *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 277 sqq.; Bened. XIV *de Syn. dioec.* Lib. XII, cap. IV, n. 4 sq.).

Praeterea *Canonici* omnes, sed praecipue Cathedralis Ecclesiae, qui etiam *nominis significatione* totius Cleri *regula* constituuntur, quemadmodum ceteros praestant honore, ita quoque omnes scientia, zelo, religione, morum integritate praecellere debent (Cf. *Conc. Trid. loc. cit.*).

De Canonicis locuturi, praecipua tantum et quae scitu magis necessaria vel utilia videntur, exponimus: si enim omnia quae de Canonicis statuta sunt discutere vellemus, materia in *volumen ex-*

cresceret, ut ait Fagnanus in citato cap. *Licet* n. 16; et Benedictus XIV in cit. *Instit.* 107, n. 4, scribit: *Arduum ac longum opus susciperemus, si de Canonicis extra Chorum sermo statueretur; nam repetenda essent, quaecumque a sacris Canonibus de moribus et honestate Clericorum sancita fuerunt.* Et numero sequenti idem Pontifex subiungit: « *Vastissimo huic pelago nos committere alienum putamus, ideoque sermonem nostrum ad ea solum redigemus, quae in Choro Canonicis praescribuntur* ».

376. Quia in exponendis officiis et praerogativis Canonicorum nos fere semper utimur auctoritate decretorum Sacrarum Congregationum, opportunum ducimus afferre iudicium, quod circa eadem Decreta profert Benedictus XIV in cit. *Instit.* 107, n. 6. Ita igitur scribit:

Si quis a nobis expostulet, cur Sacrae Congregationis decreta Scriptorum opinionibus anteferamus, causa praesto est.

Primo, Scriptores de quaestionibus verba faciunt, illas autem Sacra Congregatio dissolvit.

Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, Summi Pontifices Sacram Congregationem eiusdem Synodi solam interpretem statuerunt.

Tertio, impudentissimus esset qui contenderet, maioris ponderis habendum esse privatum hominem, qui suae tantum mentis lumine ducitur, quam sententia praeclarissimi coetus, quem amplissimi Cardinales, ecclesiasticae disciplinae et sacrorum Canonum peritissimi constituunt.

Quarto, quia privati Scriptores nullam indicere legem possunt, quae sane auctoritas a Summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesiae disciplinam per universum orbem amplificet...

Quinto, si controversia forte excitatur ob ea quae sanciuntur, non quidem ad privatos Scriptores, sed ad ipsam Congregationem provocatio interponitur ».

§ II. *Canonici quoad servitium chori.*

377. *a)* Tridentina Synodus haec praecipit: Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus,

Praebendas, aut Portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, *ultra tres menses* ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus eorum ecclesiarum Constitutionibus, quae *longius servitii tempus* requirunt. (*Sess.* 24, *cap.* 12).

b) Cum haec dispositio Tridentina sit potius *prohibens* quam *positiva,* idest cum lata fuerit ad compescendos potius *abusus longioris absentiae;* hinc Tridentinum voluit, ut serventur peculiares Constitutiones Ecclesiarum, quae *longius etiam servitium et residentiam* requirunt; prout patet ex ipso Decreto. Hinc S. C. C. anno 1573 in responso ad Episcopum Mutinensem, *censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex decreto Concilii,* sess. 24, cap. 12, *si in Constitutionibus Ecclesiae servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur* (Apud. Bened. XIV, *Instit.* 107, n. 31).

c) Omnes vero divina per se, et non per *substitutos,* compellantur obire Officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere in Choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare (Trid. loc. cit.).

d) Per adductum Tridentini Decretum non est sublata Capitularibus facultas sese invicem *substituendi* in servitio Chori, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint (S. C. C. die 15 Dec. 1605). Episcopus vero curare debet, ne Canonici hac facultate substituendi abutantur, nempe, *ne substitutiones huiusmodi sint nimium frequentes* (S. C. C. 24 Mart. 1612; et 7 Sept. 1630; Bened. XIV, *Inst,* 107, n. 17 sq.).

e) Ii tantum, qui *in civitate,* ubi est Cathedralis ecclesia, vel *in eius suburbiis* sunt praesentes, non autem alii, possunt substitui: eo minus absentes a Dioecesi substitui possunt (Vid. Decreta S. C. C. apud Bened. XIV, loc. cit.).

f) Facultatem alterius substituendi non habent, *nisi Canonici* vel *Mansionarii,* non autem ipsorum Coadiutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt (Bened. XIV, ibid.).

g) Item Canonici *honorarii* nequeunt substitui Canonicis *titularibus* (S. C. C. 19 Iul. 1806: Adone, lib. II, n. 292; Santi, lib. III, tit. IV. n. 68).

h) Non requiritur licentia Episcopi, quando Dignitates, Canonici, aut Portionarii abesse volunt tempore ipsis a Concilio permisso: non tamen omnes simul abesse possunt, ne Ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul possit abesse, relinquitur arbitrio Episcopi et Capituli (S. C. C. ann. 1581; apud Bened. XIV, loc. cit. n. 35).

i) Sacra Congregatio Concilii, tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt *extra Dioecesim,* ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Ceterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare (S. C. C. 9 Maii 1626; 4 Maii 1737; Bened. XIV, loc. cit. n. 36).

j) Sed advertendum, licere quidem Canonicis vacationis praescriptae tempore Chorum dimittere; id tamen suffragari, ut *fructus praebendarum* accipiant, non autem *quotidianas distributiones,* nisi forte peculiares ipsorum Constitutiones a Sede Apostolica confirmatae ante Synodum Tridentinam, hoc etiam emolumentum ipsis impertiant (Idem Pontifex ibid. ex sententia S. C. C.).

k) Quod ut melius intelligatur, notandum est, quod redditus Canonicatuum et Beneficiorum bifariam dividuntur; alii enim sunt *fructus annui,* qui adsignantur propter annuam et ordinariam residentiam in loco Beneficii, et ob praestitum servitium Beneficio adnexum; alii autem dicuntur *distributiones quotidianae,* quae rependuntur Clerico propter *singulas praesentias* in Choro et divinis Officiis. Fructus annui appellantur fructus *praebendae,* vel absolute *praebenda; distributiones* vero a Bonifacio VIII in Decretali *Consuetudinem,* cap. unic. in 6°, dicuntur *manualia beneficia* seu *victualia.* Fructus (ita Fagnanus in cap. *Licet, de Praeb.* lib. III, n. 17) hoc differunt a distributionibus, quod *fructus* sint redditus certi, ipsum corpus Praebendae constituentes, qui dantur residentibus, non habita ratione servitii quotidiani...; distributiones vero sunt emolumenta incerta ad corpus Praebendae non pertinentia, et exitum habent ex incerto fortunae actualis ministerii et operis, et dividuntur pro rata servitii inter eos tantum, qui Horis canonicis intersunt (Vid. etiam Ferraris, verb. *Distributiones,* art. I, n. 4 sq.; Santi, lib. III, tit. IV, n. 84).

378. Distributiones. « Statuit Sancta Synodus (*Tridentina*) in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, *tertiam partem fructuum,* et quorumcumque proventuum et obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, et Officiorum *separari debere, et in distributiones quotidianas converti,* quae inter Dignitates obtinentes, et ceteros divinis interessentes, proportionaliter, iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividuntur » (*Sess.* 21, *cap. III,* de *Ref.*).

379. Debet proinde Episcopus singulis Horis certas distributiones suo arbitrio assignare (S. C. C. 14 Febr. 1625). Has autem distributiones, qui statis Horis interfuerint, recipiant: reliqui *quavis collusione, aut remissione exclusa,* his careant, iuxta Bonifacii VIII Decretum, quod incipit *Consuetudinem,* quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus (Conc. Trid. sess. 24, cap. 12).

380. Hoc loco duo nominat Concilium, nempe *collusionem,* ac *remissionem.* Primum evenit, quando Choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis, quamvis absentes revera fuerint: *Remissio* tunc habetur, cum pars una sponte ac sine ulla conventione distributiones quotidianas alteri parti remittit et relinquit. Utrumque sacrum Concilium gravissime improbat atque interdicit (Bened. XIV, cit. *Instit.* n. 42).

Hinc S. Congregatio Concilii die 13 Ian. 1624 censuit: *Canonicum, ut proponitur, absentem punctari debere, nec licere Canonicis eadem puncta, seu quotidianas distributiones remittere, aut condonare, cum eiusmodi collusiones, aut remissiones prorsus sustulerit eiusdem Concilii Decretum.* Item die 14 Decembris eodem anno petitum fuit: *Quaeritur, an Episcopus, seu Capitulum possit condonare distributiones quotidianas Canonicis, quibus alias non debentur?* Et Sacra Congr. censuit *non posse* (Bened. XIV, loc. cit.).

381. Verum, ut his obtemperent Canonici, in omnibus Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis, designantur unus aut plures *Punctatores,* qui notent absentes a toto divino Officio, vel a parte

ipsius, ut careant penitus distributionibus, aut partem tantum ipsarum pro ratione negligentiae assequantur (Idem Pontif. ibid. n. 43).

382. Punctatores quolibet anno sunt a Capitulo eligendi (S. C. C. 4 Dec. 1706) quos convenit esse de gremio Cathedralis et residentes in Choro (Ead. S. C. 10 Sept. 1701).

383. Episcopus potest a Punctatore *iuramentum* de officio fideliter peragendo exigere, vel constituere contra Punctatorem, etiam Capituli sumptibus, si de fraude constiterit, aliquem, qui hoc munus exerceat (S. C. C. 26 Apr. 1664).

384. S. Congregatio Concilii die 17 Sept. 1650 declaravit: Non inservientes Ecclesiae, nec Divinis interessentes, ultra omissionem distributionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per mulctas pecuniarias, atque alio Iuris remedio compelli (Bened. XIV, loc. cit. n. 44).

385. Notandum, dari distributiones, *quae non distinguuntur a praebendis,* sed ipsas distributiones locum praebendarum tenere. Tales sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quarum *fructus omnes* in communi reponuntur, et singulis diebus distribuuntur cuilibet Canonico *praesenti* pro victu. Ex his *duae tertiae partes distributionum* pro praebendae *fructibus* habentur, et *tertia pars* quae superest, pro distributionibus quotidianis stricte dictis accipitur (Cf. *Acta S. Sed.* vol. 17, pag. 551; Ferraris, verb. *Distributiones,* art. I, n. 3).

386. Capitula, quorum Capitulares ecclesiasticis proventibus sive exspoliati, sive carentes, si a civili Gubernio *pensiones* recipiant, non eximuntur ab obligatione constituendi massam distributionum iuxta Tridentinam legem, quas et indebite absentes amittant, et praesentes tum suas tum absentium percipiant (Vid. resp. S. C. de die 24 Aug. 1867 apud *Acta S. Sed.* vol. III, pag. 464-467).

387. Praeter dictas *ordinarias* distributiones, quae a iure determinantur, persaepe aliae dantur distributiones, quae pro aliqua functione speciali vel a fidelibus solvuntur, vel a piis testatoribus aut fundatoribus relictae sunt, ea tamen conditione, ut cedant tantum iis, qui *actu* vere sunt praesentes. Hae quidem distributiones *extraordinariae,* distinctae a communi massa, vere et proprie *manuales* dici possunt, quippe quae manibus praesentium quodammodo tra-

duntur post opus sacrum seu sacram functionem expletam. Appellari etiam solent stricto sensu *distributiones inter praesentes,* quia eas nemo lucratur, nisi *personaliter* praesens sit; nec legitima absentiae causa ius tribuit eas assequendi: siquidem ad id obstat fundatoris vel dantis voluntas, quae veram et personalem praesentiam exigit, quam voluntatem Ecclesia violari non sinit. Quare istas distributiones, nec ipsi Canonici aut Beneficiati Iubilarii percipiunt (Cf. Santi, loc. cit. n. 87 sq.; *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 202, *Disceptatio.*

388. Distributiones *quotidianae* institutae sunt *in gratiam cultus divini,* ut sic Canonici et Cappellani promptius ac frequentius pro Officiis divinis recitandis seu peragendis, ad Ecclesiam convenirent (Cf. Bened. XIV, cit. *Instit.* 107, n. 39; Fagn. cit. cap. *Licet,* n. 14; Ferraris, loc. cit. n. 8).

389. Pro regula igitur generali statui potest et debet, distributiones ex tertia parte fructuum, iuxta formam Concilii Tridentini designatas, absentes non lucrari, nec ullam consuetudinem, nec Capitulorum statuta posse legitime inducere praxim, qua absentibus distributiones concedantur. Revera enim Concilium Tridentinum *in cap.* 3, *Sess.* 22, *de Ref.* decernit, ut qui servitium, quolibet die statuto, non impleverint, illius diei distributionem omittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant (Fagn. cit. cap. *Licet,* n. 102).

§ III. *Causae excusantes a servitio Chori.*

390. Bonifacius VIII in citato cap. *Consuetudinem,* a Concilio Tridentino renovato, postquam generatim constituit distributionibus absentes carere, haec statim adiungit: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret.*

I. Infirmitas. S. Congregatio die 15 Apr. 1511 decrevit: Eos, qui absunt a servitio Chori *ob infirmitatem,* vel aliam causam, percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac si statis horis interessent; percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui Divinis non interfuerunt ». Infirmitas tamen talis esse debet, quae impediat celebrationem divinorum Of-

ficiorum. Verum iure percipiendi distributiones privantur illi Clerici, qui dum bona fruerentur valetudine, *non consueverunt interesse Choro*. Revera S. Congregatio die 6 Febr. 1627 declaravit: *Distributiones quotidianas ita demum Oratori aegroto deberi, si alias Ecclesiae solitus erat inservire, cuius iustificatio remittitur conscientiae Episcopi*. Vide alias decisiones penes Benedictum XIV, cit. *Instit.* 107, n. 47; et cf. *discept. et resolutio* S. C. C. diei 12 Sept. 1896, apud *Acta S. Sed.* vol. 29, pag. 463 ad 469.

II. Corporalis necessitas; id est externum aliquod impedimentum, quo Canonicus seu Clericus detineatur, quominus in loco Beneficii resideat et Choro assistat. Ex. gr.: Iusta est absentiae causa pro percipiendis etiam quotidianis distributionibus, si quis fuerit iniuste expulsus a civitate, ad quam idcirco redire sine periculo non possit; vel si quis *absque sua culpa* adversarium habeat gravem et infensum, vel principem vel alium potentem virum in eodem loco (S. C. C. die 18 Aug. 1731).

Si vero Canonicus *culpabilem causam praebuerit inimicitiis*, ob quas a residentia abesse constringitur, factus est indignus percipiendi distributiones quotidianas, necnon cetera sui Canonicatus emolumenta (S. C. C. die 3 Iul. 1734).

Eadem S. Congregatio *saepius censuit, indebite carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo Ecclesiae inservisset* (Die 23 Sept. 1685; apud Bened. XIV, loc. cit. n. 52).

III. Ecclesiae utilitas est tertia causa, ex qua Canonicis et Beneficiatis ius derivat percipiendi etiam quotidianas distributiones tempore absentiae. Quoad *utilitatem Ecclesiae* animadvertimus, ita Santi, loc. cit. n. 94, utilitatem requiri praecise Ecclesiae illius, in qua Beneficium est, vel Ecclesiae universalis. Hinc lucrantur distributiones Canonici, qui Romano Pontifici tamquam familiares inserviunt, vel qui Pontificia legatione funguntur pro expediendis negotiis universalis Ecclesiae.

Lucrantur quotidianas distributiones Canonici, qui *ad Concilium* mittuntur a Capitulo, vel quoties alio se conferunt ut vel Beneficii sui, vel propriae Ecclesiae aut Capituli negotia gerant,

lites et iura eorumdem persequantur (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 36 sq.; Santi, loc. cit. n. 96).

391. Lucratur distributiones Canonicus, qui comitatur Episcopum in visitatione *sacrorum Liminum,* et etiam quando ab Episcopo impedito Romam mittatur ad eumdem effectum (Vid. cit. Auctores; Aloys. Adone, lib. 2, n. 351; Bened. XIV, loc. cit. n. 59).

392. S. Congregatio, die 3 Febr. 1629 declaravit: Canonicis, Episcopo *Pontificaliter* celebranti assistentibus, deberi distributiones quotidianas, *non autem inservientibus Episcopo Dioecesim visitanti,* vel Missam *privatam* celebranti (Bened. XIV, *Inst.* 107, n. 61).

393. Pro Canonicis, qui Episcopum *in pastorali Visitatione* comitantur, S. C. C. decrevit, eos fructus Praebendae suos facere; *at carere distributionibus,* ita ut si reditus omnes in distributionibus consistant, tertiam partem relinquere debeant, quae inservientibus accrescat (Die 5 Dec. 1626; Adone, loc. cit. n. 351; Bened. XIV, loc. cit. n. 59).

Attenta autem *tenuitate redituum,* quandoque ex gratia conceditur, ut quotidianas distributiones lucrari possint (S. C. C. 20 Nov. 1819; ibid.).

394. Lucrantur distributiones illi Canonici, qui certis per annum diebus in aedes Regularium secedunt, *ut vacent spiritualibus exercitiis,* sub his tamen conditionibus: 1° Ut obtineatur praevia licentia Episcopi; 2° ne secessus contingat temporibus Adventus et Quadragesimae, vel diebus festis solemnioribus; 3° ne omnes simul Canonici recedant, et in claustris Regularium se recipiant; 4° ne servitium chori detrimentum capiat (Clemens XI *in Litteris ad Episcopos Italiae;* vid. Bened. XIV, loc. cit. n. 63).

395. Canonicus *Theologus* pro tota die qua legit, lucratur distributiones quotidianas (S. C. C. ann. 1589 et 1622, apud Bened. XIV, loc. cit. n. 55).

Non tamen Canonicus *Theologus* censetur praesens, ad effectum lucrandi distributiones quotidianas, Matutino, quod ex antiqua Ecclesiae consuetudine recitatur sero praecedenti pro die subsequenti (S. C. C. mense Dec. 1587, apud *Acta S. Sed.,* vol. 34, pag. 11).

396. Canonicus *Theologus* quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per seipsum vel per alios idoneos (Bened. XIII, Constit. *Pastoralis Officii;* Adone, loc. cit. n. 370).

397. Canonico *Poenitentiario,* dum confessiones *actu* audit, debentur distributiones quotidianae, non secus ac si Divinis intersit in Choro (S. C. C. die 10 Mart. 1634; et vid. Bened. XIV, loc. cit.; nec non *Acta S. Sedis,* vol. 29, pag. 498 sq.).

Idem privilegium S. Congregatio concessit etiam Canonico, quem Episcopus ex legitima causa ad confessiones fidelium excipiendas *loco Poenitentiarii* suffecit (S. C. C. apud laudatum Pontif. ibid.; *Acta S. Sed.* loc. cit.).

398. Canonicus habens *onus Curae animarum* in eadem Ecclesia, si tempore quo divina Officia celebrantur, audiat Confessiones, vel alia ad ipsam Curam spectantia exerceat, lucrari debet distributiones quotidianas, etiamsi Divinis non intersit (S. C. C. 19 Sept. 1643; et vid. Bened. XIV, ibid. n. 56).

399. Canonicus inserviens Episcopo *in Officio Vicarii,* non lucratur distributiones quotidianas pro illis Horis, quibus non intersit (S. C. C. 18 Dec. 1627; Adone n. 363).

400. Canonicus a Choro absens *ratione muneris sibi commissi,* quotidianas distributiones non lucratur, *ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium,* quemadmodum de Canonico, munus Vicarii Generalis Episcopi obeunte (S. C. C. die 1 Aug. 1739; apud Adone, n. 374).

401. Canonici, qui ob *conservationem salutis aut recreationis causa* absunt, distributiones quotidianas percipere non debent (S. C. C. 19 Febr. 1791).

402. Qui non absunt a dioecesi, neque a civitate, sed ab Ecclesiae servitio, habentur pro *absentibus,* adeoque distributionibus carent: nam ad ipsas lucrandas, non solum requiritur *praesentia,* sed etiam *interessentia* corporalis in Choro (Ferraris, verb. *Distributiones,* art. I, n. 10 sq., ubi referuntur Iuris textus).

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Decretum Generale (1).

403. *De dispensatione a choro, qua fruuntur sive operam navantes conficiendis Processibus sive testes in Causis beatificationis et canonizationis.*

Ad tollendam quamvis ambiguitatem circa sensum Decretorum Summorum Pontificum Benedicti XIV. et Pii VII., in quibus provisum fuerat Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet a choro absentibus ea de causa, non solum quotidianas distributiones deberi, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine et quibusve sub clausulis personale servitium exquirentes; Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X. referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, declarare dignatus est ac statuere, ut Dignitates seu Canonici, Beneficiati aliique Chorales omnes, qui sive conficiendis praefatis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis operam navant, sive testes vocati fuerint, habeantur, intra vel extra Urbem, tamquam praesentes in Choro, mutato officio: et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia. Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Die 13 Iulii 1904.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Aliae declarationes S. Congregationis Concilii, editae die 20 *Decembris* 1862 *super absentia a Choro.*

404. Sequentia declarata sunt:

I. Canonici, tempore divinorum Officiorum *audientes Confessiones,* non censentur praesentes in Choro ad effectum lucrandi distributiones, *excepto Poenitentiario.*

(1) Vid. quoad hoc Decretum eruditam adnotationem egregii Redactoris ephemer. *Acta S. Sed.* vol. 27, p. 255.

II. Canonici *Missam celebrantes tempore divinorum Officiorum,* haberi non debent tamquam praesentes in Choro ad eumdem effectum, nempe lucrandi distributiones, nisi id fiat *de Praefecti licentia et in populi commodum.*

III. Canonici, *assistentes Archiepiscopo* (seu Episcopo) *in Pontificalibus,* aliisque functionibus, absentes a Choro, lucrantur distributiones: non autem lucrantur dictas distributiones Canonici assistentes eidem Archiepiscopo Missam *privatam* celebranti.

IV. Canonici *Archiepiscopo* assistentes in pertractandis negotiis, vel ipsum in Dioecesi extra residentiam comitantes, quotidianas distributiones non lucrantur.

V. Canonici absentes a Choro ad expendendas rationes *Massae Capitularis,* lucrantur distributiones *per tempus ab Ordinario praefiniendum.*

VI. Canonici absentes a Choro, *ministerio praedicationis vacantes,* quotidianas distributiones minime lucrantur.

VII. Canonici, dum absunt a Choro *pro examine Ordinandorum* vel *Confessariorum,* non lucrantur distributiones.

VIII. Canonici, Rectoris, Administratoris, Professorum et Examinatorum munus exercentes *in Seminario,* absentes a Choro, distributiones non lucrantur.

IX. Canonici absentes a Choro, ut Provicarii Generalis, Cancellarii, Auctarii, et alia munia in Curia Archiepiscopali (seu Episcopali) exerceant, quotidianas distributiones non lucrantur.

X. Canonici absentes a Choro, rerum Capitularium, vel Mensae Archiepiscopalis administrationi vacantes, distributiones non lucrantur; lucratur vero distributiones *Administrator* rerum Capitularium *pro diebus et horis,* quibus reapse incumbit in administrationem.

XI. Canonicus *Cancellarius Capituli,* pro negotiis Capitularibus in archivio distentus non lucratur distributiones, *nisi in casu urgentiae* (*Acta S. Sed.* Vol. I, p. 72; vol. 34, p. 3 ad 13; et cf. Bened. XIV., *Instit.* 107, n. 66 sq.; Giraldi, tom. I, pag. 244 sq.).

405. *Peregrinationis causa,* etiam piae, nequeunt Canonici quotidianas distributiones lucrari: fructus vero praebendae habere possunt, si eam peregrinationem fecerint intra tres menses a Tridentino concessos (S. C. C. ann. 1573; Benedict. XIV, loc. cit. n. 71).

406. Canonicus Cathedralis, qui sit *caeremoniarum Magister Episcopi,* ratione sui officii absens a Choro, distributiones quotidianas non lucratur, praeterquam quando assistit Episcopo in Cathedrali (S. C. C. die 1 Aug. 1739; apud Adone, lib. II, n. 375).

407. Canonicus non debet ullum, etiam minimum, Chori servitium praetermittere *causa pulsandi organum pneumaticum;* et si praetermiserit, praeter fructuum ac distributionum iacturam, etiam aliis poenis est coercendus (S. C. C. die 26 Nov. 1611; Aloys. Adone, ibid. n. 376).

408. Eo tantum casu Canonicus, a Choro absens pulsandi organum gratia, distributionibus gaudet, *si stipendium pro musica non accipiat* (S. C. C. die 15 Nov. 1659, et 6 Maii 1741).

409. Docentes *Sacram Scripturam,* dum publice in scholis docuerint, et Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione *fructuum* Praebendarum, et Beneficiorum suorum in absentia a iure communi concessis plene gaudeant et fruantur (Conc. Trid. sess. V, cap. I).

410. Praedictum indultum abessendi *causa studiorum* favet etiam Doctoribus et scholaribus facultatis theologicae et iuris canonici, quoad tamen perceptionem fructuum, *non vero distributionum.* Hinc ad dubium: *An et quomodo sit concedendum indultum Lectoribus in publicis Universitatibus?* S. Congregatio Concilii die 6 Maii 1820, respondit: *Affirmative pro diebus et horis, amissis distributionibus* (*Acta S. Sed.* vol. I, pag. 206 ad V^m^; cf. Santi, lib. III. tit. 4, n. 69).

411. Canonici qui sunt ligati Ecclesiae, etiam absentes, tenentur recitare Officium *iuxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati* (S. R. C. die 10 Iul. 1677. N. 1599 ad 2^m^).

412. *Servitium Chori alternativum.* Indultum inserviendi *alternis vicibus* (quatenus dimidia Canonicorum pars per unam hebdomadam, reliqua vero pars per alteram Chorum frequentent) a S. Congregatione Concilii concedi solet *ob sequentes causas:* 1° ob redituum tenuitatem; 2° ob aëris rigiditatem ac locorum intemperiem; 3° ob satis frequentem Capitularium coetum; 4° ob insalubrem Ecclesiae statum; 5° ob asperum difficilemque ad Cathedralem accessum; 6° ob malam Canonicorum valetudinem; 7° ob

nimis grave Chori servitium (Vid. varia decreta penes Adone, citato opere *Synopsis Canonico-Liturgica,* Lib. II. n. 280; Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. XIII, cap. 9, n. 13).

413. Praedictum indultum *alternativae,* ex Benedicto XIV et ex S. Congr. Concilii locis cit. sub sequentibus conditionibus conceditur: 1° ut Capitularium vacationes non excedant tres menses; 2° ut iis vacationibus Canonici frui nequeant tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. C., Pentecostes et SSmi Corporis Christi et per totam Octavam eiusdem, aliisque temporibus Ordinario benevisis.

414. In vacationibus fruendis non oportet trium mensium *continuatam* absentiam adesse; sed satis est, quod dies absentiae, quandoque interpolati, non superent trimestre (S. C. C. ann. 1575, apud Adone ibid. n. 270).

415. Episcopus Oretensis in Hispania, dubitans de legitimitate quarumdam consuetudinum in capitulo suae Cathedralis vigentium, S. Congregationi Concilii sequentia dubia proposuit:

I. An possit tuto retineri praxis Ecclesiae Oretensis, iuxta quam Canonicus Praedicator seu Magistralis censetur praesens in choro ad effectum distributionum lucrandarum, *per octo dies integros,* quoties concionem est habiturus in Ecclesia Cathedrali?

II. An idipsum aptari queat Canonicis concionantibus *ratione beneficii* et sine retributione?

III. An idem sit dicendum de ceteris Canonicis, qui concionem non ratione beneficii, *sed sponte et gratis habent?*

Et S. C. re discussa sub die 27 Apr. 1901, censuit respondere: *Consuetudinem, de qua quaeritur, non sustineri* (*Acta S. Sed.* vol. 34, pag. 6 et 13).

§ IV. — *Canonici quoad Episcopum, ubi de variis ipsorum officiis et iuribus.*

416. 1° Canonici tenentur *ad associandum Episcopum,* quoties ipse cum cappa ad celebrandum divina Officia, vel ut illis assistat, ad Ecclesiam accedit. Debet tamen Episcopus curare, ne

occasione huius comitatus Ecclesia omnino deseratur, ita ut in ea nulli vel pauci Canonici aut Presbyteri pro servitio Ecclesiae remaneant: quod prudentiae et discretioni ipsius Episcopi S. R. C. moderandum reliquit (S. R. C. die 10 Ian. 1604. N. 152 ad 1[m]; vid. infra n. 432. *Decretum Glez*).

2° Canonici tenentur et cogi possunt ab Episcopo, *ut sibi ministrent* et inserviant, non modo in Cathedrali, verum etiam in quibuscumque aliis suae civitatis Ecclesiis, ad quas, *ad publicas vel solemnes Episcopales functiones exercendas*, Episcopum ire contigerit (S. R. C. die 10 Ian. 1604. N. 153).

3° Deficientibus Diaconis et Canonicis Presbyteris, Episcopus cogere potest Dignitates, ut in munere Diaconi assistentis inserviant (S. R. C. die 10 Iun. 1656. N. 1014. et vid. etiam N. 966).

4° Canonici assistentes Episcopo Pontificalia exercenti, ad *Altare, et non in Sacristia ipsum induere debent* sacris paramentis iuxta Caeremoniale Episcoporum (S. R. C. die 29 Nov. 1856. N. 3039 ad 2[m]).

5° Canonici Cathedralis Episcopo celebranti *in aliqua Collegiata* assistere debent invitati, aliisque praecedunt, *capitulariter tamen, non singulariter*. In Convisitatores assumpti gestare possunt propria Insignia, tam in Collegiatis, quam in aliis Ecclesiis, eisque debetur praecedentia (S. R. C. die 19 Ian. 1743. N. 2371).

6° Canonici sive parati, sive non, genuflectere non tenentur, cum Episcopus pontificaliter celebrans, solemnem dat benedictionem in fine Missae et Vesperarum (S. R. C. die 21 Iul. 1855. N. 3036 ad 3[m]).

7° A S. Rit. Congregatione expostulatum est: Utrum in Missa solemni coram Episcopo celebrata, Canonici venientes ad circulum et ab illo recedentes *ad Agnus Dei*, utroque genu genuflectere versus Altare debeant, vel debeant et possint genuflectere unico genu?

Et Sacra Congr. rescribere rata est: *Affirmative ad primam partem*, nisi ex consuetudine obtinuerit genuflexio simplex iuxta Decretum *Rhemen.* 20 Maii 1904; et quoad secundam partem provisum in primo. — Die 4. Nov. 1904. (Cf. *Caeremoniale Episcop.* Lib. I, cap. 21, n. 3).

8° Canonici Cathedralis tenentur interesse cum sacris indumentis Processioni Corporis Christi, etiamsi absit Episcopus (S. R. C. 12 Sept. 1716. N. 2236).

9° Canonici Cathedralis existentes *uti singuli* in locis Dioecesis, nequeunt assumere habitum canonicalem, vel praetendere praecedentiam et locum distinctum (S. R. C. die 12 Sept. 1716. N. 2239).

10° Canonicis et Dignitatibus Cathedralis non licet in celebratione Missae privatae habere Ministrum *cotta indutum,* qui Missale sustineat, folia vertat, indicet legenda, detegat calicem, vinum et aquam ante Offertorium infundat (S. R. C. die 13 Maii 1719. N. 2262; die 27 Iul. 1720. N. 2268).

11° Canonici, praesente, vel absente Episcopo, intra vel extra Cathedralem, nequeunt adhibere *sedes cum brachiis* et subselliis; sed sedere debent *in scabellis* seu *scamnis* (S. R. C. die 20 Aug. 1729. N. 2289 ad 3^{m} et 4^{m}).

12° Canonici Cathedralis, etsi non sint parati, in recipiendo Candelas ac Cineres, debent dumtaxat *se inclinare* (S. R. C. die 8 Maii 1700. N. 2052).

13° Canonicus Diaconus ministrans Canonico celebranti, dum thus offert, dicere debet: *Benedicite, Reverende Pater* (S. R. C. die 4 Apr. 1699. N. 2026 ad 6^{m}).

14° Canonici Cathedralis in sessionibus, stationibus, processionibus, seu in quibuslibet functionibus ecclesiasticis, *quando capitulariter incedunt,* praeferendi sunt etiam Dignitatibus ecclesiarum Collegiatarum (S. R. C. die 24 Iul. 1660. N. 1172).

15° Canonici Cathedralis *capitulariter associantes* cum propria Cruce funus ad ecclesiam Regularium, possunt hanc ingredi, ibique cum Cruce erecta usque ad humationem cadaveris assistere, ita tamen, ut in absolutione funeris sola adhibeatur *Crux ecclesiae tumulantis* (S. R. C. die 22 Dec. 1696. N. 1957 ad 1^{m}).

16° Canonico *Theologo* non licet explicare populo sacram Scripturam in diebus festis *inter Missarum solemnia,* et praecise post Evangelium (S. R. C. die 30 Apr. 1796. N. 2551).

17° Canonicus *Theologus,* dum legit sacram Scripturam *semper est dispensatus a servitio Chori* (S. R. C. die 10 Sept. 1701. N. 2079 ad 11^{m}).

417. *Iura quaedam specialia capituli cathedralis.*

I. *Sede plena,* Capitula cathedralia iurisdictione carent, sed senatum (episcopalem) constituunt. Senatus sui tenetur Episcopus in rebus gravioribus modo *consilium* et modo *consensum* exquirere iuxta dispositionem iuris. Diximus *tenetur Episcopus exquirere,* ita scilicet, ut canonicorum consensu *non obtento,* vel consilio, ubi hoc tantum lex postulat, *non petito,* actus regiminis episcopalis invaliditate laboret.

II. *Sede vacante,* Capitulum Cathedralis ecclesiae, iure Tridentino *sess.* 24, *cap.* 16 *de Ref.* tenetur intra *octo dies* ab accepta notitia vacationis, eligere seu constituere Vicarium, per quem iurisdictionem exerceat. Octo diebus frustra elapsis, ius eligendi seu nominandi Vicarium devolvitur ad alium iuxta dicta in superiori Lib. de *Vicario capitulari* pag. 190.

III. *Sede impedita,* quando scilicet Episcopus ab exercendo munere suo *vi externa* quomodolibet impeditus est, ut si esset in exilium missus vel in carcerem detrusus, non statim Vicarius a capitulo deputari debet. In his similibusque casibus, et praetermissis quae exhibentur a Doctoribus, nos asserimus magis expedire, ut recursus ad S. Sedem, hodie valde facilis et expeditus, super tali negotio fiat.

§ V. *Canonici quoad Missam Conventualem.*

418. Sacrorum Canonum sanctionibus praecipitur, ut *singulis diebus* in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis, tum Horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam *Missa Conventualis* celebretur (Bened. XIV, Const. *Cum semper oblatas,* 19 Aug. 1744, § 11).

419. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis, iniunctum reperitur, ut *quotidie* Missa Conventualis in eisdem canatur; sed etiam in Rubricis generalibus praescribitur, ut certis diebus non una, *sed binae,* atque etiam aliquando *tres Missae Conventuales* uno die celebrentur (Id. Pontif. ibid. § 20.

420. Si Officium novem lectionum fiat in Quadragesimae, Rogationum, Quatuor temporum ac Vigiliarum feriis, tunc *duo Sacra*

Conventualia iubentur, unum nempe pro celebritate diei post Tertiam, alterum pro Feria post Nonam (Bened. XIV, *Instit.* 107, n. 13).

421. Si inter Octavam Corporis Christi pervigilium accidat, etiam duo Sacra statuenda sunt, primum nempe de Octava, alterum de pervigilio (Loc. cit.).

422. Si novem lectionum Officium indicatur in pervigilio Ascensionis, *tria Sacra Conventualia* facienda sunt; primum de Sancto illius diei post Tertiam, alterum de pervigilio post Sextam, tertium de Rogationibus post Nonam (Loc. cit.).

423. Missa Conventualis quotidie, ut dictum est, a Capitulo in Choro est canenda, *non obstante contraria consuetudine,* et quidem de Festo post Tertiam, de Anniversariis post Primam, et Ferialis post Sextam aut Nonam (S. R. C. die 24 Martii 1860. N. 3096).

424. Si in Vigilia, feriis quatuor temporum, aliisque feriis propriam Missam habentibus, recitetur in Choro, ex novissima generali concessione, Officium votivum, canendae sunt *duae Missae,* una de Officio votivo, altera de Vigilia vel Feria (S. R. C. die 24 Nov. 1883. N. 3597 ad 6).

425. Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Choro praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus *in genere* quotidie applicandae sunt; eodem prorsus modo, quo Missa parochialis ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debet (Bened. XIV, cit. Const. *Cum semper oblatas,* § 11).

426. In ecclesia Cathedrali ultra Missam Conventualem, *si est ecclesia simul Parochialis,* celebranda est Missa parochialis, et applicanda pro ovibus a Canonicis curatis tantum, diebus festis de praecepto. Missa autem supradicta est celebranda et applicanda per alium, si Canonici curati diebus festivis celebrent Missam Conventualem per turnum (S. C. C. die 19 Aug. 1713).

427. Quoad *secundam ac tertiam Missam Conventualem* sic statuit Benedictus XIV in laudata Constitutione, § 22: « Nos ita iudicamus, idque Vobis (Episcopis) tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam Conventualem Missam *pro Benefactoribus in genere* appli-

cant; qui vero idem agunt *ex vi consuetudinis* in ipsorum ecclesia vigentis, *iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent.* Ubi vero id usu receptum non invenitur, *liberam omnino secundae, tertiaeque Missae Conventualis applicationem celebranti reliquendam esse,* dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur ».

428. Relate *ad eleemosynam Missarum Conventualium* S. Congregatio Concilii pluries declaravit, *eam desumendam esse ex massa distributionum.* Quod etiam docet Benedictus XIV in praelaudata Const. § 18 (Vid. *Acta S. Sed.* vol. VIII, pag. 104 sq.).

Quod si massa distributionum minime extaret, prudenti arbitrio Episcopi pro huiusmodi Missarum stipendio eam esse effformandam (S. C. C. die 2 Iun. 1860; *Acta S. Sed.* loc. cit.).

429. Notandum est, *Missam Conventualem,* cuius celebrationis et applicationis onere gravantur quicumque, sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, aut alia Beneficia choralia in Cathedralibus vel Collegiatis ecclesiis obtinent, veluti *divini Officii pars* censetur: imo praecipua Divinorum pars dicitur in *Pisanen.* die 6 Iul. 1737 (*Act. S. Sed.* loc. cit.).

430. Canonici sive *aegrotantes* sive *iubilati* non tenentur per *alium* Missam et Evangelium canere (S. C. C. die 17 Sept. 1831; apud Adone, lib. III, n. 1377).

431. *Solutio dubiorum circa Missam conventualem, recitationem divini Officii in choro, et pulsationem organi.*

Senogallien. R. D. Primus Battistini, Mansionarius et Caeremoniarum Magister ecclesiae cathedralis Senogallien., de consensu Rmi sui Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Ad quos spectet Missam conventualem sive de feria sive de festo diebus ferialibus in cathedrali ecclesia celebrare?

II. Utrum dies 19 et 25 Martii computandi sint inter feriales, ita ut Missa conventualis de feria ad Mansionarios spectet, cum in illis festa S. Ioseph et Annuntiationis Deiparae occurrant?

III. Num Mansionariis legitime impeditis in casu liceat pro Missa conventuali sibi substituere Sacerdotem, qui non sit de gremio ecclesiae cathedralis?

IV. Utrum tolerari possit consuetudo recitandi Sextam et Nonam Horam ante Missam conventualem?

V. Possuntne psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce, ab uno ex Mansionariis?

VI. Utrum, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae ex ecclesiae huius consuetudine relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii teneantur a seipsis supplere saltem in cantu Gregoriano?

VII. Utrum Chorales ad asteriscum psalmorum pausam facere teneantur?

VIII. Utrum organa pulsari queant feria V in Coena Domini per totum hymnum Angelicum et Sabbato Sancto ab eiusdem hymni initio et deinceps?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, praehabita informatione et sententia Rmi Dni Ordinarii Senogallien., audito etiam Rmo Capitulo illius ecclesiae cathedralis aliisque interesse habentibus, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad Mansionarios per turnum iuxta Decretum 2548 *Senogallien.* diei 18 Febr. 1794.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative et ad mentem.*

Ad IV. Regulariter *Negative, et serventur Rubricae.*

Ad V. *Affirmative:* dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur Choralium numerus.

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative* et servetur Decretum 3122 *S. Iacobi de Chile* diei 9 Iulii 1864.

Ad VIII. *Affirmative* iuxta Decretum 3515 *Viglevanen.* diei 11 Iunii 1880 ad IV et Rubricas.

Atque ita rescripsit. Die 4 Martii 1901.

Giennen. Hodiernus Rmus Episcopus Giennensis in Hispania summopere cupiens ut in Ecclesia cathedrali dioeceseos sibi commissae sacrae functiones rite peragantur, a Sacrorum Rituum Con-

gregatione insequentium dubiorum declarationem supplex expostulavit: nimirum;

I. Utrum tolerari possit consuetudo celebrandi unam Missam lectam in Altari maiori, quod est etiam chorale, dum in choro canitur *Prima?*

II. Utrum Canonici Missam solemnem celebrantes in ecclesia cathedrali adhibere licite valeant duo Missalia, unum in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii?

III. An permittenda sit praeintonatio *Gloria in excelsis* in Missis solemnioribus a duobus cantoribus dum in choro canitur *Kyrie eleison?*

Sacra Congregatio, die 11 Nov. 1904, rescribendum censuit: Ad I. II. et III. *Negative,* et serventur Rubricae et Decreta.

Decretum Generale quoad associationem Episcopi.

432. Sacra Rituum Congregatio, quod per plura iam particularia Decreta alias statuerat, iterum statuens et confirmans, declarat:

I. « Dignitates et Canonicos Ecclesiarum Cathedralium praemonitos *teneri ex officio* hora praestituta in habitu canonicali proprium *associare Episcopum,* quoties cum cappa ad Ecclesiam Cathedralem accedit, vel ab eadem in suam habitationem redit; et ab eodem Episcopo ad id posse compelli etiam per censuras ».

II. « Pro episcopali domo aulam intelligendam esse seu cubiculum *ab Episcopo destinatum,* quo debet Capitulum collegialiter accedere iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. I, cap. XV, n. 1), et quidem per viam, tam in eundo, quam in redeundo, ab eodem Episcopo designandam ».

III. « Si vero Episcopus, aut mozzetta solum indutus, aut incepto iam Officio quandoque venerit, vel eodem Officio nondum absoluto discedere voluerit, *duos vel quatuor Dignitates aut Canonicos* teneri illum ad ianuam tantum Ecclesiae excipere; et discendentem saltem extra eiusdem Ecclesiae portam associare, ut in Chorum redeant Horas Canonicas prosecuturi. Si tamen discedere voluerit Episcopus, cum aliqua Officii pars absoluta fuerit, omnes Dignitates et Canonici id honoris eidem Episcopo praestabunt ».

IV. « *Neminem ex Dignitatibus et Canonicis* ab hoc adimplendo munere eximere se posse ob itineris longitudinem vel difficultatem, nisi forte domus Episcopalis ultra bis centum passus ab Ecclesia distet, iuxta locorum consuetudinem, vel ob nimiam viarum asperitatem, de qua ipse iudicabit Episcopus. — Non obstantibus quibuscumque » (Die 22 Maii 1894. N. 3828).

§ VI. *Canonici quoad praecedentiam et lubilationem.*

433. Sacra Rituum Congregatio, Decretis alias editis inhaerens, declarat et statuit:

In Ecclesiis Collegiatis et Cathedralibus, ubi Praebendae non sunt distinctae, Canonicos vel etiam Beneficiatos Sacerdotes in omnibus praecedentiam habere super Canonicos vel Beneficiatos, *qui sacerdotali charactere non sunt insigniti, quamvis in possessione antiquiores.* Hanc autem praecedentiam adhuc retinendam esse Sacra Rituum Congregatio decernit, *postquam praefati Canonici aut Beneficiati ad Sacerdotalem gradum ascenderint.*

434. Quod denique de Canonicis et Beneficiatis presbyteris super alios Canonicos aut Beneficiatos in inferiori ordine constitutos Sacra Rituum Congregatio statuit, id quoque intelligendum esse declarat de Canonicis *Diaconis supra Subdiaconos, de Subdiaconis supra reliquos Clericos;* dummodo non obstet consuetudo, aut Constitutiones Capitulares » (*Decretum Generale,* die 12 Iul. 1892. N. 3783).

435. Canonici et Capitulum Ecclesiae Cathedralis semper et ubique *quoscumque Curatos,* etiam in eorum propriis Ecclesiis praecedere debent (N. 142). Id tamen non habet locum, quando Canonici sine Cruce et consensu Capituli *ut singuli* incedunt (N. 150, et 1492).

436. Canonicis, *uti singulis,* in funeribus nulla competit praecedentia; secus *collegialiter* interessentibus, et sub Cruce Capitulari (N. 710). Idipsum valet quoad Processiones cum SSmo Sacramento (N. 711).

437. Canonico *Protonotario,* incedenti in *habitu Protonotarii,* debetur locus post omnes Canonicos; nec ei debentur distributiones (N. 1762).

Canonici quoad Iubilationem.

438. Nullus quippe est in Iure canonico textus, quo privilegium exemptionis a Choro concedatur Canonicis, qui multorum annorum spatio operam suam eidem Choro laudabiliter praestiterint. Nihilominus ex Ecclesiae benignitate iamdiu usus invaluit, ut quemadmodum in civili militia, ita etiam in ecclesiastica militia, emeritorum stipendiis illi frui possint, qui assidue et laudabiliter *quadraginta annorum spatio* chorale servitium expleverint. Et merito quidem: nam, si quotidianum et non interruptum Chori servitium, communi hominum iudicio, laboriosum et grave censetur, multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum est pro Canonico, nullum serviendi videre finem, quantumvis diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude inservierit (Vid. Bened. XIV, *de Syn.* lib. XIII, cap. 9, n. 15; Giraldi, tom. III, pag. 1012, sect. 137).

439. Indultum *Iubilationis,* quod datur in praemium servitii quadragenarii praestiti *Ecclesiae chorali,* non conceditur, si tempus psallendi impensum fuerit *in alia ministerii opera, etsi laudabilia* (S. C. C. 26 Iun. 1869).

440. *Iubilatio* item denegatur Canonicis et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum Ecclesiis inservierunt, sed *aliquo tempore a Choro abfuerint,* licet pro suae Ecclesiae servitio, vel ex Indultis abessendi *pro diebus* et *horis;* concedi autem non debet habentibus indulta abessendi, durante Officio (Ead. S. C. 24 Sept. 1718; et cf. *Acta S. Sedis,* vol. III, pag. 468 sq.).

441. Canonicus *Iubilatus* non solum amplius non tenetur Choro interesse, sed neque residere in civitate aut loco, ubi sita est ecclesia Cathedralis, sive Collegiata, in qua Canonicatum aut Praebendam, aliudve Beneficium chorale obtinet; sed in illius potestate est domicilium alibi figere. Verum, non obstante indulto Iubilationis, Canonicus Iubilatus cogi potest ab Episcopo ad inserviendum, *si divinus cultus detrimentum patiatur* (Bened. XIV, *de Syn.* lib. XIII, cap. 9, n. 15; S. C. C. 1718 et 1785 apud Adone, lib. II, n. 429).

442. Canonico *Iubilato* debentur non solum reditus suae Praebendae et distributiones quotidianae ordinariae, sed etiam illae, quae ex Anniversariis percipiuntur; iis exceptis, de quibus cautum sit a testatoribus, ut intervenientes tantum participent (S. C. C. 1722 et 1782; Adone, loc. cit. n. 426).

443. Ex dictis collige, Canonicos Indultum *Iubilationis* assecutos, neque per seipsos, neque per alios Missam Conventualem aliasve functiones, ut antea, per vices obire obstringi; nisi res sit de Ecclesia, ubi vigeat particularis consuetudo vel statutum, praescribens functiones quasdam debere a Canonicis, Iubilationis Indulto quoque munitis, expleri (S. C. C. 4 Maii 1737; vid. discep. et resolut. S. C. C. de die 29 Ian. 1898, apud *Acta S. Sed.* vol. 30, pag. 724 sq.).

444. Canonicus *Iubilatus,* qui sit Dignitas vel Personatus, neque per se, neque per alium explere tenetur Missas de turno; sed illas tantum, quae suae Dignitati vel Personatui a statutis vel consuetudine taxative sint attributae (S. C. C. 3 Sept. 1870).

445. Canonici *Iubilati,* adesse non tenentur prout alii, quoties Episcopus pontificaliter celebrat (S. C. C. 27 Sept. 1659).

§ VII. *Canonici ad honorem.*

446. Summus Pontifex Leo XIII sub die 29 Ianuarii 1894 Litteras dedit in forma Brevis, incip. *Illud est proprium,* quibus novae exhibentur Instructiones quoad *Canonicos honorarios.* Plura in exordio docet, ex quibus haec transcribimus:

a) Pro certo habendum est, inquit, ad conservandam ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, *ut opera et officiis adiuvaret Episcopum,* et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar Clericis inferioribus impertiret.

b) At temporibus nostris nonnulli sunt, *qui pristinae institutionis immemores,* Canonicorum collegia, tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit, ut, cum humanum sit onus

defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari.

c) Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui sacerdotio aucti deberent « *aemulari charismata meliora, terrena despicere, et nonnisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi gloriari* ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes, externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant.

d) Nos qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus Sacrorum administros, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die decimo sexto mensis Septembris 1884 (apud *Acta S. Sed.* vol. 17, pag. 554) per Sacram Congregationem Tridentini Concilii Interpretem ac vindicem dedimus.

e) Cum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites *gravius conquesti sint* eiusmodi honores, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non vero ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri, Nos quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra, statuimus et decrevimus:

I. Episcopus seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum *alienae dioeceseos* Canonicum ad honorem nominaturus, praeter Capituli sui *consensum,* Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur.

II. Canonici ad honorem *extra dioecesim,* in qua nominati sunt, degentes, numero sint *tertia parte minores* cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae aut Cathedrali, vel Collegiatae assignatis.

III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae, vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti

possunt tantum *intra respectivae Basilicae* vel *Collegiatae eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum,* ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae vel Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur *in dioecesi* ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

IV. Haec omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis.

Ita volumus, edicimus, decernentes etc... non obstantibus etc.. ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque (Integrum Breve vid. penes *Nouv. Rev. Théol.* tom. 26, pag. 129; *Act. S. Sed.* vol. 26, pag. 449).

447. In Litteris S. C. C. diei 16 Sept. 1884, quas Summus Pontifex in allato Brevi commemorat, haec, praeter alia, continentur:

« Ne vero in posterum et dignioribus *iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant,* ipsi Emi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, Auctores Tibi (Episcopo) sunt, ut *raro admodum et caute* honoris titulos vel insignia *tuis* impertias, sed *probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis;* Clericis vero *alienis* nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur ».

448. S. Congregatio Concilii, die 23 Apr. 1830 delaravit: Canonicos honorarios, qui nullas praebendas obtinent, sed stallum dumtaxat habent, *ad residentiae legem compelli non posse* (Apud Adone, loc. cit. n. 267).

§ VIII. *Canonici quoad Insignia canonicalia.*

449. Canonici ceterique divinis Officiis in Choro assistentes, decenti habitu talari, nec non superpelliceo ac bireto induti esse debent, et contrarius abusus est omnino abrogandus (S. R. C. die 30 Iul. 1689. N. 1819 ad 2^{m}).

450. Episcopo non licet *aliquod signum* particulare vel colorem in signis *mutare et innovare,* tam pro Dignitatibus vel Canonicis, quam pro aliis suae Ecclesiae Presbyteris vel Clericis, sine

expressa licentia et consensu Sedis Apostolicae; si secus factum fuerit, omnia sunt in pristinum reducenda, ac si nihil per Episcopum concessum fuerit (S. R. C. die 1 Sept. 1612. N. 301).

451. Nisi habeatur speciale indultum a S. Sede, toleranda non est consuetudo, quod Canonici Cathedralis ecclesiae *Rochetto* in sacris functionibus peragendis utantur atque *annulum* semper deferant, etiam in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii: Episcopus autem curet, ut quamprimum hi abusus tollantur (S. R. C. die 20 Aug. 1870. N. 3218). Iam antea sub die 10 Sept. 1701 ab eadem S. C. declaratum fuit, non licere Canonicis celebrare Missam cum *annulo lapide pretioso ornato* (Decr. auth. N. 2079 ad 8^{m}. et vid. Bened. XIV, *Instit.* 84, n. 15).

Decretum Generale quoad Insignia honorifica.

452. Per *Decretum generale* a S. R. C. editum die 31 Maii 1817, confirmatum a Summo Pontifice Pio VII die 4 Iunii eiusdem anni, quoad *insignia honorifica* declaratum est:

1. In Sacris functionibus, sive publicis sive privatis, non licere Dignitatibus et Canonicis, Superioribus Regularibus, Praelatis quoque Romanae Curiae, Protonotariis Apostolicis honorariis, aliisque omnibus quocumque nomine nuncupentur, quibus ex iure non competit, etiamsi habeant ex indulto usum mitrae, *Palmatoriam* adhibere, nisi *Apostolico Privilegio* donentur, vel hoc personale sit, vel Corpori cuius membra sunt attributum; ita tamen ut non aliter eo uti possint, quam servatis modo et forma ac cum limitationibus et conditionibus in Apostolica concessione praescriptis.

2. Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi *Cappam* et *Rochettum* tam in propria quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque Canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando *capitulariter* incedunt, vel assistunt, et peragunt sacras functiones; non autem si intersint *uti singuli*, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur (Decr. auth. N. 2579).

CAPUT II.

Motu Proprio de Protonotariis Apostolicis eorumque oneribus et privilegiis (1).

PIUS PP. X.

453. Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum Apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores: de iis loquitur Cyprianus *(ep. 69, n. 8)* dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo;* nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. XX, 28)*. Quapropter, *Presbyteris superiores esse Episcopos,* iure definivit Tridentinum Concilium *(Sess. XXIII, c. 7)*. Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apost. Litteris,

---

(1) Datum Romae apud S. Petrum, die 21 Februarii 1905. Duo ultima capitula, quae hic non ponuntur, agunt (n. 77, 78, 79) de « ceteris Praelatis Romanae Curiae » et (n. 80, 81) de « dignitatibus, canonicis et aliis, qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur ».

sive S. Rit. Congr. Decretis pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epist. S. R. Congr. d. d. 31 Martii 1744 « *SSmus Dominus Noster* », iterumque idem Benedictus, d. 17 Februarii 1752 « *In throno iustitiae* »; Pius VII, d. 13 Decembris 1818 « *Cum innumeri* »; et rursus idem Pius, d. 4 Iulii 1823 « *Decet Romanos Pontifices* (1) », et Pius IX d. 29 Augusti 1872 « *Apostolicae Sedis officium* (2) ». E sacr. Rit. Congregatione memoranda in primis Decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die 27 mensis Septembris 1659 et ab Alexandro VII confirmatum; dein Decreta diei 22 Aprilis 1684 de Canonicis Panormitanis; diei 29 Ianuarii 1752 de Canonicis Urbinatibus; diei 27 Aprilis 1818 de Protonotariis Titularibus, a Pio PP. VII approbatum; ac diei 27 Augusti 1822 de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, pri-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 3, p. 569.

(2) Cfr. Ibid., vol. 7, pag. 83.

vilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu Proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

De Protonotariis Apostolicis.

1. Quatuor horum habeantur ordines: I. Protonotarii Apostolici de Numero Participantium, septem qui Collegium privative constituunt; II. Protonotarii Apostolici Supranumerarii; III. Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; IV. Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

I. *Protonotarii Apostolici de numero Participantium.*

2. Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones, quibus ex Summorum Pontificum indulgentia iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione « *Quamvis peculiares* » Pii PP. IX, diei 9 mensis Februarii 1853 (1), paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus.

3. Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum* atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione « *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo* », diei 6 mensis Februarii 1586, Protonotariis Participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus ecclesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra curiam uti », in obsequium praestantissimae Episcopo-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, p. 91.

rum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, dici 4 mensis Decembris 1903 (1). ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium Diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione, « quibuscumque aliis pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra Dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen Canonicis seu Dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. *(I, XVII, nn. 2 et 3);* nec alia Mitra nisi sim-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 376.

plici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

11. Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera praelatorum Collegia primus dicitur et est in Romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

II. *Protonotarii Apostolici Supranumerarii.*

13. Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberianae; itemque iis qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Proto-

notariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

14. Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis tum aliarum ecclesiarum de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini *(Sess. XXIV, c.* 11), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, nunquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantelletum supra Rocchetum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini:* pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus *(paramini)* in manicis (etiam Roccheti).

17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano,* in Congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non ondulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Roccheti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt.

21. Habitu praelatitio induti, Clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt: duplici ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos, etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii, in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit. atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assument et deponent, quae in Missis erunt: *a)* Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; *b)* Tunicella et Dalmatica; *c)* Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d)* Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; *e)* Annulus cum unica gemma; *f)* Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta Caerem. Episcopor. *(I, XVII, nn.* 2

et 3); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g)* Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; *h)* Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; *i)* Gremiale.

28. In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium Diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum,* nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos,* de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in Pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; numquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum), aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in

lance adhibere: sed ante ℣. *Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis uti poterit.

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis de quo supra, num. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet.

Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. *Protonotarii Apostolici ad instar.*

42. Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar,* ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. Qui Protonotarii Apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii, quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: Nec Faldistorio nec Gremiali unquam utantur, sed una cum Ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alius Praesul ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo.*

48. Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis n. 31 constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam pri-

vata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 ett 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. Qui ante has Litteras, Motu Proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario infra duos menses dabunt.

52. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pon-

tificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. *Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii.*

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus

rite honesteque ad huiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innumeri* », Idibus decembr. 1818 datam.

60. Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione; 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3° de statu clericali ac caelibi; 4° de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6° de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7° de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur.

62. Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Roccheto, Mantelleta et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. Habitu praelatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur.

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis, et sex hinc, sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non ideo Collegium constituere.

74. Tandem qui Protonotariatu Apostolico honorario donati sunt, tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis

Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotariatum, tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

CAPUT III.

De Vicariis Foraneis.

454. Cum Episcopi nequeant in singulis suae Dioecesis locis commorari, iam ab antiquis temporibus Sacerdotes, doctrina, pietate et prudentia praestantes, in pagis vel oppidis constituebantur, quibus partem aliquam propriae sollicitudinis Episcopi committebant. Origo eiusmodi Vicariorum refertur ad *Chorepiscopos,* qui quidem ex institutione erant simplices Presbyteri, quamvis aliquando in officium Chorepiscoporum assumpti fuerint aliqui charactere Episcopali decorati (Cf. quoad hoc argumentum Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. III, cap. III, n. V, sq.).

455. Cum *Chorepiscopi* auctoritate sibi collata abuterentur, eamque extenderent ita, ut in omnibus se Episcopis aequarent, praecipientibus Ecclesiae legibus, medio circiter saeculo X, *Chorepiscoporum ordo prorsus extinctus est.*

456. Extinctis *Chorepiscopis,* sollicitudo lustrandi rusticanas Parochias, praesidendi parvis oppidis, corrigendi ac puniendi in his

degentes Clericos, quae competebat Chorepiscopis, translata est in *Archipresbyteros, Archidiaconos, et Decanos rurales,* qui proinde non erant, nisi *Vicarii rurales* seu *foranei* Episcoporum.

457. Tandem *Archipresbyteris, Archidiaconis, et Decanis,* successere hodierni *Vicarii Foranei,* ita dicti quia foris, scilicet extra civitatem episcopalem constituuntur, quorum tamen potestas valde limitata est, ita ut vi officii et mandati generalis iurisdictionem forensem amiserint, et solummodo *exerceant vigilantiam circa vitam et mores Clericorum, et legum ecclesiasticarum observantiam.*

Advertendum est, qui Vicarii foranei alicubi, praesertim in Italia, vocantur, in aliis regionibus adhuc retinere appellationem *Decanorum (ruralium).*

458. *Officia Vicariorum Foraneorum* describuntur a Concilio Romano, sub praesidentia Benedicti XIII celebrato anno 1725, his verbis:

De clericorum et laicorum vita ac moribus, et quomodo Parochi, aliique animarum Rectores in pastorali officio se gerant, diligenter inquirant, et in laternis scrutentur, ad Episcopos fideliter delaturi; num clerus et populus, ut decet, vivant; num proprius in ecclesia cultus adhibeatur: num supellex sacra praecipue debito nitore conservetur, et visitationum decreta suae sint executioni mandata (Tit. VI, cap. II).

459. Quia munus Vicarii Foranei iure communi adnexum non est alicui Beneficio, consequitur, Episcopum posse eligere Vicarium Foraneum, qui non sit Parochus (Cf. Bened. XIV, loc. cit. n. X).

460. Quoad *praeeminentias,* saepe S. Congregatio Rituum declaravit: Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis *nullam praeeminentiam* aut *praerogativam* in sessionibus, Processionibus sacerdotalibus, competere, nisi tantum in Congregationibus, quae singulis mensibus de mandato Episcopi fiunt, in quibus *Vicarius Foraneus* tamquam *Episcopi delegatus* intervenire solet.

461. Item Vicariis Foraneis nulla competit praecedentia *supra Parochos,* non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili (S. R. C. die 16 Iun. 1663; 4. Aug. 1663; 26 Apr. 1692. N. 1261; 1272; 1872).

Novissime, eadem dispositio indirecte confirmata est a laudata S. Congregatione Rituum in causa *Gnesnen.* et *Posnanien.*, in qua exponebatur, quod in quadam Institutione a RR. DD. Decanis utriusque Archidioecesis praescripta, assignabatur *Decano primus inter clerum decanalem locus.* Tunc quidam Parochus, iura sua tuendi causa, ut ait, permotus, a S. R. Congregatione petiit:

An talis instructio *licite* vel *valide* praescribi possit?

Et S. Congregatio die 11 Dec. 1903 respondit: *Affirmative ad utramque partem.* Ratio redditur ab ipso Archiepiscopo Sacram Congregationem de re informante, qui declaravit « mentem et sensum praefatae dispositionis minime opponi *(ut Parochus arbitrabatur)* decretis S. Congregationis, quia agitur de praecedentia non in choro, capitulo et sacris functionibus, sed in Congregationibus cleri et in officiis Ordinarium spectantibus, a quo Decani sunt specialiter delegati iuxta vigentem et communiter receptam consuetudinem ».

CAPUT IV.

De Parochis.

§ I. *Parochus quoad electionem, possessionem et iurisdictionem.*

462. Praeter Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, alii adsunt minoris Ordinis Sacerdotes in pastoralis ministerii partem vocati, nempe *Parochi,* qui vere atque proprie adiutores et cooperatores Episcoporum dicuntur, quorum proinde munus, utpote nobile et sanctum, maxima aestimatione dignum est (*Synodus Camerinensis,* pag. 223).

463. Parochus *quoad aetatem.* Nemo ad dignitates quascumque, *quibus animarum cura subest,* promoveatur, nisi qui saltem 25 suae aetatis annum *attigerit,* et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur (Conc. Trid. sess. 24, cap. 12 de Ref.).

464. Ex praxi parochialis ecclesia conferri potest sine ulla dispensatione, etiam prima Tonsura tantum initiato, *si intra annum,* obtentis dispensationibus pro temporum interstitiis, promoveri possit ad Presbyteratum (Vid. Giraldi, tom. III, pag. 66, sect. 102).

465. Parochus eligi et institui debet ad praescriptum Concilii Tridentini *sess.* 24, *de Ref.* cap. 18, et Constit. S. Pii V, incip. *In conferendis beneficiis:* videlicet per *examen et concursum* coram Episcopo vel eius Vicario Generali, et saltem tribus Examinatoribus Synodalibus (Vid. Ferraris, verb. *Parochus,* art. I, n. 13).

466. Quum novus Parochus *ad possessionem* admittitur, servandum est decretum Concilii Tridentini *sess.* 24, *cap.* 12, *de Ref.,* nempe quod « provisi de Beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur *a die adeptae possessionis, ad minus intra duos menses,* in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali eius Vicario seu Officiali, *orthodoxae suae fidei publicam facere professionem* ». Professio autem fidei edenda est iuxta formulam a Pio IV et Pio IX statutam, quam exhibet Pontificale Romanum in ordine ad Synodum (S. C. C. die 21 Iulii 1855; Bened. XIV, *de Syn.* lib. V, cap. 2, n. 5).

467. Parochorum *iurisdictio,* etsi ab Episcopo pendeat, eique subiaceat, non est tamen delegata, sed *ordinaria;* ac ideo non potest, sine legitima causa, aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat (Bened. XIV, *de Syn.* lib. V, cap. 4, n. 3).

468. Verum Parochi non habent iurisdictionem ordinariam *in foro externo,* sed *interno tantum,* ac ideo non possunt ferre excommunicationem aliasque censuras (Cf. Giraldi, tom I, pag. 105, et tom. II, pag. 706).

469. *Parochi iurisdictio* ad universae Parochiae territorium extenditur, eaque indistincte exercetur supra fideles omnes, qui in eadem Parochia habitationem habent, sive Laici ii sint, sive Ecclesiastici (S. C. C. die 16 Sept. 1861, apud Adone, lib. II, n. 941).

470. Quod si domus aliqua in confinio duarum sit Parochiarum, ille habendus est Parochus, in cuius finibus extat *ianua principalis* domus familiae (S. C. C. die 6 Maii 1870).

471. In *locis Missionum* designatio seu nominatio facta a Praefectis ipsarum Missionum minime sufficit ad communicandam

iurisdictionem, seu institutionem *auctorizabilem* Missionariis, qui munere Parochorum fungi debent, sed tenentur eamdem recipere *ab Ordinariis locorum,* in quibus id muneris est exercendum (S. C. *de Prop. Fid.* die 11 Dec. 1839; *Collect.* eiusd. S. C. pag. 75, n. 196, ad 2^m^).

472. At Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum ita designatos non possunt antea examini subiicere. Semel autem admissos ad animarum curam exercendam, possunt quidem Vicarii Apostolici removere et etiam eorum facultates in Sacramentorum administratione, *sed nonnisi ex gravi et urgenti causa, statim S. Congregationi* communicanda (Ead. S. C. ibid.).

§ II. *Parochus quoad residentiam.*

473. Parochi *tenentur sub gravi ad residentiam* in propria Parochia, ut colligitur ex Tridentino sess. 23 de Ref. cap. 1. Etiam Parochus parochialis ecclesiae *de iure patronatus laicorum,* tenetur residere ad formam Concilii, non obstante, quod habeat suos Coadiutores pro animarum cura exercenda (S. C. C. die 19 Maii 1708).

474. Parochus *compellendus est ad residentiam* in Ecclesia propria, nec permittendus est residere in civitate eidem Ecclesiae propinqua, etiamsi maior pars Parochianorum degat propinquius civitati, quam ipsi Ecclesiae (S. C. C. ann. 1587).

Parochus civitatis non dicitur residere, *ad effectum perceptionis fructuum,* residendo in suburbiis a civitate parum distantibus, si suburbia non sint intra limites Parochiae (S. C. Conc. die 3 Iul. 1650).

475. Parochus non habens aedes in propria Parochia, et ob modicitatem fructuum non valens eam aedificare, debet conducere aliquam intra limites Parochiae in loco propinquiori, donec possit adamussim residentiam, modo a Concilio praescripto, complere (S. C. C. die 3 Iun. 1592, et 16 Iun. 1607).

476. Parochus habens *duas Parochiales,* unam in oppido, alteram in villa, si harum altera sit *accessorie* unita, debet residere in ea, cui facta est unio: si *aeque principaliter* sint unitae,

debet residere in ea quae est sita in oppido, et non in villa (S. C. C. 1592).

477. Verum quoad hanc unionis speciem, quae *aeque principalis* dicitur, perpendi debent casuum rerumque adiuncta: siquidem contingere potest, ut pro diversis Ecclesiarum circumstantiis Parochus residere teneatur *alternatim* in utraque. Hinc ad quaesitum: An Parochus teneatur residere in ecclesia... (S. Sabini); seu potius in alterutra ecclesia unita morari valeat in casu? S. Congregatio Concilii die 26 Nov. 1864 respondit:

Pro nunc teneri ad residentiam in domo parochiali ecclesiae... (S. Sabini); cum autem per Parochianos alterius ecclesiae... aedificata fuerit congrua domus prope ecclesiam, tunc alternatim... (Vid. *Acta S. Sed.* vol. II, pag. 285-296).

478. Quantum residentiae lex Pastores animarum urgeat, dignosci potest ex sequentibus decretis S. Congregationis Concilii, quae referuntur ab Auctoribus, praesertim ab Aloysio Adone *Synopsis Canonico-Liturgica,* lib. II, cap. V. *de Parochis,* pag. 249; *Acta S. Sed.* vol. II., pag. 285-295; Ferraris, verb. *Parochus* art. II.

479. 1. Parochus *non in domo paterna,* sed in domo parochiali habitare debet. In *Tyburtina,* licet fatiscentes Parochiales aedes dereliquisset Parochus, tamen proposito dubio: An Parocho Ioanni Baptistae Ciucci liceat habitare in domo paterna in casu? S. C. rescripsit: *Negative iuxta modum: nempe praefigatur ab Episcopo congruus terminus Parocho ad restaurandam domum Parochialem, quo elapso, in ea habitare teneatur* (29 Iul. 1786; et 1755).

2. *Saeviente licet peste,* non potest Parochus a designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiat (Bened. XIV, *de Syn.* lib. XIII, cap. 19, n. 2; S. C. C. 9 Nov. 1630).

3. Parochus non excusatur a residentia *ob aëris intemperiem* vel *insalubritatem* (S. C. C. 4 Aug. 1646).

4. Anno 1573 Episcopus Rhegiensis, inter cetera sciscitatus est: Si aër in loco Curiae adeo sit insalubris, ut sine vitae periculo nemo habitare in eo possit, nisi indigena eiusdem loci sit, possetne Rector alibi habitare?

S. C. censuit: *Non posse.* — Si tamen Rector infirmus esset et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in Parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus eiusdem Parochialis (Apud *Acta S. Sed.* cit. vol. II, pag. 294 in nota).

5. Item non excusatur a residentia personali *ob aetatem senilem,* malamque valetudinem (Die 6 Aug. 1647; Bened. *Instit.* XVII, n. 10).

480. Parochus ut residentiae legem impleat, satis non est, *si corpore solum intersit,* in desidia tamen versetur, vel tantum leviora munera sibi desumat, reliqua vero ministris committat. Residentiam quippe *non cum inertia, sed cum laboribus* coniungendam esse Tridentina Synodus iubet (Bened. XIV, *Instit.* XVII, n. 6).

481. At Tridentinum concedit etiam Parochis, seu curam animarum habentibus, abesse ob honestam causam a propria Paroecia *duorum mensium spatio:* Ita tamen, inquit Tridentinum, ut quandocumque eos, *causa prius per Episcopum cognita et probata,* abesse contigerit, *Vicarium idoneum,* ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant (cit. cap. I, sess. 23).

482. *Duae ergo conditiones observari omnino debent a Parocho discessuro:* 1° ut causa discessus ab Episcopo cognoscatur et approbetur; 2° ut Vicarius idoneus ab ipso Ordinario approbandus cum debita mercedis assignatione relinquatur. Hinc S. Congregatio Concilii pluries declaravit, Parochum abesse non posse a residentia sine licentia Episcopi; nec sufficere eiusdem licentiam *tacitam,* ut licite abesse possit, sed requiri licentiam *expressam,* atque in scriptis ab eo obtentam (Vid. Decreta per extensum apud Bened. XIV, cit. *Instit.* XVII, n. 9 sq.; Fagn. lib. III, cap. *Relatum,* n. 15 sq. *de Clericis non residentibus*).

483. Sed quoniam evenire potest, ut quis *improvisa necessitate adductus,* discedendi veniam exposcere nequeat, vel etiam facultatem a suo Praeside consequi difficile sit, quamvis antea petita fuerit, et ea simul causa producta, quae probanda omnino videa-

tur, Sacra Congregatio decrevit, ut qui festinanter excessit, quamprimum poterit Episcopum de suo discessu certiorem faciat, et discedendi necessariam causam declaret (Bened. XIV, loc. cit. n. 11).

484. S. Congregatio censuit, non posse Parochos etiam per duos menses, immo nec per hebdomadam abesse absque licentia Episcopi. At non semel eadem S. Congregatio permisit, ut *in casibus repentinis* pro absentia modici temporis sufficeret licentia Vicarii Foranei (Bened. XIV, ibid. 12; Fagn. loc. cit. n. 32 et 42).

485. Exceptis tamen repentinis casibus, non licet Parocho abesse absque expressa Episcopi sive eius Vicarii generalis licentia *ultra biduum,* ut etiam declaravit Benedictus XIII in Conc. Romano, tit. XVII cap. VI (Vid. Giraldi tom. III, pag. 934; imo tot. sect. 87).

486. Non est liber a culpa et a poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgenti admodum causa ad curandam suam valetudinem morbo gravi instante recessit, et ad huiusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam. Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam iuxta formam eiusdem Concilii, sess. 23, cap. I, (S. C. C. die 7 Oct. 1604; Bened. XIV, ibid. n. 11).

487. Parochus non potest a sua residentia abesse *propter exiguum animarum numerum,* cui vicinus Parochus supplere potest, ut sancivit S. Congregatio die 3 Oct. 1671. Imo voluit, quod teneantur residere, etiamsi essent in Parochia tres tantum vel quatuor incolae. Nec Parochi, urbis vicinitate illecti, maiorem anni partem in illa possunt traducere, quamvis Sacerdos subrogaretur, qui, si forte aliquid contingeret, praesto esset, suamque operam impenderet. Ita respondit S. Congregatio die 16 Ian. 1638, atque iterum die 24 Maii 1670 (Loc. cit.).

488. Rectores ecclesiarum parochialium a civitate distantium per duo, tria aut quatuor milliaria circiter, non possunt *sine expressa Episcopi licentia* iugiter commorari in civitate, tam diurno, quam nocturno tempore, relicto etiam in dictis Parochialibus idoneo Substituto, et licet in diebus festis ad proprias ecclesias se conferant, statim vero ad civitatem revertantur.

489. Item non licet Parocho, qui nocturno tempore in propria residet Parochia, celebrata ibidem Missa, *civitatem petere, ibique commorari* vel tota vel maiori saltem anni parte, relicto etiam apud suam Parochialem Substituto.

Nec e contrario potest Parochus *nocturno tempore Parochiam relinquere* pro tota vel maiore anni parte, relicto Substituto, licet in ea diuturno tempore commoretur. — Quae tria capita declaravit S. Congregatio Concilii respondendo ad Episcopum *Fulginaten.* die 10 Maii 1687 (Vid. Bened. XIV, cit. *Instit.* XVII, n. 18; Giraldi, tom. I, pag. 247, et tom. III, pag. 934 sq.).

Dubia quaedam super residentia quoad Canonicos et Coadiutores Parochorum.

490. I. An Canonici seu Dignitates obtinentes Parochiales *in titulum,* distantes a Cathedrali per dimidiam leucam, seu leucam, debeant cogi ad residendum in ipsis Parochialibus, an vero sufficiat, ut diebus festivis accedant ad Parochiales, ibique Sacramenta ministrent?

S. C. C. die 6 Nov. 1620 censuit, *cogendos esse ad residentiam.*

II. Utrum *Coadiutores omnes* quomodocumque sint Capellaniae institutae, teneantur ad residentiam personalem eadem lege Concilii *sess.* 23, *cap. I. de Ref.,* qua Rectores ipsi Parochialium tenentur?

S. C. sub die 6 Nov. 1620 in *Brixien.* respondit: *teneri* (Decr. eod.).

III. An saltem ab ea lege excipiantur ii, qui *ex institutione* possunt per alium servire? Resp. *hosce dumtaxat excipi* (Decr. eod.).

IV. Utrum Episcopus teneatur cogere ad residentiam illos etiam *Coadiutores,* quibus nulla expressa personalis residentiae obligatio iniuncta est?

Resp. *teneri cogere hos, sicut ipsos ecclesiae Rectores* (Decr. eodem).

V. Utrum possit Episcopus cum aliquo ex his *Coadiutoribus* dispensare super residentia?

Resp. *non posse, prout nec cum Rectoribus ipsis potest* (Decr. eod.).

VI. Utrum illi qui ad Beneficia huiusmodi proponuntur admittendi, sint eodem iure examinandi, quo Rectores iubentur ad Parochiales ecclesias ipsas obtinendas ex cap. 18, sess. 24?

Resp. *ita esse examinandos* (Decr. eod.).

VII. Utrum Canonici Cathedralis, vel aliarum ecclesiarum, qui et Beneficia *huiusmodi onus coadiuvandi annexum habentia obtinent,* teneantur, et similiter cogi debeant per Episcopum ad personaliter deserviendum in Beneficiis praedictis, dimisso servitio eisdem Canonicis ratione Canonicatuum et Praebendarum in ecclesiis praedictis imminente, prout in Constit. f. r. Pii V super residentia in Parochiali?

Resp. *ita esse cogendos* (Decr. eod.). (Vid. *Giraldi,* tom. III, pag. 934 sq.).

491. *Ex Concilio Tridentino sess.* 23, cap. I, *de Ref.* Parochi illegitime absentes: 1° reatum peccati mortalis incurrunt; 2° pro rata temporis absentiae fructus suos non faciunt; 3° alia etiam declaratione non secuta, non possunt praedicti Parochi, (aliique Clerici habentes beneficium, cui adnexa est cura animarum) tuta conscientia sibi eosdem fructus retinere; 4° tenentur huiusmodi fructus pro rata non factae residentiae amissos, fabricae ecclesiae aut pauperibus erogare, *prohibita quacumque conventione vel compositione;* 5° quod si Parochi aliique Clerici curam animarum habentes persistant in absentia, nec citati redierint, possunt ab Episcopo compelli ad residentiam censuris ecclesiasticis, sequestratione, ac subtractione fructuum, aliisque iuris remediis, etiam usque ad poenam privationis beneficii.

492. Quoad *modum* procedendi ad enunciatas poenas, non est necessarium, iuxta communiorem Doctorum sententiam, quae videtur *verior,* ut Episcopus ad frangendam contumaciam Parochi illegitime absentis, prius procedat per alias poenas, nempe per ecclesiasticas censuras, et per sequestrationem ac subtractionem fructuum, sed liberum est Episcopo, praetermisso gradu illarum poenarum, ad privationem beneficii devenire. Et revera in cit. cap. I. Trid. sess. 23, Sancta Synodus *liberum esse vult Ordinariis* per censuras ecclesiasticas etc... procedere, quin praecipiat servare ordinem poenarum ibi designatum. Unde S. Congregatio eiusdem Con-

cilii ad dubium: *An sit ad arbitrium Episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione et subtractione fructuum, vel privatione?*

S. C. respondit: *ita esse* (Apud Fagn. lib. 3, cap. *Ex tuae,* de Cleric. non resid. n. 18; Ferraris, verb. *Parochus,* art. II, n. 55; et vid. *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 682).

493. Advertendum tamen, ad legitimam Parochiae privationem ob non residentiam, requiri vel unam citationem personalem, vel tres in Ecclesia per edictum, ita tamen, ut a die ultima sex menses expectari debeant (Vid. *Acta S. Sed.* loc. cit.; Santi, lib. III, tit. IV, n. 57).

§ III. *Parochus quoad praedicationem Evangelii.*

494. Parochi et quicumque animarum curam habent, diebus *saltem Dominicis et festis solemnibus* plebes sibi commissas *pro sua et earum capacitate* pascere tenentur salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis *cum brevitate et facilitate sermonis* vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat: ut poenam aeternam evadere, et caelestem gloriam consequi valeant (Conc. Trid. sess. V, cap. II, de Ref.; et sess. 24, cap. 4, de Ref.).

495. Concio opus non est ut sit perpolita et elaborata ad formam, qua communiter utuntur Concionatores, sed *satis est, ut Parochi etsi formaliter non praedicent, saltem Dominicis et Festis diebus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Ita S. C. C. in responso ad Episcopum Melitensem, relato a cl. Giraldi, tom. III, pag. 816, sect. VIII.

496. Concio potissimum habenda est *inter Missarum solemnia,* aliquid exponendo ex iis quae leguntur in Missa, atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarando, iuxta praescriptum Tridentini sess. 22, cap. 8 de Ref.

497. Parochi a praedicto munere praedicationis *se eximere aut excusare haud possunt,* vel quia nullo unquam tempore id praestandi consuetudo extiterit; vel quia satis superque provisum sit per publicos annuales Concionatores; vel tandem quia exiguus

sit suarum plebium numerus. Huiusmodi enim excusationes reprobatae sunt a Summo Pontifice Innocentio XIII in Const. *Apostolici Ministerii,* 13 Maii 1723, confirmata a Benedicto XIII. Const. *In supremo maiestatis,* 13 Sept. 1724 (Vid. Giraldi, tom. III, pag. 816; *Acta S. Sed.* vol. IX, pag. 465-468).

498. 1° Utrum *consuetudo* non praedicandi (non quidem in diebus Dominicis) in diebus *festis de praecepto* infra hebdomadam occurrentibus sit toleranda? et quatenus negative:

2° Utrum praecipi possit ac debeat Parochis, ut ceteris quoque diebus festis de praecepto infra hebdomadam occurrentibus, eadem ratione ac Dominicis diebus praedicationis officio incumbant; et quatenus affirmative:

3° Utrum liceat nonnullos excipere solemniores dies, quibus facultas sit Parochis abstinendi a praedicationis officio?

S. C. C. die 1 Apr. 1876 respondit: *Tenentur Parochi diebus Dominicis et Festis de praecepto Populo sermonem habere iuxta Conc. Trid. praescriptionem, attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus.*

499. Itaque ubi ab Episcopo moniti *trium mensium spatio* (etsi menses sint discontinuati) muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Ita Tridentinum, sess. V, cap. II, de Ref.

500. Quamvis ex praefato Tridentini decreto, praeter censuras, infligi etiam possint aliae poenae arbitrio Episcoporum, si tamen agatur de poena *pecuniaria,* huiusmodi arbitrium indecens esse respondit S. Congregatio Concilii die 15 Iunii 1658 Episcopo Novariensi, qui in suis Synodalibus Constitutionibus putavit sibi licuisse pecunia mulctare Parochos citato Tridentini decreto contravenientes (Vid. Bened. XIV, de Syn. dioec. lib. X, cap. 9, n. 8).

501. Compelli nequeunt Parochiani *ad praestandam eleemosynam Parocho concionanti in propria ecclesia,* cum ad id ex officio teneatur. Imo Parochus praedicans in propria ecclesia, non

potest exigere consuetam eleemosynam a Communitate praestandam Concionatori. Ex gratia tamen S. Congregatio concessit iam exactam non esse restituendam (S. C. C. ann. 1591; 1640; et pluries; apud Adone, lib. II, n. 966; Ferraris, verb. *Parochus,* art. II. n. 77).

502. Parochus tenetur diebus festivis in actu celebrationis Missae parochialis *ad Evangelii explicationem,* etiam in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae habentur conciones per praecones ab Ordinario approbatos, *non obstante contraria consuetudine* (S. C. C. die 15 Maii 1865; Adone, loc. cit. n. 967).

503. Inter Missam parochialem, *Substitutus vel alius Sacerdos* Evangelium explicare diebus festivis non debet, quia hoc munus est Parochi (S. C. C. 10 Febr. 1781; loc. cit. n. 969).

504. Parochus in *propria ecclesia* potest habere sermonem ad populum inter Missarum solemnia, *etiam quando Episcopus eo tempore praedicat,* quod quidem, etiam in propriis ecclesiis, ceteris Sacerdotibus non licet (S. C. C. die 1 Iun. 1631; ibid. n. 970).

505. Tenentur quidem Parochi diebus Dominicis et Festis de praecepto populo sermonem habere, iuxta Concilii Tridentini praescriptionem: attamen *erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus* (S. C. C. die 1 Apr. 1876; loc. cit. n. 961; *Acta S. Sed.* vol. IX, pag. 468).

§ IV. *Parochus quoad Catechismum.*

506. Duo potissimum onera a Tridentino Synodo Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant: alterum, ut *pueros et rudiores quosque* divinae legis fideique rudimentis informent (Bened. XIV, Const. *Etsi minime,* 7 Febr. 1742, § 5).

507. De primo, nempe de praedicatione, diximus, modo de secundo, scilicet de *Catechismo,* nonnulla subnectimus. *Iidem etiam,* ita Tridentinum sess. 24, cap. 4 (nempe Episcopi), *saltem Dominicis et aliis Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et, si opus sit, etiam per*

censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus.

508. Hoc Concilii Tridentini decretum ampliatum est a Benedicto XIV cit. Constitutione *Etsi minime,* § 14, praescribente, quod Episcopus in ecclesiis *ruralibus,* etiam non parochialibus, *longe a Parochiali sepositis,* decernat, gravibus etiam statutis poenis, ut Sacerdotes ibi operantes christianae doctrinae summam populo tradant, divinamque legem annuncient. Quoad vero parvas ecclesias *Parochiali proximas* expressa lege cavendum vult Pontifex, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto, ait laudatus Pontifex, ecclesia parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur.

509. Relate ad actus *fidei, spei et charitatis* a Christifidelibus eliciendos, praefatus Pontifex, § 18 cit. Const. haec addit: « Episcopus suae non minus, quam alienae salutis studiosus provide statuat, ut in Parochiis, tum urbis, tum dioecesis, Rectores animarum post Missam festo die celebratam, statim ante aram provoluti clara et intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, et praeire satagant populo verba ab ipsis prolata devote reddituro ».

510. Parochi, quibus incumbit principaliter cura animarum, quamvis adsint alii Sacerdotes ad eos adiuvandos, vel certis diebus curam exercendam, tenentur praedicare et explicare Catechismum *per seipsos* omnibus diebus festis, *nisi sint legitime impediti* (Decr. 28 Apr. 1736); quo casu tenentur per Substitutum, diebus a Concilio Tridentino statutis (Decr. 26 Maii 1639).

511. Episcopus autem generaliter loquendo Sacerdotes animarum curae minime addictos, ad christianam doctrinam docendam adstringere nequit, et stet Constitutioni Benedicti XIV, *Etsi minime* (S. C. C. die 15 Iul. 1881; Adone, cit. lib. II, n. 972).

512. *Reprobatur consuetudo intermittendi* a Parochis *per aliquot menses* Catechismi instructionem, ex eo quod, occasione messis, vindemiae etc. nulli vel fere nulli eo tempore ad ipsum addiscendum accedant: quatenus vero frequentiae defectus horae intempestivae, qua Catechesis habetur, sit tribuendus, alia magis commoda hora poterit ab Episcopo assignari (S. C. C. die 8 Aug. 1744; loc. cit. n. 975).

513. Parochus seu Sacerdos excipiens Confessiones, fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias *necessitate medii* impertitur, nec posse homines per huiusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem fidei educantur (Bened. XIV, Const. *Etsi minime,* § 12).

514. A Summis Pontificibus speciales Indulgentiae concessae sunt docentibus Doctrinam christianam, vel eidem interessentibus pro eadem addiscenda, quos vide penes opus authenticum, cui titulus *Raccolta,* pag. 558, edit. 1898; et cf. etiam nostra *Collectio Indulgentiarum,* n. 357 et 2180.

515. Quae diximus de homilia seu praedicatione Evangelii et catechismo pro pueris et puellis iam parata erant pro impressione, quando apparuerunt Litterae Encyclicae Summi Pontificis Pii X diei 15 Aprilis 1905, datae ad sacros universi catholici orbis antistites: *De Christiana doctrina tradenda.*

In huiusmodi documento Apostolico summopere conqueritur Pontifex, quod aetate hac nostra sint quamplurimi in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quae ad salutem aeternam nosse oportet... Quum vero, prosequitur Pontifex, christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepenumero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt; sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianae fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit, quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi nec de-

ponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quae fovendae maxime caritati in Deum impendendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret, ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam aeternitatis viam securo animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur.*

Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, (Episcopos alloquitur) quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio?

Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curae nobis quam quod maxime esse oportet, ut Doctrinae sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum (1) vigeat semper aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacra-

(1) Constit. *Etsi minime,* 13.

menta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue, ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae.

Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae

sapientiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei* (1), Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi* (2), loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis* (3). Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, praestitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana, et capabilia non summa atque ardua praedicare* (4). Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, numquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

Iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, iungatur mihi* (5). Advertite, rogamus quaesumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen,

---

(1) II. Cor., I, 12.
(2) Matth., XIII, 35.
(3) Matth., XIII, 34.
(4) *Moral.*, l. XVII, cap. 26.
(5) *Exod.*, XXXII, 26.

prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianae notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque,* Petri apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei* (1).

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine Immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica Benedictio, quam, testem caritatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV Aprilis MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

§ V. *Parochus quoad applicationem Missae pro populo.*

516. Sacrosanctum Missae Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id veluti *ex divino praecepto* descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur sess. 23, cap. I de Ref., per haec notabilia verba: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre...* (Bened. XIV, Constit. *Cum semper oblatas,* 19 Aug. 1744, § 2).

517. Sacra Congregatio, eiusdem Concilii interpretationi *privative* praeposita, constanter edixit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam *fructum medium* pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, *aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse* (Loc. cit.).

518. Quod si Parochi *sint pauperes, ut ferme ex eleemosynis,* quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, *vivere cogantur,* tunc cuilibet Episcopo facultas concessa est dispensandi ad hoc, ut huiusmodi Parochi *egentes,* diebus festis *eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare,*

(1) I Petr., IV, 10.

quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint (Bened. XIV, loc. cit. § 8).

519. Sicuti pluries a Sacris Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, omnes et singuli, qui *actu animarum curam exercent,* et non solum Parochi aut *Vicarii Saeculares,* verum etiam Parochi aut *Vicarii Regulares,* atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, aeque tenentur Missam parochialem applicare pro populo ipsorum curae commisso (Constit. cit. § 4).

520. Licet Parochi seu alii, animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, *et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine* in ipsorum Dioecesibus seu Parochiis obtinuerint, ut Missa pro populo non applicaretur; eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari (Ita Benedictus XIV, cit. Const. § 5).

521. Parochi, aliique omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missae Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debent, tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia *ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt,* quemadmodum ipsi animarum Curatores debebant, dum Urbani VIII Constitutio *Universa* in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur ac transferrentur (Pius IX, Const. *Amantissimi,* die 3 Maii 1858; et vid. etiam Bened. XIV, cit. Const. § 7).

Parochus tenetur Missam pro populo applicare in solemnitate Festorum *translata* (N. 3890, dub. I qu. 2).

522. Excepto casu *verae necessitatis,* et concurrente causa canonica, *Parochi ipsi* S. Missae Sacrificium pro populo offerre debent, quin possint per alium Presbyterum huic oneri satisfacere, nec contraria consuetudo est attendenda (S. C. C. die 25 Sept. 1847; *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 186).

523. Eadem S. Congregatio die 14 Dec. 1872 declaravit: *a) Parochum die festo a sua Paroecia legitime absentem, satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius Sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. b) Parochum vero utcumque legitime impeditum ne Missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo applicare debere* (Apud *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 191).

524. Collige: Parochum *legitime absentem* posse quidem Missam applicare pro suo populo in loco, ubi degit, sed cum absentia impediat *alia pastoralia munera* diebus festis populo debita, una satisfacta obligatione, ab aliis obligationibus non esse solutum. Quare Parochus legitime absens tenetur per alium ita suo populo consulere, ut et Missa parochialis non desit ad necessariam populi commoditatem, neque *verbi Dei explicatio, quemadmodum cetera munera populo necessaria* (Cf. *Acta S. Sed.* cit. vol. pag. 184-193).

525. Quoniam Parochus *legitime absens,* ut *plene* satisfaciat suae obligationi, tenetur ad necessariam populi commoditatem alium substituere Sacerdotem, qui celebret, dubitari potest, *an possit dictus Parochus committere huic alteri Sacerdoti, sine alia causa, applicationem?* Et respondetur: *Affirmative;* quod constat ex resolutione S. Congregationis in *Comen.* 11 Maii 1720 ad dubium: An occurrente, quod Archipresbyter Parochus celebret Missam Conventualem *vel alias legitime absit,* seu *sit impeditus* tam in diebus festivis, quam ferialibus Quadragesimae, teneatur celebrare facere per alium Missam parochialem pro populo?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, sed cum applicatione diebus festis tantum* (*Acta S. Sed.* loc. cit. pag. 189 et 192 in nota).

526. Ex allegatis resolutionibus infertur:

1° Parochum *legitime absentem* posse dupliciter se gerere quoad Missam pro populo; nempe vel eam ipsum Parochum applicare in loco ubi degit, vel committere applicationem cum ceteris muniis Parochialibus Sacerdoti subrogato.

2° Obligationem celebrandi et applicandi Missam pro populo esse *personalem,* quatenus Parochi ipsi, *si legitima causa non impediantur,* sanctae Missae Sacrificium pro populo offerre debent; et esse etiam *realem,* quatenus persona Parochi *legitime impedita,* obligatio non cessat. Unde si per se, etsi legitime impeditum, aut per alium applicationem omiserit, tenetur Missas quot omiserit quamprimum applicare.

3° Parochum *non legitime impeditum,* debere per se celebrare Missam pro populo *in sua parochiali ecclesia.* Pluries enim declaratum est: *Missam in propria ecclesia, et non in alia celebrare debet Parochus, quacumque consuetudine contraria non obstante* (S. C. C. 15 Sept. 1629; apud Barbosam in Summa Apost. Decis. verbo *Parochus quoad Missam*; Ferraris, verbo *Parochus,* art. III, n. 1).

527. In *Camberien.* Sacrae Rituum Congregationi dubium sequens propositum fuit solvendum:

In Dioecesibus Sabaudiae opportunum visum est, ut illa Missa diebus Dominicis et Festivis applicetur pro populo, *cui populus ipse adstare consuevit;* et idcirco haec applicatio fit a Vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Hinc quaeritur:

I. *An eiusmodi usus servari et retineri possit?*

II. *An potius applicatio fieri semper debeat a Parocho, etiam privatim celebrante?*

Et S. C. die 20 Dec. 1864 respondit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative, iuxta alias decreta* (Decr. auth. N. 3128).

528. Nihilominus ab eadem S. R. C. declaratum est, Parochum posse vel per se vel *per alium* pro populo applicare, quando agitur *de Missa solemni,* quae tamen non requiritur, ut cum cantu celebretur. Debet vero per se celebrare si agitur de *Missa privata,* accedente tamen iusta et legitima causa seu nisi sit legitime impeditus, quo casu alteri Sacerdoti debet celebrationem committere (Die 27 Febr. 1847, et die 22 Iul. 1848. N. 2939 ad 4. et 2967).

529. Parochi *Ecclesiarum Cathedralium aliarumque Collegiatarum* tenentur *per seipsos* applicare diebus festis Missam pro

populo, nec possunt per Beneficiatos, aliosque Sacerdotes praedicto oneri satisfacere (S. C. C. die 18 Iul. 1789; *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 186: Adone, lib. III, n. 1435).

530. Canonicus *Cathedralis, animarum curam gerens,* tenetur per se ad applicationem Missae pro populo, iis etiam diebus, *in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in Cathedrali; per alium* vero iis Festis, in quibus *uti Canonicus, canere et applicare debet Missam Conventualem pro Benefactoribus* (S. C. C. die 24 Aug. 1867; et vid. Const. Bened. XIV, *Cum semper oblatas,* § 17).

531. Quando in paroeciali ecclesia adsunt Presbyteri, quorum munus sit *ex lege fundationis* seu *legitimo titulo coadiuvandi Parochum* in *cura animarum,* si vicissim cum Parocho Missam pro populo applicare *consueverint, eiusmodi consuetudinem* admisit S. Congregatio in *Spoletana* die 14 Maii 1831; item in *Ripana,* 15 Dec. 1725; in *Verulana,* 12 Dec. 1829 (*Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 187).

532. Item si cura animarum insit alicui Capitulo, ut saepe contingit, *quae per Vicarium exerceatur,* atque Canonici per turnum Missam pro populo applicare consueverint, *eiusmodo consuetudo* servanda est, ut in *Camerinen.* die 16 Dec. 1820 (Loc. cit.; Adone lib. III, n. 1449).

533. Parochi in Dominicis aliisque diebus Festis nequeunt, *praesente cadavere,* celebrare Missam pro defuncto, et ad aliam transferre Missam pro populo applicandam; neque applicationi diem Missae *pro populo* supplere possunt per alium Sacerdotem in casu. Ita declaravit S. C. C. in *Fesulana,* die 16 Iunii 1770, et 26 Ian. 1771 (Vid. *Acta S. Sed.* vol. VII, pag. 186).

534. Parochi, qui duabus parochialibus ecclesiis *unitis* praesunt, debent Dominicis aliisque diebus Festis Missam *in unaquaque ecclesia, sive per se, sive per alium,* applicare pro populo; *exceptis tantum Parochiis unitis unione plenaria et extinctiva,* quae scilicet invicem adeo unitae et coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit (S. C. C. die 12 Mart. 1774; apud *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 9, et vol. V, pag. 134 sq.).

535. Parochus, *duas habens Parochias*, qui ob rationabilem causam non potuit die Dominica vel Festo secundam Missam celebrare, *tenetur per hebdomadam* applicare Missam *suae secundae Parochiae*. Idem dicendum de diebus Festis *suppressis*, in quibus Parochus binam Missam celebrandi non habet facultatem (S. C. C. die 18 Iun. 1873).

536. Si una eademque Parochia duos habeat Rectores, qui animarum curam per separatas regiones exercent, *unica applicanda est Missa pro populo* (S. C. C. die 16 Iul. 1791).

537. Iis etiam, qui animarum curam exercent *nomine alieno*, onus incumbit Missas pro populo applicandi: *retributionem tamen habere debent* a Parocho titulari, si in redituum assignatione huiusmodi onus consideratum non fuerit (S. C. C. die 4 Sept. 1869).

538. Parochus, qui sit *Vicesgerens Episcopi in officio parochiali*, licet ab Episcopo eligatur et nominetur absque concursu, neque sit Vicarius perpetuus, sed tantummodo temporalis et ad nutum amovibilis, cum omnis cura actualis, omneque iurium et officiorum parochialium exercitium penes Parochum supradictum resideat, ad applicandam Missam pro populo tenetur (S. C. C. die 24 Aug. 1878; Adone, lib. III, n. 1447: Collectan. S. C. de Prop. Fid. pag. 79, n. 210).

539. Quod spectat ad *Vicarios* sive *Oeconomos* ecclesiarum vacantium, cum *a Sacro Tridentino Concilio sess. 24, cap. 18*, cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione*, Episcoporum erit cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudet, congruum aliquod augmentum praebeatur, pro onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus Festis (Bened. XIV, Const. *Cum semper oblatas*, § 9).

540. An *Oeconomus Curatus*, vacante paroecia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis Concilii Tridentini, *sess. 24, cap. 18*, possit alium Sacerdotem *delegare* ad omnia officia?

S. C. C. die 12 Sept. 1874 respondit: *Affirmative*, nisi obstet voluntas Ordinarii.

541. *Vicarii Apostolici* et *Missionarii,* qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, non tenentur indeterminatim *ex iustitia* Missam applicare pro populo diebus festis, dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes Episcopalis ac Paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad ea Vicarius Apostolicus et Missionarii missi sint, ut legitimorum Pastorum vices gerant. Illi vero qui *ex iustitia* non tenentur, decet ut *ex charitate* applicent; atque huiusmodi locutio adhibetur, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat (S. C. de Prop. Fid. die 23 Mart. 1863, et die 18 Aug. 1866, apud Collectan. eiusd. S. C. pag. 78, n. 205; Adone, lib. III, n. 1451).

542. Episcopus, *qui officium Parochi exercet,* per applicationem Missae pro omnibus fidelibus suae Dioecesis non satisfacit quoque obligationi, *qua tenetur tamquam Parochus.* Porro, si idem Episcopus non habeat Vicarium pro administranda illa Paroecia, *eumdem constituere debet;* et per illum debet quoque satisfacere obligationi Missae pro populo, animadvertens tamen, iuxta Constitutionem Benedicti XIV *Cum semper oblatas,* § 4, ut consideret *huiusmodi onus,* dum eidem congruam statuit (S. C. de Prop. Fid. die 23 Mart. 1863, loc. cit. n. 204).

543. Cum vero Episcopus *vices Parochi* in aliqua vacanti Cura implet, onus non habet Missam applicandi pro Paroecianis illis: nam hoc in casu satis erit ipsum diebus statutis Missam applicare pro suis dioecesanis, inter quos Paroecia comprehenditur, quam *per accidens* administrat (S. C. de Prop. Fid. 25 Sept. 1779, et 25 Sept. 1863; apud Collect. eiusd. S. C. pag. 74, n. 191, et pag. 78, n. 204; et vid. Adone, lib. III, loc. cit. n. 1465).

544. Pro regula generali habeas, ad applicationem Missae pro populo diebus Festis teneri dumtaxat, qui animarum curam *primariam,* non vero qui curam *subsidiariam* exercent (S. R. C. die 14 Iun. 1845. N. 2892).

§ VI. *Parochus quoad Missae binationem seu iterationem.*

545. Sine *speciali Apostolico Indulto* non licet Parocho eadem die iterare Missam ad consulendum Parochianorum commoditati,

non obstante contraria consuetudine, quam tenetur Episcopus tamquam abusum omnino eliminare (S. R. C. die 22 Maii 1841. N. 2827).

546. Hodie *unicus est casus necessitatis,* (excepta die Nativitatis Domini) in quo licet iteratio Missae, quando scilicet Parochus ministrat seu praeest *duabus ecclesiis Parochialibus,* valde dissitis, ut utrique populo diebus Festis satisfaciat pro implemento praecepti auditionis Missae, dummodo tamen post celebrationem primae ieiunium servet, *et non adsit aliquis Sacerdos,* qui in altera ecclesia eam celebrare possit (Bened. XIV, *De Sacrif. Missae,* lib. III, cap. V; *de Syn. dioec.* lib. VI, cap. 8, n. 2; Const. *Declarasti* ad Episcop. Oscensem, 16 Mart. 1746).

547. In supradicto casu, in quo scilicet Parochus duarum Parochiarum curam gerit, concors omnium opinio est, ipsum nedum posse, *sed plane teneri* bis eodem die Missam celebrare (Id. Pontif. *de Syn.* ibid).

548. An autem in hoc casu Parochus facultatem ab Episcopo obtinere debeat, est quaestio inter Doctores. Quidam enim eam expetendam affirmant, quidam negant, utpote a iure communi iam concessam. Sed haec componi potest controversia, subdit laudatus Pontifex, *de Sacrif. Miss. loc. cit. n.* 2, si animadvertamus, sive sit necessaria Episcopi licentia, sive non, id certe necessarium esse, *ut ille rem cognoscat, ac perspiciat, num revera necessitas urgeat, ut Sacerdos duas Missas cogatur celebrare:* « nonnumquam enim accidit, ut cum non alium esse Sacerdotem existimaretur, qui in alterutra Parochia celebraret, tamen repertus sit ».

549. Praeter expositum, alii sunt casus *similes,* qui eodem iure censentur, prouti esset: 1° Si Parochus, licet non praesit duabus Paroeciis, *duos tamen regat populos adeo inter se seiunctos, ut alter eorum nequeat ob magnam locorum distantiam Parocho celebranti assistere;* 2° Si omnes Parochiani non possint simul *ad unam Missam convenire, sive ob ecclesiae angustiam, sive ob locorum distantiam:* tunc enim potest *in eadem ecclesia* reiterari. In omnibus tamen casibus, ut Missae iteratio liceat, requiritur: *a) Ut nullus alius praesto sit Sacerdos,* cuius opera populi necessitati consuli possit; *b) Ut ab Episcopo obtineatur*

facultas, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur; cuius sane iudicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet. Praeterea notandum quoque est, praedictam facultatem, si aliquando ob necessitatem concedatur, *non haberi tamquam alicuius Sacerdotis privilegium,* sed tantum ob causam peculiarem necessitatis (Bened. XIV Const. cit. *Declarasti,* et cf. *Acta S. Sed.* vol. 1, pag. 8).

550. Non licet iterare Missam *diebus festis suppressis,* quibus populus Missam audire *non tenetur.* — Item interdicta est Missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi Missam satisfacere *in suis privatis capellis.* — Quando dicitur, licere Sacerdoti in casu necessitatis iterationem Missae, id intelligi debet de venia celebrandi *duas tantum Missas,* quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent. — Nec allegari potest consuetudo, etsi immemorabilis, tamquam titulus ad Missam legitime iterandam, quae consuetudo ex se sola dicenda est potius corruptela (Cf. cit. Const. *Declarasti; Instructio* S. C. de Prop. Fid. in Collectan. eiusd. S. C. pag. 295, n. 792; *Acta S. Sed.* vol. I. pag. 7-12).

551. Qui facultatem binandi obtinuit, non potest sine speciali indulto S. Sedis eleemosynam recipere pro secunda Missa. Parochus vero, qui *duas Parochias* regit, et ideo bis in die celebrat, *utrique Parochiae* suam Missam applicare tenetur, non obstante redituum exiguitate. Quod si sit Parochus, qui *in una eademque Parochia* bis eadem die celebrat, non tenetur utramque Missam populo sibi commisso applicare, firma tamen prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa (S. C. C. die 25 Sept. 1858; *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 10 sq).

552. Eadem S. Congr. Concilii, in responsis ad dubia sibi proposita ab Episcopo Malacitano, haec declaravit sub die 10 Maii 1897:

1° Non licere Episcopo licentiam binandi concedere presbytero *unam Missam celebranti in oratorio suburbano vel rurali, aliam vero in civitate vel loco, ubi etiam adsunt alii Sacerdotes* Sacrum facientes.

2° Nec licere huiusmodi licentiam concedere presbytero ambas Missas celebraturo in diversis ecclesiis *eiusdem civitatis vel loci,* in quo et alii Sacerdotes celebrant, et hoc etiam si una ex Missis

celebranda sit in ipsa ecclesia, in qua et alius Sacerdos sacrosanctum Sacrificium eadem die litet.

3° Ast Ordinarius, quatenus in aliquo ex enunciatis casibus necessarium iudicet, ut Sacrum iteretur, recurrat ad Apostolicam Sedem (*Acta S. Sed.* vol. 30, p. 624).

Item a S. C. Conc. die 3 Febr. 1884 generali modo declaratum est: Non esse locum facultati Missas iterandi, nisi cum ex Cleri deficientia *alius Sacerdos non adsit,* qui Parochi loco celebrare et applicare possit (Apud Collectan. S. C. de Propag. Fide pag. 80, n. 214).

553. Ordinariorum est, ut ex dictis constat, *de re cognoscere, et perpendere, num revera necessitas urgeat,* ut Sacerdos duas Missas celebrare cogatur; nec aliter utendum concessa hac iteratione, quam iuxta conditiones ab ipsis apponendas, habita locorum, populorum et paucitatis Sacerdotum, ac proinde *verae necessitatis ratione...* Ipsorum vero conscientia *oneratur stricte;* nec permissio concedatur generaliter, *quasi privilegium* alicui Sacerdoti, *sed ob peculiares casus, et necessitatis causa* ab ipsis examinata; qui praeterea moneant Parochos, quibus facultatem iterum eadem die secundam Missam celebrandi concesserint, ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea percipiant, iuxta decreta alias edita a S. C. C., sed eam pro populo sibi commisso gratis applicent (S. C. C. die 25 Sept. 1858; *Acta S. Sed.* vol. I, p. 10).

554. Postulatum est: Utrum Parochi, qui, pro necessitate circumstantiarum, diebus Dominicis et Festis, sive in ecclesia parochiali, sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul Doctrina christiana, pro peculiari labore et industria, certum salarium annuum a Parochianis oblatum percipere valeant?

S. Congregatio Concilii die 23 Maii 1861, censuit respondendum: *Posse permitti, prudenti arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae* (Vid. *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 13 sq.).

555. *Casus.* Cuidam Parocho concessa est ab Episcopo facultas iterandi Missam in sua Parochia, eo quia Parochiani non possunt simul ad unam Missam convenire. Quodam die Festo, dictus Paro-

chus, celebrata summo mane prima Missa, monet populum se secundam Missam esse celebraturum in quadam proxima Parochia, in qua Festum celebratur cum speciali solemnitate et concursu populi nec non *Sacerdotum pro Missis litandis.* — Modo quaeritur: Licetne praefato Parocho in dicta Parochia aliena iterare Missam, quamvis in loco *plures celebrentur Missae* a Sacerdotibus ibi praesentibus?

Respondetur: *Negative,* quod clare eruitur ex supra expositis. Nam tum Benedictus XIV Const. *Declarasti,* tum Sacrae Romanae Congregationes, constanter docuerunt et docent, non licere cuilibet Sacerdoti duas perlitare Missas eadem die, *quoties obtineri possit Sacerdos,* per quem populi *necessitati* satisfieri possit. Talis necessitas huiusmodi esse debet, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eadem die celebrandi facultas concedatur, *plures fideles praecepto Ecclesiae non satisfacerent.* In praesenti casu nullo modo verificatur *populi necessitas et Sacerdotum penuria,* ut ex expositione casus planum est. Ergo non licet memorato Parocho iterare Missam in illa Parochia, in qua ob Festi solemnitatem plures adsunt Sacerdotes Missam celebrantes sive celebraturi. Insuper prohibet Benedictus XIV et S. Congregatio Concilii, ne permissio iterandi Missam concedatur *generaliter, quasi privilegium, sed ob peculiares casus, et necessitatis causa.* Si igitur in proposito casu *liceret* Parocho (unice ad augendum Missarum numerum) in aliena Paroecia, ubi plures celebrantur Missae, Sacrum iterare, dicendum foret, ipsum uti licentia tamquam *privilegio personali,* quod nec S. Sedes concedit, nec Episcopus concedere potest.

556. *Facultas iterandi Missam Missionum Ordinariis concessa.*

Inter facultates, quas Missionum Ordinariis tribuit S. Congregatio Fidei propagandae praeposita, ea continetur, quae his verbis est concepta:

a) « Celebrandi *bis in die,* si necessitas urgeat (ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem) per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro et sub die et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit.

b) Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi *bis in die* aliter quam *ex gravissimis causis, et rarissime* utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur.

c) Quod si hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti... communicare aut causas ea utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sint, nec pro quolibet loco, sed ubi *gravis necessitas* tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet aut respective causas adprobet ».

557. Super hoc facultatis articulo a *S. C. de Propaganda Fide* concinnata est *Instructio* super Missae iteratione. Quae in ea continentur, perplura habes explicata in superioribus numeris. Praefata *Instructio* legi potest penes *Acta S. Sedis,* vol. VI, pag. 545 et sqq.; *Collectan.* S. C. de Prop. Fid. pag. 295, n. 792.

558. Quaesitum est: An Parochus, qui non potuit celebrare Missam die in quo legenda erat pro *populo,* possit ad satisfaciendum huic oneri secundam Missam in subsequenti Festo *ex binatione* celebrandam applicare? S. Congr. Conc. die 21 Mart. 1887 respondit: *Negative* (Loc. cit. n. 215).

Necessitas requisita pro licita iteratione Missae vera quidem esse debet, non tamen absoluta.

559. Ex hactenus dictis apparet, quanta cautela Ordinarii uti debeant in permittenda Missae iteratione, *cum semper eorum conscientia onerata maneat* in legitimo huiusmodi extraordinariae facultatis exercitio. Nihilominus repetere heic iuvabit, quod S. Congregatio anno 1832 ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in Formulis adhibitas « *intelligendas haud esse in* EXTREMO RIGORE, *habito prae oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, ex desiderio, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint* (Cit. *Instruct.*).

560. Necessitas ergo iterandi Missam vera quidem esse debet, sed moralis, non autem absoluta. Quare opus non est, ut Ordinarii, quibus onus incumbit diiudicandi veritatem et gravitatem causarum, hac super re, nimis anxii sint, ne secus concessa binandi facultas

pene in nullo casu ad actum reduci posse videatur (Cf. *Acta S. Sed.* vol. IX, pag. 230 sq.).

§ VII. *Parochus sive saecularis sive regularis quoad Coadiutores et nonnulla iura.*

561. Cogendi sunt Parochi ad subeunda per seipsos et non per *Substitutos* ea munia, ad quae tenentur: tolerandi autem, quod per Substitutos suppleant in illis tantum casibus, expressis per Canones et Decreta Concilii, quibus permissum est eis, ut per Vicarios coadiutores vel subditos possint officio suo fungi. Casus autem qui excipiuntur, sunt: *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas,* uti ex Concilio Tridentino sess. 23, cap. I de Ref. (S. C. C. die 30 Iul. 1591; Adone, lib. II, n. 920; et vid. S. Alph. lib. IV, n. 125).

562. Quamvis ob populi numerositatem datus sit Parocho *Coadiutor,* ad eum in animarum cura coadiuvandum; Parochus tamen debet *per seipsum* exercere ea omnia quae potest circa dictam animarum curam et Sacramentorum administrationem (S. C. C. die 16 Sept. 1645).

563. Imo Parochus, qui sit etiam *Abbas,* prima dignitas in Collegiata, tenetur per *seipsum* omnia Sacramenta administrare; nec est in suo arbitrio ea tantum explere, quae voluerit, *etiamsi plures habeat Canonicos coadiutores* in exercitio curae animarum (S. C. C. die 15 Dec. 1708).

564. Parochus Collegiatae habens in sua Parochia assignatos Canonicos, percipientes decimarum sacramentalium partem, non tenetur assumere *alium Coadiutorem* pro Sacramentorum administratione, stante numerositate populi (S. C. C. die 4 Sept. 1691).

565. Parochus, ob malam valetudinem inhabilis ad animarum curam exercendam, compelli non potest ad assignandum congruum stipendium *Capellano* sive *Vicario* illius vices subeunti, *ante deducta alimenta ad propriam sustentationem necessaria* (Eadem S. C. die 1 Sept. 1663).

566. *Vicarii* seu *Coadiutores parochiales* natura sua amovibiles sunt; et nedum ex culpa et ex causis disciplinaribus, sed

etiam pro opportunitate et maiori Ecclesiae bono, iudicio Ordinarii sui, de uno in alium locum transferri possint, quin querelam de iniuria aut de damnis movere queant (S. C. C. die 9 Iun. 1903, ex litt. Praef. eiusdem S. C. apud *Act. S. Sed.* vol. 36, p. 233).

567. *Parochus Regularis.* Parocho Regulari, habitanti *extra Monasterium* in aedibus ecclesiae parochialis, eidem suo Monasterio unitae, dari debet a Superiore alius Regularis *in socium,* qui secum habitet (S. C. C. die 8 Mart. 1576, et 18 Maii 1715).

568. *Regulares* a suis Superioribus dari nequeunt in *Coadiutores* Parochorum regularium, licet Abbatum, absque expressa Episcopi licentia (S. C. C. die 7 Iun. 1755).

569. *Parochi Regulares,* vocati a suis Superioribus pro negotiis Religionis, possunt sibi deputare *Substitutum* ad animarum curam exercendam, ab Episcopo tamen approbandum (S. C. C. 1587).

570. *Parochi Regulares* nequeunt impediri a delatione Stolae, transeuntes in Processionibus per limites aliarum Parochiarum saecularium, cum Parochi etiam saeculares deferant Stolam per limites Parochiarum Regularium. Praeterea possunt incedere cum aliis Parochis saecularibus, non autem sub Cruce propriae Religionis; ac demum possunt Officium facere circa cadavera in domibus decedentium sub ipsorum repective Parochiis (S. R. C. die 29 Ian. 1628).

Obiter notamus, professionem simplicem perpetuam inducere *ipso facto* vacationem beneficii residentialis (S. C. Ep. et Reg. die 25 Aug. 1903).

571. Parochus nequit interdicere *Regularibus,* ne Missas celebrent ante Parochialem, praecipue diebus festivis (N. 620 et 745).

572. Parocho *vocato* et *renuente intervenire,* possunt Regulares levare cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda (N. 1539 ad 5, et 1604 ad 1); nec opus est licentia Episcopi (N. 1503).

573. Parochi, postquam cadavera associarunt usque ad ianuam Ecclesiae Regularium, *tenentur ab ea recedere;* vel tantum admitti in Ecclesia possunt, *dimissa stola* (Die 23 Apr. 1895. N. 3854 ad IV; et vid. etiam N. 1604 ad 2; nec non fusius dicta de *funeribus*).

574. Presbyter *in sua Ecclesia* Missam celebrans, non tenetur differre celebrationem donec in Ecclesia parochiali Missam Parochus

celebraverit (S. C. C. in *Baren.* 1597, apud *Collect.* S. C. de Prop. Fid. pag. 72, n. 182).

575. Nec Ordinarius, ad instantiam Rectoris Ecclesiae parochialis, *potest praecipere* Rectoribus aliarum Ecclesiarum non parochialium, ne Missam celebrent, antequam absoluta fuerit Missa Conventualis, quae in ipsa parochiali quotidie celebratur (S. C. C. die 6 Oct. 1625; loc. cit.).

576. Episcopi consilium *cogendi fideles,* ut in diebus Festis Parochi Missae et instructioni interveniant, interdictis aliis ecclesiis aut oratoriis sub reservatione, S. Congregatio de Prop. Fide ad Vicarium Apostolicum *Bengalen.* die 30 Iul. 1845, *minime approbat.* Mens enim S. Sedis est, numquam id sub praecepto ac peccati vinculo praecipi (Loc. cit. n. 199).

577. *Parochus quoad alia iura et quasdam limitationes.* Parochi manutenendi sunt in possessione exercitii *iurium parochialium* contra Capitulum Cathedralis, nisi evidenter constet de immemorabili, per Capitulum probanda (N. 1598 ad 3, 4 et 5).

578. Parochi manutenendi sunt in *possessione sedendi post omnes Canonicos* in canonicalibus stallis, et in Processionibus ac funeribus incedendi immediate ante eosdem (N. 741).

579. Parochi procedere debent *post Canonicos et Beneficiatos,* qui faciunt *unum corpus:* non autem post mercenarios Capellanos aut Clericos, quando sub Cruce Capituli ipsi Parochi procedunt (N. 1264 ad 3).

580. Ad Parochum proprium spectant et pertinent *functiones omnes ecclesiasticae* in propria Ecclesia, non obstante quacumque contraria consuetudine (N. 740).

581. Ad Parochum pertinet cura et custodia SS. Sacramenti in Ecclesia Cathedrali, *quae simul parochialis est;* Capitulum vero invigilet, ut res sacrae rite expleantur (N. 3505 ad 2).

582. Parochus nequit resistere mandatis et ordinationi *Magistri Caeremoniarum;* et si celebret in Altari expositionis, ibique distribuat Communionem, male agit et violat auctoritatem legitimam et regulas Ecclesiae (N. 3505 ad 3).

583. *Praecedentia inter Parochos* attendenda est iuxta *dignitatem et antiquitatem Ecclesiae parochialis,* non vero ipsorum

Parochorum (N. 788). Igitur praecedentia sumitur *ex praerogativis Ecclesiae* (N. 1565 ad 2, N. 1551 ad 1).

584. Parochus, ubi mos viget praecedendi *iuxta antianitatem*, si transit de una ad aliam Parochiam, non amittit ius suum (N. 2075).

§ VIII. *Parochus quoad Sacramentorum administrationem in genere.*

585. Cum in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus vel quis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, *se sancta tractare*, atque omni fere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere (*Ritual. Rom. De administ. Sacrament.* tit. I. n. 3).

586. Quare illud perpetuo curabit, ut *integre, caste pieque* vitam agat, ne secus, impure atque indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrant. Interiori autem sanctitati respondere debet in ministro Sacramentorum *modestia exterior et gravitas*, necnon accurata sacrorum Rituum observantia.

587. Sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda. Singula vero verba, quae ad Sacramentorum formam et ministerium pertinent, *attente, distincte et pie*, atque clara voce pronuncientur (Vide Rit. Rom. et latius supra dicta).

588. Munia parochialia exerceri non possunt, invito Parocho, nisi per ipsum Parochum (S. R. C. die 22 Mart. 1631. N. 563). Ad ipsum Parochum similiter spectat Sacramentorum administratio (S. C. Conc. die 20 Dec. 1767).

589. Parochus Ecclesiae Cathedralis non potest praebere Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis et *in alienis Parochiis commorantibus*, etiam non obstante lege synodali; ius enim administrandi Sacramenta privative ad Parochos *domiciliares* spectat (S. C. Conc. die 2 Apr. 1719).

590. Sacramenta administrare Canonicis Cathedralis in ultima eorum infirmitate, non spectat ad Capitulum, neque ad Parochum

Cathedralis, sed domicilii, non obstante statuto in contrarium (S. C. Conc. die 11. Sept. 1694, et pluries apud Aloysium Adone, Lib. II, n. 944).

591. Administrare Sacramenta famulis infirmis inservientibus *Monialibus* alicuius Monasterii, et degentibus in domo intra fabricam et atrium Monasterii, spectat ad Parochum (S. C. C. die 19 Apr. 1692).

§ IX. *Parochus quoad Baptismum.*

592. Legitimus *Baptismi* minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus. Sed quoties infans, aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive laico, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive haeretico, sive viro, sive femina, *servata tamen forma et intentione Ecclesiae* (Rit. Rom. tit. II, cap. I, n. 12).

593. Tenentur Parochi baptizare infantes absque ulla mora, si mortis instet periculum: si vero periculum non adsit, *ultra tertium diem* post nativitatem pueri non est differenda Baptismi collatio (S. O. die 30 Iul. 1771; Adone, lib. I, n. 636).

594. Baptismus infantibus collatus sine consensu parentum, quamvis illicitus, validus tamen censendus est (S. O. die 8 Mart. 1708).

595. Filii Iudaeorum non sunt, *invitis parentibus,* baptizandi; donec perveniant ad aetatem legitimam, et tunc, si ipsi consentiant: aetas vero legitima regulariter censetur, completo septennio (S. C. de Prop. Fid. die 3 Mart. 1703; Collect. eiusd. S. C. n. 550). Si parentes desint, infantes vero alicuius Hebraei tutelae commissi fuerint, eos *sine tutoris assensu* licite baptizari nullo modo possunt, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit (Bened. XIV, Const. *Postremo,* die 28 Febr. 1747, § 14).

596. Si Pater christianae militiae nomen daret, iuberetque infantem filium baptizari, is quidem, vel matre hebraea dissentiente, baptizandus est, cum filius non sub matris, sed sub patris potestate sit habendus (Cit. Const. *Postremo,* § 15).

597. Quamvis mater filios sui iuris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat, et infantem offerat baptizandum, tametsi pater hebraeus reclamet, ipse nihilominus *aqua Baptismatis abluendus est.* Ubi enim de communi fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriae potestatis, quam leges et iura Romana sanxerant; et propterea mater fidelis, quamvis ei ius civile patriam potestatem non tribuat, *ius habet ad Baptismum filium offerendi* (Const. ead. § 16).

598. Quoniam sub appellatione *parentum* locum quoque habet *paternus avus,* hinc necessario sequitur, ut si avus paternus catholicam fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis, mortuo iam patre, mater hebraea repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus (Const. ead. § 17).

599. Non licet extra periculum seu articulum *moraliter certum imminentis mortis* (siquidem in Decretis *articulus et periculum* promiscue accipiuntur) infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post Baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sint (S. O. ann. 1777; et cf. Bened. XIV, cit. Const. *Postremo,* § 22).

600. Si evenerit, ut *puer aliquis hebraeus proiectus esset, atque a parentibus derelictus,* communis omnium sententia est, pluribus quoque confirmata iudiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam repetentibusque parentibus, eo quod ipsi propter destitutionem eiusmodi, patria potestate deciderint (Bened. XIV, cit. Const. § 9, et Const. *Probe te meminisse*).

601. Tenetur *Missionarius* vel per se vel per alios, quantum fieri potest, instruere filios infidelium *imprudenter et inconsiderate baptizatos,* cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam ceteris Missionariis, imo et Episcopo, quatenus opus fuerit (S. O. die 25 Ian. 1703; Collect. S. C. de Prop. Fid. pag. 220, n. 548).

602. In Baptismate *adultorum,* adhiberi nequit ritus pro Baptismate infantium designatus (S. R. C. die 9 Maii 1857. N. 3051 ad 3^{m}).

603. Baptismi caeremonias, cum ex veris gravibusque causis praetermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt: neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis

tantaeque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii (Bened. XIV, Const. *Inter omnigenas*, die 2 Febr. 1744, § 19).

604. Baptismi caeremoniae et preces, quando supplendae sunt super *adultum valide post nativitatem baptizatum*, serventur illae, quae in Rituali assignantur pro Baptismo *infantium* (S. R. C. die 27 Aug. 1836. N. 2743, ad 3^{m}).

605. Quando *adultus* ab haeresi ad fidem catholicam conversus baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi a Ministro haeretico collati; quatenus supplendae sint, et supplendae credantur caeremoniae, illae supplendae sunt, quae pro *adultorum* Baptismo sunt praescriptae (S. R. C. loc. cit. ad 4^{m}).

606. *Dubium.* Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum, Stola violacea indutus domi baptizavit, eique sacrum Chrisma et Oleum sacrum, quod secum detulit, imposuit prout in Rituali Romano; quaeritur, an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam?

S. R. C. die 23 Sept. 1820, respondit: *Parochum male se gessisse baptizando cum Stola violacea et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam Oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis, iuxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praesentandus est puer, cum convalescit* (N. 2607).

607. In baptismate adultorum infidelium tam actus baptizandi, quam aliae functiones praeparatoriae faciendae sunt *per eumdem Sacerdotem baptizantem* (S. R. C. die 19 Dec. 1665. N. 1325).

608. In Baptismi forma recitanda, strictim servandum est Rituale. De re dubium sequens propositum fuit:

Plures Theologi, inter quos S. Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox *non reperitur in Rituali Romano*. Hinc quaeritur: Num ea adhibenda sit, vel omittenda?

S. R. C. die 9 Iun. 1853, respondit: *Strictim in casu servetur Rituale Romanum* (N. 3014 ad 2^{m}).

Cum ergo vox *Amen* non reperiatur in Rituali Romano, ea a nemine adiungenda est, quidquid in contrarium doceant nonnulli Theologi.

609. In Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V decretum fuit, ne Baptismus in ullis locis conferri posset, praeterquam *in Ecclesiis,* in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in *Clementina unica de Baptismo et eius effectu* videre est.

610. Quaesitum est: 1. An quando medicus testatur de aliquo periculo inducendi ad Ecclesiam infantem cuiuscumque conditionis, permitti ab Episcopo possit, ut ille baptizetur domi cum omnibus caeremoniis?

2. An concedi possit Baptisma cum omnibus caeremoniis ministrari domi filiis personarum, quae relate ad Dioecesim Principibus aequiparari possint, etsi infirmi non sint?

S. R. Congregatio die 27 Aprilis 1877: *Episcopo significandum duxit, quod ipse omnino curare debeat, prudenter tamen et caute, removere abusus, qui in hac re irrepserunt; efficiatque, ut infantes ad baptizandum, iuxta praescriptionem et communem praxim, ad Ecclesiam deferantur* (N. 3419).

611. In locis *Missionum,* ubi Catholici haud raro incolunt procul ab Ecclesiis vel Oratoriis publicis, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam (v. g. decem vel viginti milliarium) magnis periculis et incommodis est obnoxia; Missionariis licet Baptismum hisce infantibus, vel extra mortis periculum, ministrare *in privatis domibus, servato ritu Ecclesiae consueto* (S. R. C. die 4 Febr. 1871. N. 3234 ad 3.; et vid. *Collectan. S. C. de Prop. Fid.* n. 608 et 611).

612. Retineri nequit consuetudo Baptismum solemniter administrandi *in Sacristia Ecclesiae Cathedralis,* nisi adsit rationabilis causa ab Episcopo approbanda (S. R. C. die 14 Mart. 1861. N. 3104 ad 9).

613. Baptismus conferendus est *a propriis respective Parochis* in propria Parochia. Nihilominus ubi *privativum et exclusivum ius* alicui Ecclesiae, *Matrici* praesertim, *consuetudo imme-*

morabilis indubium fecisset, in ea una Ecclesia infantes lustralibus undis sunt regenerandi, nec in alia quadam Ecclesia novus fons baptismalis est construendus (S. C. C. die 10 Febr. 1748, penes Adone, lib. I, n. 665).

614. Animadvertendum est, omnes ecclesias parochiales, quae sacrum fontem legitime habent, iure gaudere benedicendi aquam baptismalem in Sabbato Sancto et in vigilia Pentecostes; alias vero ecclesias, etsi parochiales, fonte baptismali carentes, aquam benedictam in Vigiliis Paschatis et Pentecostes conficere non posse. — Extant vero quamplurimae ecclesiae parochiales filiales, quae quamvis sacrum fontem habeant et baptisma ministrent, destituuntur tamen facultate solemniter benedicendi aquam baptismalem temporibus praedictis; hinc harum ecclesiarum parochi ad ecclesias *matrices* accedere indeque aquam benedictam recipere tenentur. Et hoc ex eo provenit, quod ecclesiae *matrices,* in propriae *matricitatis* recognitionem, privative quoad suas filiales ecclesias sibi reservare solent ius conficiendi aquam baptismalem in Sabbatis Paschae et Pentecostes.

Nec est praetereundum in quibusdam locis etiam hodie observari antiquam disciplinam, vi cuius fons baptismalis in solis ecclesiis cathedralibus et plebanis seu matricibus habetur, ibique non solum peragitur solemnis benedictio aquae, sed etiam administratur baptisma privative quoad omnes ecclesias parochiales, uti videre est in civitatibus Bononiae, Cremonae, Florentiae, Parmae, Pisae, etc. Cf. *Acta S. Sed.* vol. 37, ubi de hac materia p. 324 sqq. in notis fuse agitur.

615. Verum quandoque S. Congregatio facultatem impertitur *erigendi fontem baptismalem,* accedente tamen consensu Ordinarii et interesse habentium (S. C. C. die 7 Ian. 1640, loc. cit.).

616. Qui matrimonii, ut aiunt *civilis,* contractu inito, communi contubernio vivunt, quin sacramentale foedus coram Ecclesia celebrent, in locis, ubi lex sacrosancti Conc. Tridentini viget, habendi sunt, iuxta catholicam doctrinam, tamquam *publici concubinarii, eorumque propterea filii censentur et sunt illegitimi...* Curandum quidem est, ut *infantes ex huiusmodi parentibus nati quantocius in Ecclesiam recipiantur,* sed cavendum insimul erit, ne *solemni-*

tates (puta aeris campani atque organi sonitus) pro huiusmodi illegitimis adhibeantur (S. C. C. die 31 Iul. 1867; Adone, loc. cit. n. 668).

617. Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem vel quos *Susceptores* seu *Patrinos* elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat (Rit. Rom. tit. II, cap. I, *de Patrinis,* n. 22).

618. Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel *ad summum unus et una adhibeantur,* ex decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duae mulieres, neque baptizandi pater, aut mater (Ibid. 23).

619. Hos autem *patrinos* saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse, maxime convenit (loc. cit. 24).

620. Sciant praeterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos *infideles, aut haereticos, non publice excommunicatos,* aut *interdictos, non publice criminosos,* aut *infames,* nec praeterea qui sana mente non sunt, neque qui ignorant rudimenta fidei. Haec enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur (Loc. cit. n. 25).

621. Praeterea ad hoc etiam admitti non debent *Monachi* vel *Sanctimoniales, neque* alii cuiusvis Ordinis *Regulares* a saeculo segregati (Ibid. n. 26).

622. Parochi curare pro viribus debent, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur: at, si reconciliari recusent, et nisi in compatres acceptentur, gravia inde damna imminere videantur, Parochus *Ordinarium consulat,* qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis Auctoribus traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino iudicaverit (*S. Poenit.* 10 Dec. 1860, et 20 Mart. 1885).

623. Congregatio S. Inquisitionis die 7 Mart. 1894 declaravit: Si quis plures eiusdem personae filios eodem Sacramento teneat, cognationem spiritualem *non augeri,* et consequenter opus non

est ad dispensationis validitatem, ut in supplici libello haec circumstantia exprimatur.

624. Ministri sacri Baptismatis curare debent, ne iis qui baptizantur, *obscoena, fabulosa, ridicula,* vel inanium deorum *nomina,* vel *impiorum hominum cognomina,* uti nomina imponantur, et si impedire nequeant, non ideo fas est baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito *submissa voce* nomine alicuius Sancti (S. O. 1883; *Conc. Medional.* IV, P. I; S. C. *de Propag. Fid.* die 12 Ian. 1869, apud *Collectan.* eiusd. S. C. n. 631).

625. Quaesitum est: Utrum liceat in Baptismatis collatione *interrogationes lingua vulgari facere;* vel saltem dictas interrogationes primo latine facere, dein in vulgarem linguam vertere, ut ab adulto baptizando intelligantur, vel a patrinis et matrinis, si agitur de Baptismo infantium?

Sacra Congr. S. O. die 23 Aug. 1880 respondit: Quoad primam partem: *Non expedire.* Quoad secundam: *Affirmative* (*Collectan. S. C. de Prop. Fid.* pag. 251, n. 637, et n. 640).

626. In Baptismi collatione *nulla munera accipienda sunt.* De re postulatum fuit: An possint Parochi (Albaniae) recipere pecuniam pro administratione Baptismi?

S. C. de Prog. Fid. die 18 Apr. 1757 respondit: *Negative, sed posse aliquid recipi a sponte dantibus titulo meraе et liberae eleemosynae* (Collectan. eiusd. S. C. n. 533; et cfr. Bened. XIV, de Syn. dioec. lib. V, cap. 6, n. I).

627. Quoad formam *conditionatam* in administratione Baptismi regula generalis est, ut infantes domi in casu necessitatis baptizati, nec non baptizati ab haereticis, non sint denuo, etiam sub conditione baptizandi, *nisi adsit dubium probabile de invaliditate Baptismi.* Unde Catechismus Romanus, part. II, de Sacram. Baptism. n. 57, docet: *Ea Baptismi forma ex Alexandri Papae* (III) *auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint; aliter vero numquam fas est, etiam cum adiunctione conditionis Baptismum alicui iterum administrare.* (Vid. Bened. XIV, *Inst.* 84; *de Syn. dioec.* lib. VII, cap. VI; *Collectan.* S. C. de Prop. Fid., ubi sub n. 648 et 650 habentur de re *In-*

structiones tum *S. C. de Prop. Fide,* 23 Iun. 1830, tum *S. O.* 30 Ian. 1833).

628. Si revera dubium est, an quis baptizatus fuerit, adhibenda erit forma ab Alexandro III approbata, nempe: *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet; sed prudenter, et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum (Vid. fuse in cit. locis).

629. S. C. C. die 12 Iul. 1794 declaravit, quod *foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo* sub conditione rebaptizetur (*Collectan. S. C. de Prop. Fid.* pag. 253, n. 647).

630. Baptismati comprobando *unius sufficere testimonium,* vetus iurisperitorum axioma est. Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi, aut mari aut foeminae, fides adhiberi prudenter possit (Bened. XIV, Const. *Postremo* § 31 et Instit. VIII, n. 8).

631. Quoad infantes *expositos,* sic in tertio Mediolanensi Concilio statutum fuit: Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter praerequisita, quemadmodum in Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, sub conditionis forma baptizetur... (Apud Bened. XIV, Inst. cit. n. 8).

632. Ad *validitatem* Baptismi, praeter materiam et formam a Christo Domino praescriptam, debitam insuper in Ministro *intentionem* requiri certissimum est. Materia igitur et forma esse debent iuxta divinam Sacramenti cuiuslibet institutionem, a qua recedere datum non est in iis, quae divinae sunt institutionis.

633. Quamobrem *substantialis* materiae vel formae mutatio irritum faceret Sacramentum; non idem dicendum est de *accidentali* mutatione, quae illicitum quidem, minime vero etiam invalidum faceret Sacramentum.

634. Relate ad Ministrum, in ipso saltem *generice* requiritur *intentio faciendi quod facit Ecclesia,* seu *faciendi quod Christus instituit* (De his legantur *Instructiones S. C. de Prop. Fid.* 23 Iun. 1830; et S. O. 30 Ian. 1833; apud *Collectan. S. C. de Prop. Fid.* n. 648, et 650).

635. Materia Baptismi, quam Scholae *remotam* appellant, quaeque ad eius valorem requiritur, *est aqua naturalis*. Quod manifestum est ex Christi verbis (Ioan. 3. v. 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

636. Ea vero, quam Scholae dicunt *proximam* huius Sacramenti materiam, est *externa* corporis baptizandi *ablutio*. Sive autem haec fiat *per immersionem*, sive *per aspersionem*, sive *per infusionem*, ad valorem non pertinet huius Sacramenti, quod manifestum est ex Ecclesiae disciplina, quae in hoc varia fuit pro varietate temporum et circumstantiarum (Vid. cit. *Instruct.*).

637. Ad *formam* quod spectat huius Sacramenti, probe tenendum est, in ea invocationem fieri necessario debere trium Divinarum Personarum iuxta id quod Apostolos docuit Christus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Matth. 28, v. 19).

Dispositiones requisitae in adulto baptizando.

638. Explorata res est, tres in *adulto* requiri dispositiones ad Baptismum rite suscipiendum: *fidem* nempe, *poenitentiam*, et *intentionem* illum percipiendi. *Fides* profecto necessaria est, qua adultus debet esse sufficienter instructus, iuxta propriae intelligentiae mensuram, de mysteriis christianae Religionis, et ea firmiter credere; et necessaria item est *poenitentia*, qua debet peccata sua dolere, et actum elicere vel contritionis vel attritionis: ac tertio necessario requiritur *intentio* seu voluntas suscipiendi hoc Sacramentum, eaque deficiente, non imprimitur in adulto Baptismatis character.

639. Porro *fides* et *poenitentia* in adulto requiruntur, ut *licite* Sacramentum suscipiat, et fructum Sacramenti consequatur: *intentio* vero necessaria est ad illud *valide* consequendum, adeo ut, qui baptizatur adultus sine fide ac poenitentia, *illicite* quidem, at *valide* baptizetur; et contra, qui baptizatur absque voluntate Sacramentum suscipiendi *nec licite nec valide* baptizatur (S. O. die 6 Iun. 1860; apud *Collectan.* S. C. *de Prop. Fid.* pag. 240, n. 589).

Dubia quoad aquam mixtam cum hydrargyro bichlorato, utendam in baptismate infantium.

Beatissime Pater,

640. Archiepiscopus Ultraiectensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter exponit quae sequuntur.

Plures medici in nosocomiis, aut alibi casu necessitatis infantes, praecipue in utero matris, baptizare solent aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (Gallice: chloride de mercure) permixta. Componitur fere haec aqua solutione unius partis huius chlorati hydrargyri in mille partibus aquae; eaque solutione aquae potio venefica est. Ratio autem cur hac mixtura utantur est, ne matris uterus morbo afficiatur.

Quae quum ita sint, pro maiori rei gravissimae securitate, Sanctitatem Vestram enixe rogo, ut haec dubia solvere dignetur:

I. Estne Baptisma cum huiusmodi aqua administratum certo an dubie validum?

II. Estne licitum, ad omne morbi periculum vitandum, huiusmodi aqua Sacramentum Baptismatis administrare?

III. Licetne etiam tum hac aqua uti, quando sine ullo morbi periculo aqua pura adhiberi potest?

S. Congregatio Inq. die 21 Aug. 1901 respondendum censuit:

Ad 1. *Providebitur in* 2.

Ad 2. *Licere, ubi verum adest morbi periculum.*

Ad 3. *Negative.* Quae responsiones approbatae sunt a Summo Pontifice die 23 eiusdem mensis et anni.

§ X. *Parochus quoad Sacramentum Confirmationis.*

641. 1° Fideles ita de huius Sacramenti natura, vi, dignitate, tum in die Pentecostes, quo praecipue die administrari solet, tum aliis etiam diebus, cum id Pastores commode fieri posse iudicaverint, docendi erunt, ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum, ne ipsorum culpa

maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur (*Catech. Rom. de Confirm. Sacram. n.* 1).

2° Sacramentum Confirmationis longe distinguitur a Sacramento Baptismi. « *Nam in Baptismate,* inquit Melchiades Pontifex, *homo ad militiam recipitur, et in Confirmatione confirmatur ad pugnam; in fonte Baptismatis Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes, confirmatio armat atque instituit ad agones* » (*Catech. Rom.* loc. cit. n. 5).

3° *Minister Confirmationis.* Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse *solum Episcopum,* sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit (*Conc. Trid.* sess. VII, *de Confirm. can.* III).

4° Etsi, iuxta sacrosancti Concilii Trid. definitionem, solus Episcopus sit ordinarius huius Sacramenti minister; solet tamen quandoque, iustis de causis, Sedes Apostolica *simplici Sacerdoti, tamquam extraordinario ministro,* facultatem tribuere illud conferendi (Vid. *Instruct.* S. C. de Prop. Fid. die 4 Maii 1774, apud *Collect. eiusd. S. C.* n. 666; Bened. XIV, Const. *Ex tuis precibus*, die 16 Nov. 1748, in exord.).

5° Sacerdos, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere *Chrisma,* per catholicum Antistitem, cum eadem S. Sede communionem habentem, confectum, ac sciat, sibi numquam licere sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere (*Instruct.* cit.).

6° Animadvertat insuper, *num in facultate* sibi ab Apostolica Sede impertita, alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet *Chrismate ante annum benedicto,* alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis, cum a sacris Canonibus id prohibitum sit (*Instr.* cit. et legatur Const. *Anno vertente* Bened. XIV, 19 Iun. 1750, § 5).

7° Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, *ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa*

horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur (*Instruct.* cit.).

8° Quod *ad aetatem* confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani (n. 18) monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit* (*Instr.* cit.; S. O. die 11 Dec. 1850, *apud Collectan. S. C. de Prop. Fid.* n. 682).

9° Quamvis Catechismus Romanus *non expedire dicat,* ut Sacramentum Confirmationis pueris ante septennium conferatur, *non tamen prohibet,* ne ullo unquam in eventu iisdem conferri queat, quod scite perpendentes quamplurimi Doctores, affirmant, sancte ac licite, etiam iuxta praesentem disciplinam, sacro Chrismate inungi pueros ante septennium, *cum aut praevidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitae, aut alia urget necessitas, seu iusta causa* (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. VII, cap. X, n. 4 et sq.; cit. *Instruct.*).

10° Ut confirmandi, *qui usum rationis habent,* digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse *in gratia,* et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant sacramentalem Confessionem. Si enim conscii alicuius peccati letalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent (*Instruct.* cit.).

11° Iuxta veterem Ecclesiae usum, confirmandi debent esse *ieiuni,* optandumque propterea esset, ut idipsum in praesenti etiam servaretur (*Instruct.* et vid. *Catech. Rom. de Sacram. Conf.* n. 19).

12° Sacro Chrismate liniendi *ante diligenter erudiendi sunt,* iuxta doctrinas Catechismi Romani, de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur *circa Fidei rudimenta,* Decalogi, et Ecclesiae praecepta; actus Virtutum theologalium, ac

Orationem Dominicam, et Apostolorum Symbolum memoria teneant (*Instruct.* cit.).

13° Episcopus moneat Parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum *schedulam,* ut aiunt, Confirmationis iis tradant, qui graviora fidei et doctrinae capita, et Sacramenti virtutem et vim ignorent (Bened. XIV, Const. *Etsi minime,* die 7 Febr. 1742, § 9).

14° *Missionarii* seu *Ministri extraordinarii Sacramenti Confirmationis* non omittant populos sibi creditos etiam hortari, *ut Confirmationem debito tempore recipiant,* necnon ut parentes filios suos confirmari curent. Etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen *sine gravis peccati reatu* respui non potest, ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio (*Instr.* cit., et vid. Bened. XIV, Const. *Etsi Pastoralis,* 26 Maii 1742, § III, n. 4).

15° Cum hoc Sacramentum *indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet,* et propterea qui est confirmatus, *ad illud recipiendum non audeat accedere,* sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schismaticis, vel qui ritus idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat: item qui praeceptum paschale non adimpleverit (*Instruct.* cit.).

16° Caveant confirmandi *ne sordida fronte, capillisque impexis* ad hoc Sacramentum accedant; vestibus tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus, et *ad modestiam compositis.* Mulieres vero illud suscepturae, et quae matrinarum officium exercebunt, non se in Ecclesia *cum vanis ornamentis, aut fucata facie,* sed cum omni modestia et reverentia praesentent (Loc. cit.).

17° Si quis ex confirmandis *turpe nomen,* vel christiano nomini non conveniens, haberet, *aliud in Confirmatione assumat* (Ibid.).

18° Quamquam de necessitate huius Sacramenti non sit, ut in eo *recipiendo patrinus,* vel *matrina adhibeatur,* id tamen laudabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique canones praescribunt (Ibid.).

19° Ab hoc vero munere *excludantur* tum minores annis quatuordecim, tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt.

Verum, quia contingere potest, ut *in locis Missionum* nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, *ut aliqui sine patrino* confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt (*Instruct.* cit.).

20° Ad *patrinos* huiusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae:

I. Ut non plures, sed unus tantum, sive vir, sive mulier in patrinum, aut matrinam adhibeatur.

II. Ut nec feminis mares, nec maribus feminae patrini officium praestent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur.

III. Ut, nisi necessitas cogat, idem non sit, sed diversus Confirmationis patrinus a patrino Baptismi.

IV. Ut a patrini munere arceantur excommunicati, interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum paschale omiserunt (*Instruct.* cit.).

21° *Dubium.* An liceat *Sacerdotibus,* qui Confirmationis Sacramentum administrant, *officium patrini exercere?* S. C. de Prop. Fid. die 21 Sept. 1843, respondit: *Non esse tolerandum* (Apud cit. *Collect.* n. 691).

22° S. C. S. Officii, die 3 Sept. 1671, edixit: *Iuste* per Episcopum Beryti *(Vicar. Apost. Cochinchinae) damnatam fuisse propositionem,* videlicet: *Omnes Religiosos et Sanctimoniales posse sine causa, sine culpa, sine Superiorum suorum aut Ordinariorum licentia esse in Confirmatione patrinos* (Apud cit. *Collectan. S. C. de Prop. Fid.* n. 688).

23° *Circa cognationem spiritualem,* quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus (*sess.* 24, *de Reform. Matrim. cap.* 11): *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

24° Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment (*Instruct.* cit.).

25° Cum tempus advenerit, quo *Sacerdos utens facultate sibi ab Apostolica Sede,* ut supra *tributa,* administrare Confirmationem intendit, *vestibus sacerdotalibus,* vel *saltem alba et stola indutus,* stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dextris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est; se vero paratum esse illam conferre *iure per S. Sedem delegato* (*Instruct.* cit.).

26° Mox *delegationis Decreto,* sive *Brevi Apostolico,* lingua vernacula, alta et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem daturus est. Item, quod *infantes,* si quos in prima aetate iusta de causa confirmandos existimaverit, per patrinos *teneantur in brachiis dexteris,* et quod *adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui* (Loc. cit.) (1).

27° Hac altera monitione completa, pariter stans, et versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, procedit ad conferendum Confirmationis Sacramentum iuxta modum in praefata Instructione descriptum, circa quem videatur etiam Pontificale Rom. part. I *De Confirmandis.*

28° Ligandae essent *vitta linea* Confirmatorum frontes, iuxta Pontificalis Romani praescriptum. Verum quoniam vittarum delatio *apud infideles* ludibrio exponere posset Sacramentum; ideo si praevideatur, hoc scandalum eventurum, consultius erit vittas huiusmodi non adhibere; sed in hoc casu opus erit, ut Episcopus vel Sacerdos, postquam frontes Confirmandorum lenierit sacro Chrismate, eas gossipio mox comburendo diligenter abstergat, ac deinde lavet (*Instruct.* cit.).

29° Ex Litteris S. C. de Prop. Fid. die 20 Maii 1786 *(Ad Vic. Ap. Tunch. Orient.)* habetur: In administratione Sacramenti Con-

(1) Ex S. R. C. responso diei 20 Sept. 1749 ad VI sufficit, ut patrinus ponat manum dexteram suam super humerum dextrum confirmandi.

firmationis nihil obstare, quominus abstersio sacri Chrismatis committatur acolythis in defectu Sacerdotis aut alterius in sacris Ordinibus constituti, *cum nullum generale decretum id prohibeat,* praesertim urgente necessitate (*Collectan. S. C. de Prop. Fid.* n. 690).

30° Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et praesertim tunc, cum in privatis domibus vel extra Ecclesiam seu Oratorium *pueris aegrotantibus* conferendum est, vel etiam adultis, qui ad Ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt. In iis casibus Sacerdos non omittat uti saltem *Stola*, si Superpelliceum habere non possit: cavere etiam debet, ne coram haereticis aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet (*Instruct.* cit.).

31° Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus, in quibus praeter Latinos *degunt Orientales catholici;* non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet, sed curabit etiam, priusquam Orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, *ab Apostolica Sede instructionem petere,* quo pacto se gerere debeat erga Orientales uniuscuiusque ritus (*Instruct.* cit.).

32° S. Congregatio de Prop. Fid. die 23 Apr. 1774 declaravit: Nemini prorsus, *charactere Episcopali non insignito,* vel cui alias usus Pontificalium *ex vero, legitimoque privilegio non competit,* licuisse vel licere in collatione Chrismatis adhibere Rochettum, Mitram, Baculum Pastorale, Annulum, vel Crucem pectoralem (*Collectan. eiusd. S. C.* n. 665).

§ XI. *Parochus quoad Sacramentum SS. Eucharistiae.*

642. Etsi sancta omnia sancte tractanda sunt, propterea quod ad Deum pertineant, qui essentialiter sanctus est, attamen *Augustissimum Eucharistiae Sacramentum,* sicut sacris mysteriis omnibus absque ulla comparatione sanctitate praeeminet, ita maxima prae ceteris veneratione est pertractandum (*S. C. de Prop. Fid.* 25 Sept. 1859).

643. Parochus igitur summum studium in eo ponere debet, ut venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia debitoque

cultu tractet, custodiat et administret; tum etiam ut populus sibi commissus illud religiose colat, sancte frequenterque suscipiat *(Rit. Rom. de Sacr. Euch.)*.

De Custodia SS. Eucharistiae, de eius Expositione, de sacris Paramentis et Vasis sacris, de Ritibus observandis etc. videantur fusius dicta in Lib. 20.

644. Generalis regula vetat *publicum atque notorium peccatorem* ad Eucharisticae Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat (Bened. XIV, Const. *Ex omnibus*, 16 Oct. 1756, § 3).

Arcendi ergo sunt a sacra Communione illi omnes, quorum peccata noscuntur aut per propriam confessionem in iudicio factam, aut per evidentiam facti (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. VII, cap. XI, n. 7 et 8).

Arcendi autem sunt, ita Rituale Romanum, tit. IV, cap. I, *de SS. Euch. Sacramento*, n. 8) *publice indigni*, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames: ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii eius generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

645. Si demum agatur *de peccatore occulto*, qui postulat Sacram Eucharistiam sibi ministrari, Parochus sive Confessarius sequatur regulam Ritualis Romani, quae sic se habet: *Occultos vero peccatores si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat* (*Ibid.* n. 5).

646. *Grave onus incumbit Parocho*, ne ulla ex concreditis sibi ovibus absque angelico pane sua culpa ex hac vita migret. Quare ubi primum resciverit aliquem gravi morbo laborare, paterna charitate, quin etiam vocetur, ad eius domum accedat, eique suadeat, ut sacro Viatico muniatur.

647. Prohibetur Sacerdos deferre Viaticum *absque superpelliceo et stola alba*, etiam cum longius iter faciendum est ruri, vel per vias difficiles seu asperas incedendum.

648. Si ob enunciatam locorum distantiam, difficultatem itinerum ac viarum asperitatem, SS. Viaticum nequeat a Parocho de-

ferri, nisi cum gravissimo incomodo, poterit in huiusmodi casibus illud deferre *equitando ac capite pileo cooperto,* comitante saltem uno homine, si fieri possit, accensam laternam deferente (S. R. C. 21 Maii 1846).

649. *Nec Regularibus nec Presbyteris Saecularibus,* etiam exemptis, licet Parochum impedire, quominus in casibus necessitatis in eorum Ecclesiis SSmum Sacramentum extrahat ad infirmos reficiendos cum Viatico (S. R. C. die 22 Aug. 1705. N. 2159).

650. *Eodem perseverante morbi periculo,* si infirmus rursum communicare cupiat et naturale ieiunium servare nequeat, non renuat Parochus iterum iterumque Eucharistiam *per modum Viatici* eidem ministrare (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. VII, cap. XII, n. 4).

651. Monentur Parochi, ne patiantur, omnes *pueros* indiscriminatim sine Christi Corporis Viatico interire, sed ubi eos agnoverint capaces, quatenus diligenti praemisso examine, tanta compererint pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum credant, et reverenter adorent, illis sacrum Viaticum praestent, *licet ante ad Eucharisticam mensam non essent admissi* (Bened. XIV, loc. cit. n. 3).

§ XII. *Parochus quoad Sacramentum Poenitentiae.*

652. *A)* Parochus simpliciter approbatus ad audiendas confessiones, potest in propria Ecclesia absolvere Parochianos *alterius Parochiae* absque alia licentia (S. C. Concil. 5 Iun. 1639).

B) In vim approbationis habitae cum Parochia, quam per concursum obtinuit, *non censetur approbatus ad audiendas confessiones in tota Dioecesi,* sed tantum in civitate vel oppido, in quo sita est Parochialis (S. C. C. die 17 Aug. 1600, *in Tyburtina,* Giraldi, tom. III, pag. 976; S. Alph. lib. VI, tr. IV, *de Sacram. Poenit.* n. 544). Verum quoad hoc inspicienda est consuetudo seu praxis variarum Dioecesium (*Vid. S. Ligor. loc. cit.*).

C) Parochus unius Dioecesis nequit confessiones audire *in altera Dioecesi, absque huius Episcopi Dioecesani licentia.* Potest tamen sine eius licentia audire confessiones *suorum parochianorum* extra dioecesim, cum illius iurisdictio sit ordinaria et voluntaria. En du-

bium et eius resolutio: An Curati unius Dioecesis vocati a Parochis alienae Dioecesis possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum absque licentia Episcopi? Responsum fuit: Affirmative *quoad subditos;* Negative *quoad alios* (S. C. C. die 3 Dec. 1707; Bened. XIV, Inst. 86, § 7; Giraldi, loc. cit. Ferraris, verb. *Parochus* art. III, n. 27; S. Alph. Lib. VI, n. 544 et 548 et vid. Const. *Cum sicut* Innoc. XII, *apud Salmant., tom.* IV, *tract.* 18, cap. 4, n. 80).

D) Parochus, *dimissa Parochia*, non potest amplius confessiones audire ne in sua quidem Dioecesi, *absque licentia Episcopi* (S. C. C. mense Aug. 1600).

E) S. Congregatio de Prop. Fide edixit: *Tolerari non posse obligationem* impositam parochianis sacramentaliter confitendi proprio Parocho, aut alii Presbytero, de eius tamen licentia, tempore paschali (*Collectan.* eiusd. S. C. n. 928).

F) Parochus nihil recipere potest, etiam a sponte dantibus, pro Sacramentorum administratione: *pro eleemosyna vero* quod sponte offertur, potest recipere (S. C. C. die 6 Aug. 1593).

S. Congregatio de Prop. Fid. loc. cit. n. 936 ita declaravit: *improbari a S. C. abusum recipiendi eleemosynas a poenitentibus titulo vel occasione administrationis Sacramenti Poenitentiae* (Die 17 Iun. 1782).

G) Declarationes magni momenti quoad absolutionem sacramentalem in quibusdam casibus.

653. Excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam incurrunt: *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem* (Const. *Apostolicae Sed.* part. I, art. 10).

H) Eamdem excommunicationem incurrunt:

1° Absolventes cum ignorantia *crassa* vel *supina* (S. O. die 13 Ian. 1892; *Acta S. Sed.* vol. 29, p. 574).

2° Simulantes absolutionem complicis, quamvis reipsa non absolvant (S. Poenitent. 1 Mart. 1878, et S. O. die 10 Dec. 1883; *Nouv. Rev. Theol.* tom. 16, p. 365).

3° Absolventes vel *fingentes* absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id Confessarius poenitentem induxit, sive directe, sive indirecte (S. Poenitentiaria 19 Febr. 1896; *Acta S. Sed.* vol. 28, p. 445).

654. Omnes locorum Ordinarii deputantur *Iudices* ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum *contra sollicitantes ad turpia* in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos (Instr. S. O. die 20 Febr. 1867).

655. Itidem *omnes Sacerdotes* ad audiendas sacras confessiones constituti, *obligantur monere suos poenitentes,* ut sollicitantes huiusmodi, quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent (Loc. cit.).

656. Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus, qui *innoxios Sacerdotes* apud ecclesiasticos Iudices *falso* sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat (Ibid).

I) Sacerdoti cuilibet *omnis facultas et iurisdictio* ad sacramentales confessiones *personae complicis* in peccato turpi contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipiendas *adimitur,* nisi extrema prorsus urgeat necessitas; nimirum, ut supra dictum est, si in ipsius mortis articulo alter Sacerdos desit, qui Confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (Loc. cit.).

K) Non licet Confessariis exquirere a poenitentibus, sub specie boni spiritualis, *nomen complicis.* Docentes autem vel defendentes huius praxis licitudinem ex Const. *Apostolicae Sedis* subiacent excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici ordinario modo reservatae.

L) A casibus cum censura Romano Pontifici reservatis in Constitutione *Apostolicae Sedis,* nullus Confessarius, nisi speciali facultate munitus sit, potest absolvere: et ii, qui ab excommunicationibus Romano Pontifici *speciali modo* reservatis, sine debita facultate, sub quovis praetextu, *absolvere praesumunt,* excommuni-

cationem ipsi Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma manet quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (Const. cit.).

M) Praeter articulum mortis, *in casibus urgentioribus,* in quibus absolutio differri nequeat *absque periculo gravis scandali vel infamiae,* super quo Confessariorum conscientia oneratur, quilibet Confessarius dare potest absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam *speciali modo* Summo Pontifici reservatis; sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem sive per se sive per Confessarium absolutus recurrat ad sacram Poenitentiariam (S. O. 30 Iun. 1886; et 30 Mart. 1892).

N) Etiam in casu, quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed *durum valde est* pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplex Confessarius potest *a censuris* Summo Pontifici reservatis *directe* absolvere, iniunctis de iure iniungendis, *sub poena tamen reincidentiae* in easdem censuras, nisi saltem infra mensem recursus fiat, ut supra dictum est, ad S. Poenitentiariam (S. O. 16 Iun. 1897).

O) Obligatio *standi mandatis Ecclesiae* importat onus, sive per se sive per Confessarium, recurrendi ad Summum Pontificem, eiusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris Summo Pontifici speciali modo reservatis. Citata Decreta S. P. et alia attulimus per extensum c. IV libri XVIII.

P) Quando vero *neque Confessarius neque poenitens* epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, *et durum sit poenitenti adire alium Confessarium,* in hoc casu licet Confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam (S. O. die 9 Nov. 1898).

Q) Poenitens non tenetur *per eumdem Confessarium,* qui eum absolvit, recurrere, sed potest id praestare *per alium Confessarium,* et etiam per seipsum directe, quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine (S. Poenit. die 28 Maii 1888).

R) Obligatio recurrendi ad S. Sedem urget tam pro censuris speciali modo, quam pro censuris *simpliciter* Romano Pontifici reservatis; dummodo quoad simpliciter reservatos, casus non sint occulti nec ad forum contentiosum deducti, quia tunc potest Episcopus tum ex Tridentino tum ex Constitutione *Apostolicae Sedis* absolvere.

§ XIII. *Parochus quoad Sacramentum Extremae Unctionis.*

657. Materia Sacramenti Extremae Unctionis est Oleum ab Episcopo benedictum seu consecratum, non ex quavis pingui et crassa materia, sed ex olearum baccis tantummodo expressum (*Catech. Rom. De Sacram. Extr. Unct.* n. 5).

658. Paulus V in Congregatione Generali Univers. Inquis. coram se habita die 13 Ian. 1611 declaravit *temerariam et errori proximam* propositionem, quod Sacramentum Extremae Unctionis Oleo episcopali benedictione *non consecrato* ministrari valide possit.

659. Proposito dubio: An *in casu necessitatis* Parochus ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis uti possit Oleo *a se benedicto,* S. C. Rom. et Univ. Inquisitionis decrevit: *Negative, ad formam Decreti* 13 Ian. 1655; quam resolutionem Gregorius XVI approbavit die 14 Sept. 1842.

660. Oleo sacro addi potest *pars modica* Olei non benedicti, *sed in casu tantum* necessitatis, ut in Rituali praescribitur. Hoc autem faciendum est, quando sacrum Oleum deficit, non vero quando post consecrationem distribuitur (S. R. C. die 7 Dec. 1844. N. 2883 ad 3).

661. Potest Oleo benedicto adiungi non benedictum *pluribus vicibus,* ita ut Oleum adiunctum, consideratum separatim et in unaquaque admixtione, sit in minori quantitate quam Oleum benedictum; quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas maior non benedicti (S. C. Conc. die 23 Sept. 1682, penes Adone, lib. I. n. 831).

662. Parochus, si per errorem aliud Oleum, quam quod infirmorum est, ad aegrotum ungendum umquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut Catechumenorum sit, *ut erratum emendet,* Olei

sacri, quod proprie Infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tunc Sacramenti formam iteret (Conc. Mediol. V. P. I. Adone, loc. cit. n. 832).

663. Parocho non licet pro sua commoditate *retinere apud se* in domibus propriis Sanctum Oleum Infirmorum, excepto casu magnae distantiae ab Ecclesia, quo in casu omnino servetur Rubrica Ritualis Romani quoad honestam et decentem tutamque custodiam (S. R. C. pluries. Vid. NN. 2650 ad 3; 3276 ad 5; 3739 ad 2; et 3779 ad 7 sub die 23 Iunii 1892).

664. Etsi quilibet Sacerdos possit Sacramentum Extremae Unctionis valide conferre, *solus tamen Parochus est ordinarius* eiusdem minister nec ulli fas est extra necessitatis eventum, sine eiusdem Parochi licentia sacro Oleo aegrotantes inungere (Bened. XIV, *de Syn. Dioec,* lib. VIII, cap. IV, n. 7).

665. Religiosi vero *praesumentes* clericis aut laicis *extra casum necessitatis* hoc Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiam *per Viaticum* ministrare absque Parochi licentia, excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici ordinario modo reservata, plectuntur (Const. *Apost. Sed.* part. 2. n. 15).

666. Unctio Extrema administranda est cum Stola et Superpelliceo iuxta Rituale (S. C. R. N. 2650).

667. In administratione Extremae Unctionis nihil innovandum est circa modum unctionis in pedibus; quae idcirco fieri poterit *vel in parte pedum superiore vel in inferiore* (S. R. C. N. 2743 ad 1).

668. Unctio *renum* (in Extrema Unctione) numquam praetermitti potest, nisi in casibus particularibus, adhibitis cautelis, decentiae satis consuli aliter nequeat (S. Off. die 28 Aug. 1889).

669. Sacramentum Extremae Unctionis, etiam in casu necessitatis, absente nimirum alio Presbytero, non potest Missionarius aegrotans *sibimetipsi* ministrare (S. C. de Prop. Fid. die 23 Mart. 1844).

670. In Extrema Unctione administranda usus *stili* seu *virgulae argenteae* non permittitur, excepta necessitatis causa (S. R. C. die 31 Aug. 1872. N. 3276 ad 3 et 4. Plurima alia videantur in Rituali Romano).

Nota. De Sacramento Ordinis, cum proprium Episcoporum sit illud conferre nihilque fere exhibeat quod Parochorum operam postulat, loqui omittimus, eo vel magis quod de eo fuse egimus in Lib. de Ordine seu sacra Ordinatione.

§ XIV. *Parochus quoad Sacramentum Matrimonii.*

671. Praecipuas curas in id insumere debent Pastores animarum, ut populi abundent praeceptis sapientiae christianae, semperque memoria teneant, matrimonium non voluntate hominum, sed *auctoritate natuque Dei* fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus, *ut sit unius ad unam.*

672. Christus vero novi foederis auctor illud ipsum *ex officio naturae ad magni Sacramenti dignitatem evexit,* tamquam symbolum et figuram unionis ipsius Christi Domini cum Ecclesia.

673. Ita vero rationem contractus a Sacramenti ratione Christus indissociatam voluit, ut si qua coniunctio viri et mulieris inter Christianos citra Sacramentum contrahatur, ea vi ac ratione iusti matrimonii careat. Quoad haec omnia legantur Litt. Encyclic. Leonis PP. XIII, incip. *Arcanum,* de die 10 Febr. 1880, *apud Acta S. Sed.* vol. XII, pag. 385, § *Praecipuas curas.*

674. Quare *inter fideles* Matrimonium dari non potest, quin *uno eodemque tempore sit Sacramentum:* atque ideo quaelibet alia inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctio, etiam civilis legis vi facta, nihil aliud est, nisi turpis atque exitialis concubinatus (Pius IX. *Alloc.* 27 Sept. 1852).

675. Hinc falsa et ab Apostolica Sede reprobata est propositio in Syllabo n. 66, quae asserit: « Matrimonii Sacramentum esse quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum benedictione nuptiali situm esse ».

676. Ex quo autem Christus novi foederis auctor, Matrimonium ex officio naturae in Sacramenta transtulit, totam ipsius disciplinam *Ecclesiae concredidit* et commendavit, et quod ad vinculum spectat, *legiferam* et *iudicialem* potestatem omnem eidem Ecclesiae attribuit. Iure enim civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas Matrimonia afferunt *ex sese in genere*

civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat (Leo XIII, Encycl. *Arcanum*).

677. Ex illo actu, qui vulgo dicitur *Matrimonium civile,* in locis, ubi promulgatum est Decretum Concilii Tridentini (*Sess.* 24, *cap. I. de Reform. Matrim.*) nec etiam oritur impedimentum iustitiae *publicae honestatis* (Leo XIII per Decr. S. C. C. die 13 Mart. 1879, *approb. ab ipso Summo Pont.* die 17 eiusd. mensis et anni; *Acta S. Sed.* vol. XII, pag. 147 176).

678. Nihilominus ad consulendum bono prolis, quae secus a potestate civili non habetur ut legitima, et ad vitandas vexationes atque scandala, vel pericula praecavenda, quae timeri possunt, curari omnino debet, ut contrahentes, non quidem matrimonii contrahendi, sed *ritus seu caeremoniae mere civiles explendae animo,* magistratui ac legi civili satisfaciant. Hac in re, modo explicato, licet fidelibus morem legibus gerere: *ipsa non abnuente* Ecclesia, quae vult atque optat, ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur (Leo XIII Encycl. *Arcanum*).

679. *Matrimonia prorsus irrita, et matrimonia valida, sed graviter illicita.*

Cum Christianorum coniugium unionem inter Christum et Ecclesiam exprimat, monente Apostolo Paulo (Ad. Eph. V, 32): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia,* aperte patet *sanctum* prorsus esse vinculum maritale, quo inter se ipsi copulantur. Cum autem *fides* sit omnis sanctitatis *radix atque fundamentum,* pariter nemo non videt, coniuges ut mutua sese unione sanctificent, sicut in reliquis, ita et potissimum *fide* cohaerere debere. Mirum proinde non est, si inter cetera quae matrimonium impediunt, etiam illud accensetur, quod *mixtae communionis* impedimentum proprio nomine appellatur.

Huius impedimenti natura, quemadmodum omnes norunt, ea est, ut *matrimonii foedus* inter eos *qui baptizati sunt,* iniri nequeat, quando altera eorum pars *haeretica* vel *schismatica sit.* At catholicorum cum haereticis, et contra, nuptiae *illicitae* sunt

quidem, sed nihilominus *valent*. Ingens propterea discrimen intercedit inter impedimentum *mixtae communionis* seu *religionis*, et alterum quod propria appellatione dicitur *disparitatis cultus*. Primum enim locum habet *inter Christianos;* secundum afficit *matrimonia Christianorum cum non baptizatis*, sive iudaei sint sive infideles cuiuscumque sectae, sive catechumeni. Coniugia itaque inter personas cultu dispares *sunt prorsus irrita;* mixta vero valida, sed *graviter illicita*. Ita S. O. in exordio *Instruct.* datae ex mandato Leonis PP. XIII sub die 12 Dec. 1888 *super Matrimoniis mixtis* ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos Rituum Orientalium (Apud *Acta S. Sed.* vol. XXII, pag. 636).

680. *Lex Tridentina localis et personalis de matrimoniis clandestinis.*

Lex Tridentina de *clandestinis matrimoniis* debet sane in unaquaque paroecia promulgari iuxta illius censuram, sed facta semel promulgatione, eiusque observantia permanente, lex *territorium afficiet,* et adaequate loquendo, *localem* et *personalem* esse, in confesso est apud omnes: quatenus *localis, afficit* territorium, eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt, obligat; quatenus vero *personalis* est, obligat qui domicilium vel quasi domicilium habentes in loco, ubi Tridentinum decretum promulgatum est et viget, in altero, ubi illud non viget, contrahere vellent. Neque et facta in posterum praedicti territorii divisione vel in eadem aliarum paroeciarum partes divisae, vel recens erecta paroecia, a lege iam territorium possidente liberae renunciari possent. Item ex continuata observantia decreti Tridentini, iustissime argui legitimam illius promulgationem, communis similiter sententia est (*Instr. O. S. die* 14 *Dec.* 1859).

681. *Quantum temporis* requiritur, ut ex observantia Cap. *Tametsi* in aliquo loco, praesumi possit eius publicatio?

Resp. Decretum Concilii Tridentini *de Ref. Matrim. sess.* 24, diu dicitur observatum tamquam eiusdem Concilii decretum, quando *a tempore, quod excedit hominum memoriam,* in parochia vim legis obtinuisse compertum est; ita ut matrimonia contracta praeter formam a Tridentino praescriptam, irrita semper habita fuerint (S. Off. 10 Ian. 1866).

682. *Lex Tridentina quoad matrimonia haereticorum et massonum.*

1. Quid dicendum de matrimonio *coram magistratu civili contracto* inter duas personas in catholica Ecclesia baptizatas, sed quarum una vel ambae hic et nunc profitentur sectam protestantem aut affirmant se non esse amplius catholicos?

2. Quid quando ambae partes sunt catholicae, sed vir pertinet ad societatem *liberorum muratorum* aut alterius societatis secretae ab Ecclesia damnatae?

Resp. Matrimonia de quibus agitur in primo quaesito habenda esse *uti valida,* quando una vel ambae partes ante matrimonium sectam haereticam professae fuerunt, aut aliquo modo publice constet eam vel eas Religionem catholicam deseruisse; matrimonia vero *liberorum muratorum* de quibus agitur in 2° quaesito, generatim habenda esse *uti nulla,* quando contracta fuerunt *coram magistratu civili,* non servata forma Concilii; sed quatenus occurrat gravis difficultas, Episcopus recurrat in casibus particularibus, accurate expositis omnibus cuiusque casus adiunctis (S. C. S. O. 15 Febr. 1865).

683. Declaratum est: *Nullum temporis spatium sufficere,* ut lex Tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum (S. O. 6 Iul. 1892).

684. *Quoad promulgationem Decreti Tridentini in locis infidelium.*

Quibus in locis *Vicarii Apostolici,* maturo adhibito consilio, expedire iudicaverint, in iis Concilii Trid. Decretum, *cap.* I, *sess.* 24, *de Matr.,* rite promulgandum curent; ac propterea matrimonia, quae posthac iisdem in locis celebrari contigerit, ut valida nominentur et sint, ineunda esse coram Parocho aut Missionario, aut Sacerdote quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque, si haberi possint, *christianis;* in iis vero locis, in quibus integrum non possit observari decretum, quod parochus vel alius ad id muneris designatus absit, facilesque ad eumdem aditus non pateant, iniri quidem debere coniugia eorum duobus saltem testibus, iisque, quantum licuerit, christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligandos lege sistendi se coram pa-

rocho vel Missionario quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius vero vel parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, edoceat coniuges eiusmodi benedictionem *ad ritum unice, non ad validitatem* pertinere coniugii... (*Instr. S. C. de Prop. Fid. ad Vic. Ap. Siamens.* 9 *Dec.* 1822).

685. Matrimonia contracta *coram saeculari magistratu aut coram extraneo Sacerdote,* cum contrahentes ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus aut nonnisi difficillime seu periculosissime recurrere possint, *esse valida, quoties duo saltem adfuerint testes,* iuxta resolutiones S. C. Concilii in causa Belgii 27 Mart. 1832... Monendos tamen esse contrahentes, ut consulant *suae conscientiae,* eo quod matrimonia contracta *coram schismaticis vel schismati adhaerentibus,* tametsi in praefatis circumstantiis *sint valida,* sunt tamen *illicita,* nec non hortandos esse coniuges ut a parocho legitimo recipiant benedictionem, quatenus fieri possit citra periculum. Quoties autem *duo saltem testes* minime adfuerint, *matrimonia esse invalida,* et quatenus fieri possit, esse revalidanda; ita tamen ut si obstet aliquod impedimentum iuris ecclesiastici, dispensetur ab Episcopo, quoties dispensandi facultate polleat ex concessione Apostolicae Sedis... (S. O. 1 Iul. 1863 et 15 Mart. 1861; et vid. plura de *Matrimonio* et de *Clandestinitate* apud *Collect.* S. C. *de Prop. Fide*).

686. *De promulgatione Decreti Tridentini in variis locis.*

Decreta *pro Insula Melitensi:* 1° Matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus qui *catholicam profitentur Religionem,* sive quod *uterque contrahens* sit catholicus, sive quod *alter sit catholicus, alter heterodoxus,* valida non esse, nisi celebrata fuerint *iuxta formam a S. Concilio Tridentino* praescriptam in cap. I *Tametsi,* sess. 24, de Ref. Matrim. 2° Eos vero, qui diversum a catholico cultum profitentur, *valide contrahere posse matrimonium inter se,* etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum (*S. C. Neg. Extraord.* die 12 Iun. 1892).

SSmus autem declaravit et decrevit, matrimonia haereticorum *inter se,* non servata Tridentini forma, in Insula Meliten. hactenus

contracta, pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum (S. C. S. O. die 2 Iun. 1892; et cf. *disceptatio et resolutio* S. C. C. sub die 18 Iul. 1903 apud *Acta S. Sed.* vol. 36, pag. 214-225).

687. An matrimonia inter *catholicos et graecos schismaticos* celebrata in Dalmatia et Albania coram *parocho schismatico,* dummodo non obstet aliud canonicum impedimentum, sint valida?

Resp. *Affirmative:* scilicet, matrimonia de quibus agitur, quamvis *illicita,* esse tamen valida, nisi aliud obstet canonicum impedimentum (S. O. die 10 Febr. 1892) et vid. alia in *Supplem.* Biblioth. Lucii Ferraris, v. *Matrimonia clandestina.*

688. *Parochus proprius.* Quis sit parochus proprius contrahentium matrimonium, cuius praesentia ad evitandum impedimentum clandestinitatis necessario requiritur?

Resp. Parochum proprium habendum esse parochum domicilii vel quasi domicilii contrahentium. Ad dignoscendum vero quasi domicilium attendendam esse regulam traditam in Instructione diei 7 Iunii 1867 (S. O. die 2 Maii 1877; apud loc. cit. n. 8).

In facultate generali administrandi omnia Sacramenta, quae ordinem episcopalem non requirunt, *non includitur facultas* assistendi omnibus matrimoniis fidelium dioeceseos (S. O. 7 Sept. 1898).

Mutua et generalis parochorum delegatio ad assistendum matrimonio in aliqua civitate, valida est (S. O. 18 Mart. 1893).

689. *De non admittendis ad matrimonium puellis, quarum aetas ignoratur.*

Fer. IV, 18 Martii 1903.

Huic Supremae Congregationi S. Officii proposita fuerunt enodanda sequentia dubia:

I. An quando ignoratur aetas iuvenculae quae matrimonium inire cupit, possit et debeat parochus vel missionarius confidere illius exterioribus signis, praesertim quoad conformationem pectoris etc.?

II. In casu vero quo praedicta pubertatis signa deficiant, et aetas ignoratur, matrimonium iam initum considerarine potest et debet ut invalidum, aut ad minus uti dubium?

In Congregatione Generali coram EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. Affirmative et ad mentem; mens est: quod Missionarii puellas, de quibus in casu, ad matrimonium non admittant, nisi postquam Ordinarius vel Vicarius Apostolicus ex prudenti iudicio compertum habeat eas nubiles existere, ac proinde malitiam in illis aetatem supplere declaret.

Ad II. Ut proponitur, negative; ideoque si aliquis huius generis matrimonii casus Missionariis occurrerit, illud nullum nequaquam declaretur, nisi prius a Vicario Apostolico confecto processu, indubiis probationibus puellam, de qua agitatur quaestio, ante duodecimum aetatis suae annum, iugali vinculo fuisse sociatam, et in ea, tempore quo nuptui data fuit, revera malitiam non supplevisse aetatem certo constet. Aut si de matrimonio ageretur quod a puella, antequam christianae religioni nomen daret, fuit celebratum, nullum non pronuncietur, nisi prius Missionarii, iisdem supranotatis probationibus, certiores fiant, puellam illam, dum huiusmodi nuptias contraxit, non fuisse doli capacem. — Et detur Decretum die 10 Decembris 1885, relatum in Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide sub N° 1383.

Sequenti vero Fer. V, die 19 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Rmorum adprobare dignatus est.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Notarius.*

690. *Postulatum circa matrimonia incunda ab impiis viris, qui dicuntur liberi pensatores.*

Fer. III, die 25 Maii 1897.

In Relatione Status Ecclesiae Tabascensis, exhibita S. Congregationi Concilii die 27 Novembris 1896, sequens legitur sub num. I. *Postulatum:*

« His in Regionibus frequenter occurrit, ut viri impii, vulgo *liberi pensatores,* matrimonium inire cupientes cum mulieribus catholicis, praeviam confessionem facere renuant, eo quod, ut explicite fatentur, fidem Sacramenti Poenitentiae corde incredulo reiecerunt et totam fidem negaverunt. Peto an hi, infidelibus deteriores, debeant aut possint admitti ad contrahendum matrimonium, cum magno mulieris catholicae et familiae detrimento et periculo ».

Cum hoc Postulatum transmissum fuerit ad hanc Supremam S. R. et U. Inquisitionem, in Congregatione Generali habita ab Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. responderi mandarunt:

Supplicandum SSmo, ut in Decreto Feriae IV die 30 *Ianuarii* 1867.

Feria vero IV die 26 eiusdem mensis Sanctissimus, per facultates Eminentissimo Cardinali S. R. et U. Inquisitionis Secretario concessas, benigne annuit pro gratia.

Porro citatum Decretum fer. IV diei 30 Ianuarii 1867 sic se habet:

« I. Quid agendum quando vir baptizatus, sed apostasiam a fide verbis et corde profitens, asserensque nominatim se non credere Sacramentis Ecclesiae, petit matrimonium coram eiusdem Ecclesiae facie unice, ut desiderio sponsae satisfaciat?

II. « Quid si idem vir petit sectae condemnatae muratorum vel simili addictus, qui licet fidem non omnino amiserit, sectae tamen debite renunciare recusat » ?

« III. Quid si idem postulat vir, qui fidem non abiecit, sed eam profiteri, officiaque christiana adimplere abnuit » ?

Responsum fuit: Ad I. « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam

partem catholicam et alteram, quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio adsistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad Episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis *authorizabilis,* dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus conditionibus ».

Ad II. « Dandum esse Decretum diei 28 Iunii 1865, quod est huiusmodi: *Quoad matrimonia, in quibus una contrahentium pars clandestinis aggregationibus per Pontificias Constitutiones damnatis adhaeret, dummodo absit scandalum, Ordinarius habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus, ea decernat quae magis expedire iudicaverit* ».

Ad III. « Consulat probatos Auctores, et praesertim Benedictum XIV *De Synodo Dioeces.* L. VIII, Cap. XIV, n. 5 » (*Acta S. Sed.* vol. 30, p. 628).

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquis. Not.*

§ XV. *Resolutiones plurium dubiorum super iuribus Parochorum in ordine ad Episcopum.*

691. Ex S. Congregatione Concilii die 14 Augusti 1863.

III. An potestates ab Episcopo concessae Vicariis et Capellanis quoad Sacramentorum administrationem sint nullae, aut saltem dubiae, nisi veniant a Parocho, aut eas ratas habeat?

Resp. *Negative in omnibus.*

IV. An possit Episcopus cogere Parochum ad assumendum sibi unum aut plures Vicarios, prout id necessarium iudicaverit?

Resp. *Affirmative,* ad tramitem tamen cap. IV, sess. 21, de Ref. Conc. Trid.

V. An nominatio Vicariorum, a fortiori Capellanorum, prout res nunc se habent in Gallia, et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad Parochum?

Resp. *De iure spectare ad Parochum cum approbatione Episcopi, attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in ceteris Galliarum dioecesibus obtinentem, usque dum aliter fuerit a S. Sede declaratum.*

VI. An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab Episcopo specialiter deputato, ob congruentem causam, verbi gratia, quia ille presbyter est amicus aut propinquus alterutrius sponsorum, morose renuente Parocho?

Resp. *Esse validum; ceterum curandum, ne ob leves quaslibet causas huiusmodi deputationes fiant, salvis semper favore Parochi emolumentis, si quae occasione matrimonii dari soleant.*

VII. An liceat Episcopo conferre Sacramentum *Confirmationis* in capella publica, nulla ratione habita petentis quo iure id faciat?

Resp. *Affirmative.*

IX. An audienda sit ab Episcopo conquestio Parochi de promiscuitate in petitione et administratione Sacramentorum, quia confessiones audiuntur et sacra Communio datur in capellis publicis, servata tamen Communione paschali, quae fit a parochianis in ecclesia parochiali?

Resp. *Negative.*

XII. An cogendi sunt ab Episcopo parochiani, ut peccata confiteantur parocho, vel eius Vicariis, nullamque audiant Missam, nullam faciant Communionem, nisi in ecclesia parochiali?

Resp. *Negative.*

XIII. An *dies Natalis Domini, Expositio XL Horarum, Hebdomada sancta* sint tam stricte de iuribus parochialibus, ut nihil valeat Episcopus statuere circa ea in favorem Communitatum?

Resp. *Negative in omnibus.*

XIV. An ius habeat parochus curare *de brevitate* aut *de solemnitate Officiorum,* quae fiunt ex ordinatione Episcopi in capellis publicis?

Resp. *Negative.*

XV. An diminutio, si quae fiat laboris, etiam oblationum, de qua queritur parochus ratione frequentationis capellarum publicarum, necessitatem imponat Episcopo eas interdicendi parochianis?

Resp. *Negative.*

XVII. An liceat Episcopo restituere in capella publica Missam suppressam a parocho, quam fideles ab Episcopo repetunt, utpote valde utilem pro adimpletione praecepti, quando urget, audiendi Missam?

Resp. *Affirmative.*

XIX. Baptismata sine dubio pertinent ad parochum, et revera omnes parochianorum infantes baptizantur a parocho in ecclesia parochiali. Quo concesso et non obstante, *an expediat abrogare usum* iamdiu usurpatum, quo *infantes expositi* baptizantur in Xenodochiis. Is autem mos ab omnibus Episcopis approbatur.

Resp. *Negative, dummodo adsint in Xenodochiis Capellani ad id specialiter deputati.*

XX. An in Communitatibus mulierum religiosarum possit Episcopus permittere *capellano* ministrare Viaticum et Extremam Unctionem *personis internis* quae eum habent in vita *Confessarium* et cupiunt eum habere solatorem in articulo mortis. Is mos ubique in Gallia viget.

Resp. *De iure non posse, nisi prius legitime declarata exemptione a iurisdictione parochi.* Attentis vero peculiaribus circumstantiis *servandum esse usum* in aliis Galliarum dioecesibus obtinentem, usque dum a S. Sede aliter fuerit statutum.

XXI. An diversi parochi ius habeant reclamare suos quisque parochianos, qui decedunt in Hospitali, ubi est capellanus licentiam habens ab Episcopo tumulandi ibi defunctos. — Ea licentia generaliter ab Episcopis conceditur ob bonum regimen Hospitalium, ut patet, nullo, nisi uno Parocho reclamante, et approbantibus administratoribus Hospitalium, qui aliud fieri probabiliter non sinerent?

Resp. *Negative, quatenus Hospitalis exemptus fuerit legitime declaratus a iurisdictione parochi.*

XXII. An funeralia exequiarum, quae fiunt a Capellano, pertineant ad parochum loci ubi situm est Hospitale, sive defuncti sint sui parochiani, sive aliorum?

Resp. *Spectare ad proprium cuiusque defuncti parochum, nisi constet de exemptione,* ut supra, *Hospitalis.*

XXIII. An ius habeat Parochus exigendi taxam exequiarum, quibus functus est capellanus Hospitalis, quasi peractae fuerint ab ipso in ecclesia parochiali?

Resp. *Affirmative, nisi constet,* ut supra, *de exemptione Hospitalis* (Vid. alia dubia et resolutiones apud *Supplem.* ad Ferraris vol. IX. cl. Bucceroni, v. *Parochus,* n. 7).

692. *Ex S. Congregatione Concilii die* 22 *Febr.* 1865.

a) Non licet Parocho inquietare Capellanos, imo et mulieres in Communitate religiosa viventes, ex eo quod illi impleant, et hae recipiant ministerium ab Episcopo demandatum sine approbatione, et contra voluntatem Parochi (Ad I).

b) In dictis capellis publicis celebrare licet unam aut alteram Missam lectam sive cantatam de consensu Episcopi diebus Dominicis et Festivis (Ad II).

c) Pro his Missis convocationem facere licet pulsatione campanae invito Parocho, et approbante Episcopo (Ad III).

§ XVI. *De decimis, primitiis et oblationibus.*

693. Decimae si *obiective* accipiantur definiri possunt: pars decima omnium fructuum iuste quaesitorum, quotannis ministris Ecclesiae solvenda ratione sacri ministerii pro eorumdem sustentatione. Si vero *formaliter* seu *iuridice* considerentur, decimae sunt *ius petendi* partem decimam ex fructibus omnibus iuste acquisitis, competens ministris Ecclesiae propter ministerium spirituale (Vid. Santi, *Praelect. Iuris Canonici,* lib. III, tit. 30, n. 1, edit. 1).

694. Decimae considerari possunt 1° quoad *substantiam,* quatenus sunt necessarium stipendium Ecclesiae ministris debitum ad eorum congruam sustentationem; 2° quoad *determinationem quantitatis* ab auctoritate ecclesiastica praefixae. *Quoad substantiam,* decimae sunt *iuris divini,* iuxta illud (Luc. 10, 7): *Dignus est enim operarius mercede sua.* Quoad autem *modum,* vel *mensuram,* seu *quantitatem* sunt iuris dumtaxat ecclesiastici.

695. Decimae aliae sunt *praediales,* aliae *personales,* aliae *mixtae. Praediales,* quae etiam *reales* dicuntur, sunt illae quae debentur ex fructibus praediorum; *personales,* quae solvuntur ex rebus,

quas sibi quisque acquirit opera et industria sua personali; *mixtae,* quae solvuntur quidem ex rebus ipsis, sed nonnisi interveniente industria et labore hominis; prout sunt pecorum foetus, lac, lana, etc.

696. Decimae debentur *Parocho,* utpote qui, iuxta Iuris axioma, fundatam in Iure habet intentionem ad percipiendas decimas, ubi huiusmodi decimarum ius adhuc viget: siquidem iuris canonici dispositiones quoad decimas non ubique receptae fuerunt, et in aliis regionibus sive illegitime sive legitime, puta per Concordata abrogatae sunt (Cf. Aichner, *Compend. Iuris Ecclesiast.* edit. 7, pag. 817).

697. Regula generalis est: Quemlibet baptizatum, qui de manu Sacerdotis tenetur Sacramenta percipere, teneri *per se loquendo* ad solutionem decimarum. Dicimus *per se loquendo,* quia obligatio solvendi decimas cessare potest pluribus causis vel modis: 1° *Privilegio Summi Pontificis,* quo quis eximatur ab ea solvenda: 2° *Consuetudine* legitime introducta vel praescripta, non tamen exclusa portione congrua, quae iure naturae seu divino debetur illi qui Altari inservit et spiritualia administrat: 3° *Remissione facta* ab eo, cui debentur: 4° *Transactione seu compositione* a Summo Pontifice peracta pro futuris decimis. Alia quamplurima quoad decimas vide penes Auctores tum Canonistas, tum Moralistas, qui omnes praesertim antiquiores, fuse hac de re agunt. Interim, si placet, consule Reiffenstuel, Zoesius, Santi etc. lib. V Decretal. tit. 30, *De decimis, primitiis et oblationibus.*

698. *An ad solvendas decimas teneantur Regulares?* Ad hanc quaestionem sic respondet S. Alphonsus, *De Privilegiis,* n. 87: « Quidquid sit de iure antiquo, hodie ex multis privilegiis Pontificiis omnes Regulares, etiam Moniales, cuiuscumque Ordinis (et etiam Equites Hierosolymitani) eximuntur a decimis non solum personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (si colentur a colonis) quam conductorum, ut emphiteuticarum... Notandum tamen, quod si transeant in dominium Regularium bona iam decimis obnoxia, remanent ipsa ad idem onus subiecta, ex pluribus Decretis S. C. et Rotae » (Vid. etiam *Salmant.* tract. 18, cap. 3, n. 60; *Santi,* loc. cit. n. 18; nec non infra dicenda *de Privilegiis Regularium*).

699. *Primitiae.* Primitiarum nomine intelliguntur *primi fructus,* puta agrorum, vinearum, hortorum, arborum, atque anima-

lium etc. Porro primitiae quoad *quantitatem* olim non erant determinatae, sed erant *arbitrio offerentium.* Postea vero ab Ecclesia certa portio seu quantitas ita fuit determinata relate *ad fructus agrorum,* ut nemo plusquam quadragesimam partem, et nemo minus quam sexagesimam dare posset de praedictis primis fructibus agrorum. Quoad *animalia* vero, ipsum primogenitum animal non in natura, sed eius aestimatio praestanda erat in portione, quae maior non esset quadragesima. Determinatio quantitatis facta fuit, ut habetur in Iure cap. I, hoc titulo, *propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis offerendis.*

700. Primitiae *de iure communi* debentur *Parocho,* uti decimae; primitiae enim inter iura parochialia recensentur. At hodie primitiae in desuetudinem abierunt (Cf. Reiff. h. t. n. 171 sqq.; Santi, loc. cit. n. 21).

701. *Oblationes.* Oblationes *generice* acceptae, sunt res illae omnes, quae Deo et Dei intuitu offeruntur ecclesiis, aliisque locis piis, aut etiam Sacerdotibus; in qua significatione veniunt etiam primitiae ac decimae. *Strictius* acceptae, prout ad propositum nostrum, oblationum nomine veniunt res illae, quas fideles sponte ac libere *Religionis intuitu* offerunt sive in Ecclesia ad Altare, sive in alio Ecclesiae loco, aut etiam extra Ecclesiam, puta, penes devotam Imaginem, eo fine ut in usum Ecclesiae, vel Ministrorum Ecclesiae cedant.

702. Hinc oblationum appellatione comprehenduntur non solum ea quae sub Missa a fidelibus offeruntur, sed etiam illa quae sine Missa in Ecclesia vel extra Ecclesiam offeruntur, ex. gr. pro purificatione mulieris, vel desponsationis, vel pro aliis similibus functionibus Sacerdotis, aut quae in Ecclesia, vel Oratorio, aut extra ad Imagines etc. offeruntur et collocantur (Cf. Reiff. lib. III, tit. 30, n. 179 sqq.).

703. *Ad quem pertineant descriptae oblationes.*

Omnes et singulae oblationes, quae intra limites Parochiae fiunt, sive in ecclesia parochiali sive in oratorio, vel alicui Imagini etiam in domo laici existenti, *de iure communi* ad loci Parochum spectant. Parochus enim habet fundatam intentionem in iure, ideoque oblationes fieri censentur Parocho ratione curae animarum,

administrationis Sacramentorum atque sacrarum functionum: *nisi tamen aliud habeat loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate.*

704. Quapropter si sufficienter constet, *offerentem velle,* ut oblationes suae ad ornatum vel fabricam Ecclesiae aut alterius causae piae applicentur, dictae intentioni satisfieri debet.

Item si alicubi legitime introducta *consuetudo* habeat, ut oblationes non ipsi Parocho, sed Ecclesiae vel alii loco pio vel causae etc. acquirantur, consuetudo observanda est. Et haec quidem consuetudo *pene universalis,* dicto fini et non Parocho, similes oblationes attribuit. *Vid. Fagnanum, cap. Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis, n. 29; Card. de Luca in Conc. Trid. discur.* 18, *n.* 5; *Reiff. lib.* III, *tit.* 30, *n.* 193.

705. Quare « *hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub Missis ad Altare fiunt et quae pro administratione Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialibus offeruntur, ad Parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicante* ». Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices,* octavo Idus Maii 1881. Relata verba sublineata sunt Anacleti Reiffenstuel, quibus Summus Pontifex usus est in statuenda proposita materia.

§ XVII. *Dubia et responsa circa decimarum solutionem, ex S. Poenitentiaria Apostolica.*

I.

706. Episcopus Callien. et Pergolan. S. Poenitentiariae sequentia proposuit dirimenda dubia:

1. An iurisprudentia S. P. eadem perseverat ac anno 1887? quo nimirum, die 2 Septembris litteras ad Ordinarios Italiae dedit declarantes, fideles non obstante civili lege abolitiva, ad decimas solvendas, aeque teneri, adeoque renuentes non posse absolvi?

2. Si decimarum debitores fundum deponere velint ad se suosque hac obligatione liberandos, exigine debet tanta pecunia, ut

eius reditus adamussim exaequet decimas ante persolutas, an aliqua concedi potest reductio?

3. Parochus potestne rogatus decimarum imminutioni consentire, dummodo ius decimandi agnoscatur a suis parochianis?

4. Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitentibus patribus-familias, quos certo scit vel dubitat nolle (etsi possint) decimas Ecclesiae persolvere, si ipsi hac de re in confessione sileant omnino?

S. porro Poenitentiaria die 8 Martii 1898 respondit:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. Quoties decimarum redemptio obtineri nequeat, et locus sit compositioni, iuxta litteras S. P. diei 2 Septembris 1887 num. 2, aequam reductionem concedi posse.

Ad 3. *Affirmative,* dummodo renuntiatio sit personalis, neque praeiudicium inferat iuribus successorum.

Ad 4. Confessarius se diriget iuxta regulas a probatis auctoribus traditas, praesertim vero a S. Alphonso *Theol. Mor. lib.* 6. *n.* 610.

II.

707. Episcopus Montis Alti exposuit, quod in sua dioecesi nonnulli parochi expostularunt a civili gubernio et obtinuerunt supplementum reditus, in quo computata fuit compensatio pro damno emergente ex abolitione decimarum. Unde parochiani arbitrati sunt se non amplius teneri ad solvendas decimas, ea potissimum ratione, quod quum parochi a Gubernio iam recipiant aequivalentem compensationem, si ipsi tenerentur illas solvere, praedicti parochi easdem bis perciperent, scilicet una vice ex parte Gubernii, in numerata pecunia, et altera vice ex parte parochianorum, in natura. Hinc Episcopus Orator duo sequentia proposuit dubia:

1. Utrum parochi teneantur ad inducendos parochianos, ut decimas solvant?

2. Utrum confessarii debeant negare absolutionem iis qui denegant solutionem in casu? Porro S. Poenitentiaria, die 7 Martii 1899 ita respondit:

S. Poenitentiaria ad utrumque dubium respondet: fideles in casu non esse inquietandos neque a parochis, neque a confessariis,

dummodo hae duae veriferentur conditiones: 1. quod supplementum aliunde a parochis acceptum, sit in compensationem decimarum et illas adaequet; 2. quod ipsi fideles parati sint stare mandatis Ecclesiae.

III.

708. Episcopus Urbaniae et Tiferni exponit, quod in suis dioecesibus quidam parochi petierunt atque obtinuerunt a Gubernio supplementum congruae, in quo aestimatae sunt compensationes pro damnis ex decimarum abolitione progenitis. Cum christifideles non pauci solvere decimas pergant, ad E. V. Rmam recurrit quaerens, num dicti parochi queant libere frui decimis quae a fidelibus persolvuntur, et compensatione seu supplemento, quod pro decimis abolitis a Gubernio, percipiunt.

S. Poenitentiaria Episcopo Oratori respondit:

« Quatenus parochi supplementum accipiant a Gubernio in compensationem decimarum, et illud decimas, quas antea percipiebant, adaequet; reliquum quod a fidelibus praestatur, erogandum in pias causas iudicio Ordinarii ».

Datum Romae a S. Poenitentiaria, die 20 Novembris 1902.

A. Carcani, *Regens.*
A. Martini, *Secretarius.*

IV.

709. Parochus N. N., dioecesis Callien., suo suorumque collegarum nomine exponit quod sequitur:

Noster Episcopus die 24 Novembris 1900 litteras misit ad parochos dioecesis, ut quoad decimarum materiam uniformiter conscientias dirigeret. In iis litteris normae continentur, circa quas hae declarationes requiruntur:

1. Quarta norma inculcat « non oportere fidelibus aperire quod solvere decimas non tenentur, sed esse relinquendos in sua opinione ». Nunc autem quaeritur: Quando datur casus, et is quidem non infrequens, quod parochus directe interrogetur a fidelibus de vigore aut cessatione obligationis, quid ipse respondere debebit?

2. Parochi qui decenter vivere nequirent solis lib. 900., illique magis qui ante decimarum sacramentalium abolitionem reditum habebant excedentem lib. 900., obliganturne hodie, ex norma sub numero quinto expressa, Episcopi dispositioni committere omnem decimarum proventum, quin ius habeant pro se retinendi vel illam partem quae necessaria esset ad antiquum proventum adaequandum?

3. In quocumque casu ac praecipue quando contingit quod Gubernium minime supplet quantum supplere deberet ne solos gravaret meliores, nonne temperari posset norma sub numero sexto posita, simulque parochi necessitati subvenire, ad faciliorem praecepti adimpletionem, Domino Episcopo facultatem tribuendo, ut aeque reducat, pro sua prudentia, antiquum tributum, ita ut hodie pro decima solvatur, v. gr. solum dimidia pars aut tertia eius, quod prius solvebatur?

S. Poenitentiaria Episcopo Callien. respondit:

Quaesita quod spectat circa decimas, S. Poenitentiariae proposita a quodam parocho dioecesis Callien., hoc S. Tribunal iudicavit non expediri solutionem directe ipsi oratori mittere. Idem S. Tribunal, suae praxi insistens simulque prae oculis habens iudicium expressum a D. V. Illma ac Rma in epistola diei 4 Augusti decurrentis, ad praedicta quaesita decernit:

1. Quoties parochus aut confessarius directe a fidelibus interrogetur de obligatione solvendi decimas etc., respondere debet obligationem adhuc existere, non obstante abolitione a lege civili decreta, cum haec minime competens sit in decernendis iis, quae ad Ecclesiam spectant. Pro casibus vero quibus fideles, praedicta obligatione non obstante, non forent inquietandi, sequantur responsa data ab hac S. Poenitentiaria D. V. Illmae ac Rmae, die 8 Martii 1898, necnon Episcopo Montis Alti, die 7 Martii 1899.

2. Parochi retinere possunt ex decimis, quae ipsis solvantur, eam partem quae necessaria est ad exaequandum integrum reditum paroeciae, quo fruebantur ante abolitionem, etiamsi hic lib. 900 excederet. Illi vero parochi qui nequirent decenter vitam transigere cum congrua lib. 900, notam facere debent Episcopo propriam conditionem, qui, si id necessarium iudicabit, poterit ipsis facul-

tatem tribuere retinendi aut ex toto aut ex parte decimas, etiam si nunc earum summa excederet reditum, quem antea habebant.

3. Quoad tertium quaesitum, queunt parochi, facultate a proprio Episcopo accepta, in casibus particularibus, ac ob speciales rationes, reducere temporanee fidelibus quantitatem decimarum quas deberent solvere, eam diminuendo usque ad dimidium ac etiam magis, attentis circumstantiis.

Haec D. V. Illma et Rma, iuxta opportunitatem modumque quem aptiorem reputabit, communicabit parochis et confessariis, ad declarationem et absolutionem litterarum iam editarum.

Datum Romae e S. Poenitentiaria, die 20 Novembris 1902.

A. Carcani, *Regens.*
A. Can. Martini, *Secretarius.*

CAPUT V.

De Seminario Clericorum.

710. *Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, et sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret:* Sacrum Concilium Tridentinum saluberrimo Decreto praecepit institutionem *Seminariorum,* in quibus scientiis bonisque moribus iuvenes seu Clerici informarentur *(Sess.* 23, *cap.* 18, *de Ref.).*

711. Ex eodem Tridentini capite ad *spiritualem* et *temporalem* Seminariorum regimen et administrationem *sex eligendi sunt deputati,* qui etiam Provisores et Consultores vocantur, quique pro distincto officio, duplicem Deputatorum speciem constituunt.

Prima species est eorum, quorum consilio uti debet Episcopus in iis quae spectant ad christianam et ecclesiasticam alumnorum educationem et disciplinam, utputa in regulis constituendis pro alumnorum directione, in electione librorum, in punitione vel ex-

pulsione discolorum, in introducendis novis pueris seu adolescentibus, in eligendis Magistris vel Professoribus, Rectore et Confessariis. Deputati huiusmodi esse debent *duo Canonici* ab Episcopo electi, aiente Tridentino: *Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit.*

Altera Deputatorum species est eorum, quorum consilio uti tenetur Episcopus in iis, quae concernunt *temporalium rerum administrationem.*

Hi *quatuor* esse debent; *duo* assumuntur ex Ecclesiae Cathedralis Capitulo, quorum unum eligit Episcopus, alterum Capitulum ipsum. *Alii duo* assumuntur ex Clero civitatis, quorum unus eligitur ab Episcopo, alter a Clero ipso (Vid. Trid. loc. cit.).

Collige ex dictis, Regulares cooptari non posse inter electores et eligendos in Deputatos Seminariorum. Sub verbo *Clerus,* quo in cit. cap. utitur Tridentinum, Sacerdotes tantummodo saeculares comprehenduntur; ita ut iuxta mentem Patrum Tridentinorum a praedicto Deputatorum munere Religiosi omnino excludantur.

Hinc cum quaesitum fuerit, an quidam egregius Pater Oratorii, seu S. Philippi filius cooptari possit inter electores et eligendos: S. Congregatio Concilii die 15 Iul. 1893, re disceptata, censuit respondere: *Negative.*

Si a munere Deputatorum Seminarii excluduntur Philippini, qui ceteroquin inter Regulares minime recensentur, potiori ratione excluduntur veri Regulares et etiam Sacerdotes Congregationum votorum simplicium (Cf. *Acta S. Sed. vol.* 26, *pag.* 174).

712. Quamvis Episcopus teneatur adhibere *consilium* Deputatorum, non tamen cogitur illud sequi. Hinc S. C. C. in *Ariminen.* 16 Febr. 1609 declaravit: Duos Canonicos ab Episcopo electos ad regimen Seminarii constituendum, neque in receptione alumnorum, neque in eorum electione, aliave re ad ipsius Seminarii directionem spectante, *quidquam curae habere, aut sibi vindicare posse absque Episcopo vel eius Vicario;* sed tantum debere Episcopum vel eius Vicarium in eiusmodi rebus ipsorum consilium requirere, licet illud sequi non teneatur (Vid. Giraldi, tom. III, pag. 983, sect. 109; *Acta S. Sed.* vol. 25, pag. 623-626).

713. Sex praedicti Deputati pro spirituali et temporali Seminarii administratione *perpetui* esse debent, ac ideo amoveri nequeunt, nisi ex iusta et legitima causa (S. C. C. ann. 1589, et die 24 Mart. 1736: Cf. Giraldi, tom. III, pag. 983, sect. 109; *Acta S. Sed.* vol. 12, pag. 496, IV).

714. Quoad administrationem *temporalem* quatuor esse debent, ut dictum est, Deputati a Concilio Tridentino praescripti. Iam vero a S. C. eiusdem Concilii die 21 Iunii 1879 declaratum est, quod *nihil impedit quominus iidem a Capitulo eligantur, qui iam ab Episcopo electi sunt pro administratione spirituali* (Apud *Act. S. Sed.* loc. cit. pag. 495).

715. Si Seminaria tradita sint *curae et regimini alicuius Ordinis regularis,* electio Rectoris, aliorumque Religiosorum eisdem Seminariis inservientium, spectat ad Praepositum seu Superiorem Generalem, ita tamen, ut Seminarium sit sub patrocinio, protectione et subiectione Episcopi, eiusque alumni nominentur ab Episcopo (Cf. Bened. XIV, *de Syn.* lib. V, cap. XI n. 4-9; Giraldi, tom. III, pag. 984, sect. 110).

CAPUT VI.

Pontificia dispositio pro Clericis et Sacerdotibus studiorum causa Romam contendentibus.

716. Summus Pontifex Pius PP. X per Litteras (1) ad Emum Cardinalem Urbis Vicarium missas praecipit, ut Clerici et Sacerdotes omnes, studiorum causa Romam petentes, Seminaria vel Collegia ecclesiastica ingrediantur.

.... Convicti ac suasi, inquit Pontifex, de necessitate, eos, qui ad Sacerdotium tendunt, in Seminariis instituendi, ut vocatio ad ecclesiasticum statum conservetur atque excolatur, necnon ut verae vocationes a Superioribus, qui *bonum testimonium,* priusquam super ipsos aspirantes imponantur manus, reddere tenentur,

(1) Harum Litterarum textus italicus *(originalis)* et versio latina prostant penes *Acta S. Sed.* vol. 36, pag. 655 et 707.

melius dignosci queant; suasi quod ii, qui veram vocationem habent, nihil magis optent quam huiusmodi diversoria ingredi, ubi coelestibus Spiritus Sancti charismatibus praeparantur ad missionem, ad quam divinitus sunt vocati (et qui aliter sentit, de suae vocationis veritate et sinceritate dubitari sinit); voto quod omnes, qui ad Sacerdotium vocatos se esse credunt, inde a primis annis, si possibile esset, haec pietatis studiique hospitia ingrediantur, plene confirmantes quae Tu, Eminentissime Domine, hisce tribus posterioribus annis, ad rem disposuisti per litteras circulares ad Rmos Italiae Ordinarios missas; haec insuper statuere decrevimus:

1° Omnes Clerici Diocesis Romanae, quemadmodum ex variis Italiae Dioecesibus studiorum causa a suis Revmis Ordinariis Romam missi, in aliquo Seminario aut Collegio ecclesiastico convictores sint oportet.

2° Ut, quo fieri potest, iis Dioecesis Romanae aspirantibus provideatur, qui mercedem solvere non poterunt, loca gratuita Seminarii Romani studentibus Theologiae in dicta conditione positis reservata volumus, ac tantummodo, aspirantibus Theologis deficientibus, studentes Licei iisdem gaudere posse. Volumus praeterea ad huiusmodi loca studentes quoque origine non Romanos nominari posse, dummodo ratione domicilii ad hanc Dioecesim pertineant.

3° Sacerdotes qui ad petitionem suorum Episcoporum ex Italiae Dioecesibus Romam venient, sive ut perficiantur in Philosophia et Theologia, sive ut scholis iuris canonici et civilis adscribantur in ecclesiasticis Institutis, sive pro studiis Universitatis, sive etiam pro praxi in Sacris Congregationibus Romanis, quoddam Seminarium aut Collegium ecclesiasticum veluti alumni ingredi debebunt.

4° Studentes exteri, una cum litteris suorum Revmorum Ordinariorum commendatitiis, in Collegiis respectivarum Nationum, quibus deficientibus, in alio Collegio ecclesiastico locum sibi parare tenebuntur.

5° Vi harum dispositionum in Collegiis Urbis saecularibus, quamvis sub ecclesiasticorum regimine, recipi nequeunt Clerici et Sacerdotes ad munus praefectorum exercendum. Dolorem parit quod dicta Collegia privari debeant iuvenibus studentibus, qui ecclesiastico habitu huiusmodi officio funguntur; at huic necessitati, cui

tempore opportuno singulorum Institutorum Directores providere poterunt, praevalere debet necessitas in spiritu ecclesiastico illos iuvenes efformandi Seminariorum disciplina.

6° In nullo Seminario vel Collegio ecclesiastico Urbis uti alumnus recipi poterit, nisi qui sui Ordinarii petitionem exhibeat, qui, studiis expletis, aut quum aliis de causis Superiores existimarent eum dimittendum esse, in sua Dioecesi eumdem recipere sese obliget. Citatae petitiones a Nostro Vicariatu recognoscendae erunt.

7° Universitates Gregoriana et Minervae, Seminaria Romanum et Vaticanum et Collegium de Propaganda fide veluti ordinarium auditorem ad lectiones admittere nequibunt Clericum aut Sacerdotem quin probationem in scriptis, quod sit alicuius Seminarii vel Collegii ecclesiastici convictor, praeferat. Pro Sacerdotibus Romanis licentia in scriptis huius Vicariatus requiratur. Hae dispositiones robur obtinent etiam pro ecclesiasticis praxim in Romanis Congregationibus exercere cupientibus.

8° Qui quartum Theologiae annum non expleverit, eiusque specimen non exhibuerit, et per tres annos in aliquo Seminario vel Collegio ecclesiastico alumnus non fuerit, ad Presbyteratum non poterit promoveri.

Has dispositiones, Eminentissime Domine, congruo tempore Tibi communicamus, ut Tuo illuminato zelo pro Nostrae Dioeceseos regimine, anno scholastico proxime adventuro scrupulosam earum observantiam praecipias et invigiles, non obstante quacumque consuetudine aut privilegio in contrarium.

Et Tibi Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Ex Aedibus Vaticanis in festo S. Pii V, anno 1904.

PIUS PP. X.

CAPUT VII.

Clerici quoad excardinationem.

717. Emi Patres S. Congregationis Concilii sub die 20 Iulii 1898, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt circa Clericorum excardinationem:

1° Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

2° Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constit. *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit.

3° Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4° Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit, absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et nieminerint, quod sicut « nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis », ut in cap. 16, sess. 23, de Reform., Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

5° Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6° Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. *Speculatores,* quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare di-

gnata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus (*In Supplemento* ad Ferraris vol. IX, v. *Clericus* n. 12).

CAPUT VIII.

De gradibus academicis, seu de Magistris, Licentiatis et Baccalaureis (1).

718. Loquentes de gradibus academicis volumus in antecessum monitos lectores, non esse nobis propositum de iisdem agendi ex professo et ordine fere logico; id enim esset fere impossibile, cum quaelibet universitas vel institutum seu collegium, debita facultate instructum gradus academicos conferendi, propria statuta habeat, iuxta quae in collatione dictorum graduum procedere tenentur. — Item in recensendis quibusdam privilegiis, quae adnotantur a Canonistis, praesertim antiquis, non ideo sustinemus ea omnia adhuc vigere. Quoad privilegia seu honorificentias, Magistri et Licentiati ea conspiciant in legibus sui instituti vel in diplomatibus quibus donantur. — Cf. si lubet, responsa S. Congregationis Studiorum diei 21 Mart. 1900, relata in *Acta S. Sed.* vol. 33 p. 417. sq.

§ I. *Explicatio dictorum nominum.*

719. Etsi generatim loquendo nomine *Magistri* veniat quilibet praeceptor cuiuscumque Disciplinae, tamen ad propositum sub nomine *Magistri* venit omnis et solus ille, qui in scientia seu facultate *Theologica,* vel *Iuridica,* vel *Medica,* vel *Philosophica* SUPREMUM GRADUM et INSIGNIA legitime consecutus fuerit. Quo in sensu Magistri non distinguuntur a *Doctoribus,* ut probant Canonistae ex Iuris textibus.

720. Verum quamvis de Iure ita res se habeat, tamen vel ex consuetudine vel ex particularibus Statutis factum est, ut alicubi supremam lauream consecuti in Theologia, non *Doctores*, sed *Ma-*

(1) Cf. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Zoesius, Santi etc. in Lib. V Decretal. tit. V; Lezana, v. *Litterae Apostolicae;* Ferraris, v. *Magister.*

gistri in Theologia appellentur; supremam vero lauream obtinentes in Iure vel Medicina, *Doctores Iuris civilis* vel *utriusque Iuris*, et *Doctores Medicinae vocentur*.

721. Magistris seu Doctoribus affines seu proximi sunt *Licentiati*, quorum nomine veniunt illi, qui supremum in aliqua facultate, sive *Theologica*, sive *Iuridica*, sive *Medica* gradum Doctoratus seu Magisterii insignia publice capessendi, quando volunt, *licentiam* seu *facultatem habent*, eo quod pro talibus post praevium examen non tantum digni iudicati, sed ut Licentiati rite et solemniter declarati sunt.

722. Licentiatis paulo inferiores sunt *Baccalaurei*, quorum appellatione veniunt illi qui in scientia vel facultate aliqua sui profectus primum testimonium primumque gradum sunt adepti; quod pro locorum diversitate, inquit Reiffenstuel, loc. cit. n. 5, varie contingit. (In Universitate Ingolstadiensi ex. gr. *Baccalaurei* creabantur ad finem primi vel initium secundi anni Philosophiae; ex Theologia vero ad finem secundi, aut initium tertii anni).

723. Magistri seu Doctores, qui lauream Magisterii seu Doctoratus in facultate *Theologica* vel *Iuridica*, tum canonica tum civili, vel *Medica* aut *Philosophica* legitime sunt consecuti, variis gaudent privilegiis, ex quibus sequentia notamus, praetermissis textibus Iuris, qui legi possunt penes Reiffenstuel et Ferraris.

Primum est, quod nobilibus adnumerentur, veramque nobilitatem consequantur.

Secundum est, quod a plebeia conditione exempti, in dignitate censeantur constituti.

Tertium est, quod exempti sint ab oneribus tam realibus quam personalibus.

Quartum est, quod Magistri et Doctores, criminum rei, mitius puniendi sint, quam plebei.

Quintum est, quod Magistri et Doctores, ceteris paribus, in assequendis Dignitatibus et Beneficiis ecclesiasticis, aliis praeferri debent. — Alia privilegia recensentur a Schmalzgrueber loc. cit. n. 4 sqq.

724. Praeter enumerata cunctis Magistris et Doctoribus communia privilegia, Magistri et Doctores, *qui actu docent* Theologiam

vel Ius canonicum in aliquo studio *Generali* vel *Universitate* percipiunt fructus Beneficii ecclesiastici, quod possident, etiam tempore, quo causa docendi absunt, licet per plures annos abessent. Non tamen percipiunt distributiones quotidianas.

725. In favorabilibus nomine Magistrorum et Doctorum veniunt etiam *Licentiati,* ita ut etiam illorum privilegiis supra descriptis fruantur. Hinc est quod Concilium Tridentinum (*sess.* 22 *de Reform. cap.* 2, *et sess.* 24 *de Reform. cap.* 12) in assequendis Dignitatibus ac Beneficiis, Licentiatos aequiparat Doctoribus.

Limitatur tamen assertio in executione Litterarum Apostolicarum, quas *Doctori* vel *Magistro inscriptas* aperire et exequi non potest Licentiatus.

An illicitum simulque *simoniacum* sit aliquid exigere *pro licentia docendi?*

Respondemus ut sequitur:

a) Certum est, quod ad abusus compescendos, qui tempore Alexandri III in Universitatibus irrepserunt, quatenus ingens pecuniae summa exigeretur a discipulis pro licentia docendi, plures Pontifices prohibuerunt, ne aliquid exigeretur *pro licentia* docendi, maxime, quia ob huiusmodi abusus iuvenes pauperes, destituti facultatibus, non poterant studiis vacare, et tantummodo divites poterant gradus academicos assequi.

b) Certum pariter est ex unanimi sententia Doctorum et ex claris Iuribus cap. 1, 2 et 3, h. t. non licere pro *licentia* docendi aliquid exigere, et hoc patet etiam ex rubrica huius tituli V, quae sic se habet: *De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi;* quae rubrica, cum sensum perfectum habeat, ex communi regula vim iuris obtinet. Utrum sit etiam simoniacum, de iure tamen ecclesiastico, Doctores communius negant.

c) Verum, subiungit cl. Professor Romanus Franciscus Santi, ex consuetudine inductum est, ut modica lucra possint percipi in experimentis, quae iuvenes subeunt ad licentiam docendi assequendam, seu ad obtinendos gradus academicos. Hinc est, quod pro qualibet Academia seu Universitate studiorum *sua taxa* expensarum, iuxta indigentias locorum, constituta fuisse cernatur. Pro Universitate Romana et Bononiensi lata est Constitutio Iulii III *Cum*

sicut diei 6 Febr. 1552, in qua cautum fuit, ut a pauperibus adolescentibus ceteroquin idoneis, nihil exigeretur ad concedendos eisdem gradus academicos (Giraldi, tom. 2, p. 603 circa initium).

d) Addi ulterius potest, quod etsi prohibitum sit aliquid accipere *pro ipsa licentia* docendi, non idem dici potest, si aliquid accipiatur pro *labore,* qui impenditur in examinandis Candidatis seu aspirantibus ad gradus academicos (Cf. Schmalz. n. 46).

726. *Prohibetur cumulatio studiorum Theologiae et Iuris canonici, nec non simultanea frequentia duarum Universitatum ad academicos gradus obtinendos.*

Sacra Congregatio Studiorum de mandato Summi Pontificis Leonis XIII sub die 11 Iulii 1896, quoad studia et academicos gradus haec decrevit:

1° Quicumque eodem anno sequi velit duplicem cursum *theologicum* et *legalem* ius amittet ad gradus academicos in utroque cursu.

2° Superiores cuiuslibet scholae, lycei vel Universitatis, antequam alumnos admittant ad experimentum pro gradibus, exigere debent a candidatis attestationem qua constet, ipsos eodem tempore inscriptos non fuisse in alio Instituto.

3° Nemo ad scholam *textus canonici* erit admittendus, nisi in scriptis probet se per unum annum vacasse *Institutionibus iuris canonici* penes aliquod lyceum vel Seminarium.

Insuper iniunxit Sanctitas Sua, quod pro studio *textus canonici* impendi debeat *integrum biennium* cum binis scholis seu lectionibus, matutina scilicet et vespertina; simul commendans respectivis Professoribus, ut ample et profunde tractent omnes canonicas materias cum debitis applicationibus iuri nunc in Ecclesia vigenti.

Haec et *plura alia* inveniuntur sancita in *Epist. encycl.* S. C. Stud., quae in textu italico refertur in *Supplem.* ad Ferraris vol. IX, verb. *Gradus Academici.* Haec tamen dispositio respicit praecipue Instituta et Alumnos ecclesiasticos Urbis Romae seu in Urbe studio vacantes et obtinere cupientes *gradus academicos.*

Doctoris laurea concessa a S. Congregatione Studiorum non est mere honorifica.

Proposito dubio: An doctoris laurea quae a S. Sede per S. Congregationem Studiorum amplissimis viris concedi solet, sive in Theologia sive in Iure Canonico, nullo facto periculo, sed tantum propter eorumdem praeclara merita rite probata, habeat omnia iura et privilegia quae habet doctoris laurea a candidatis in catholicis universitatibus per factum periculum acquisita, vel potius habenda sit solummodo honorifica?

S. Congregatio Studiis moderandis praeposita, die 18 Dec. vertentis anni 1903, respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad alteram. Quam sententiam approbavit Summus Pontifex Pius X.

Litterae Apostolicae Summi Pontificis Pii PP. X. De Academicis in Sacra Scriptura gradibus a « Commissione » Biblica conferendis.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

727. Scripturae Sanctae magis magisque in Clero promovere studium, conscientia Nos Apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinae revelationis fideique fontem videmus ab intemperantia humanae rationis passim in discrimen adduci. Id ipsum quum intelligeret Noster fel. rec. Decessor Leo XIII, non satis habuit dedisse anno MDCCCXCIII proprias de re biblica Encyclicas litteras *Providentissimus Deus;* nam paucis ante exitum mensibus, editis Apostolicis litteris *Vigilantiae,* peculiare instituit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus pluribusque aliis doctis viris urbanum Consilium, quod praelucente doctrina et traditione Ecclesiae, etiam progredientis eruditionis praesidia conferret ad legitimam exegesim biblicam, et simul catholicis praesto esset, tum ad adiuvanda ac dirigenda eorum in hoc genere studia, tum ad controversias, si quae inter ipsos extitissent, dirimendas.

Nos quidem, ut par est, praeclarum istud pontificalis providentiae monumentum a Decessore relictum, Nostris quoque curis et auctoritate complectimur. Quin etiam iam nunc eiusdem Consilii

seu *Commissionis* navitate confisi, ipsius operam in negotio, quod magni censemus esse momenti ad Scripturarum provehendum cultum, adhibere constituimus. Siquidem hoc volumus certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinae commendati, in scholis catholicis divinos interpretentur Libros. Huius rei gratia percommodum profecto esset, quod etiam in votis Leonis fuisse novimus, proprium quoddam in Urbe Roma condere Athenaeum altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri. At quoniam eius perficiendae rei deest in praesens Nobis, non secus ac Decessori, facultas, quae quidem fore ut aliquando ex catholicorum liberalitate suppetat, spem bonam certamque habemus, interea quantum ratio temporum sinit, id, harum tenore litterarum, exsequi et efficere decrevimus.

Itaque, quod bonum salutareque sit, reique catholicae benevertat, Apostolica auctoritate Nostra, Academicos prolytae et doctoris in Sacrae Scripturae disciplina gradus instituimus, a *Commissione* Biblica conferendos ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Nemo ad academicos in Sacra Scriptura gradus assumatur, qui non sit ex alterutro ordine Cleri sacerdos; ac praeterea nisi doctoratus in Sacra Theologia lauream, eamque in aliqua studiorum Universitate aut Athenaeo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus.

II. Candidati ad gradum vel prolytae vel doctoris in Sacra Scriptura, periculum doctrinae tum verbo tum scripto subeant: quibus autem de rebus id periculum faciendum fuerit, *Commissio* Biblica praestituet.

III. *Commissionis* erit, explorandae candidatorum scientiae dare iudices: qui minimum quinque sint, iique ex consultorum numero. Liceat tamen *Commissioni* id iudicium, pro prolytatu tantummodo, aliis idoneis viris aliquando delegare.

IV. Qui prolytatum in Sacra Scriptura petet, admitti ad periculum faciendum, statim ab accepta sacrae Theologiae laurea, poterit: qui vero doctoratum, admitti non poterit, nisi elapso post habitum prolytatum anno.

V. De doctrina examinanda candidati ad lauream in Sacra Scriptura, hoc nominatim cautum sit, ut candidatus certam thesim, quam ipse delegerit et *Commissio* Biblica probaverit, scribendo explicet, eamque postea in legitimo conventu Romae habendo recitatam ab impugnationibus censorum defendat.

Haec volumus, edicimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus. — Restat, ut Venerabiles Fratres Episcopi ceterique sacrorum Antistites in suae quisque dioecesis utilitatem ex hisce statutis Nostris eum fructum quaerant, quem inde Nobis uberem pollicemur. Ideo, quos in suo Clero viderint singularibus Bibliorum studiis natos aptosque, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia hortentur et adiuvent: insignitos porro habeant potiores quibus in Sacro Seminario Scripturarum magisterium committant.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIII Februarii, festo S. Petri Damiani, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo. A. Card. MACCHI.

E S. Congregatione Episcoporum et Regularium 19 *Apr.* 1904.

728. *Regulares obtinere possunt habitualem facultatem pro assequendis gradibus academicis in Sacra Scriptura* (1).

Sanctitas Sua, cupiens ut alumni quoque Cleri Regularis, qui studia biblica excoluerint, gradus academicos, quos Commissio biblica vi Litterarum Apostolicarum volventis anni concedendi facultate pollet, obtinere possint, statuere dignata est, ut peculiaris facultas, qua alumni Ordinum religiosorum ad academicos gradus consequendos indigent, a S. C. Episcoporum et Regularium concedatur quod pertinet ad studia biblica, *per modum habitualem,* non autem per modum actus singulis vicibus, veluti statuta plurium Ordinum religiosorum pro aliis gradibus academicis praescribunt.

Dum P. T. hanc Pontificiam dispositionem communico, Tibi adprecor a Domino omnia bona.

D. Card. Ferrata, *Praef.*

Rmo P. Min. Gli Min. Philip. Giustini, *Secret.*

---

(1) Cf. *Acta S. Sed.* vol. 37, pag. 24; *Acta Ord. Min.* ann. XXIII, pag. 192, ubi reperies originalem textum italicum.

§ II. *Doctores seu Magistri in Ordinibus Regularibus.*

729. Ad clariorem rei notitiam animadvertatur, quadruplicis generis Magistros in Theologia et Doctores in Iure canonico reperiri vel saltem reperiri posse in Religionibus, alii enim sunt:

1° Qui lauream Magisterii seu Doctoratus in aliqua approbata Universitate susceperunt.

2° Alii sunt qui praedictam lauream in aliquo Collegio sui Ordinis, habente facultatem *a Sede Apostolica* ad id faciendum, susceperunt.

3° Alii sunt, qui praefatam lauream Doctoratus accipiunt ab aliquo Superiore, puta, Generali Ordinum *ex speciali privilegio* Sedis Apostolicae.

4° Alii tandem sunt, qui nullo ex praedictis modis lauream Doctoratus seu Magisterii susceperunt, sed solum propter litterarum exercitia ab eis praestita, Magistri in Ordinibus creantur ab eorum Superioribus cum aliquibus privilegiis, iuxta varia Ordinum instituta (Lezana, v. *Litterae Apostolicae,* n. 14).

730. Quibus praemissis, quaeri potest: quinam sint in Ordinibus Regularibus (in rigore Iuris) Magistri in Theologia, vel Doctores Decretorum sive Iuris Canonici?

Responsum patet ex dictis: scilicet illi sunt, qui Magisterii vel Doctoratus lauream *in aliqua approbata Universitate, vel in aliquo Collegio* ius habente ab Apostolica Sede conferendi lauream assecuti sunt; vel eamdem obtinent a Ministro Generali *ex speciali privilegio* Apostolicae Sedis, quod concessum refertur Rmo P. Theodoro Stratio Generali Ordinis Carmelitici, quatenus tempore visitationis Ordinis posset ad gradus Magisterii in sacra Theologia promovere aliquos Religiosos alumnos idoneos repertos, illisque Magisterii et Doctoratus insignia auctoritate Apostolica conferre (Lezana loc. cit.).

731. Etiam Bouix (*De Iure Regularium* tom. II, pag. 61, edit. 3) hanc quaestionem ponit:

An Regulares possint promoveri ad Doctoratum etiam extra publicas Universitates, id est, auctoritate Praelatorum Religionis?

« Respondendum, *posse ex privilegio Apostolico.* Cuiusmodi privilegium datum est Dominicanis ab Innocentio VIII, et Societati Iesu a Iulio III. Atque *ob privilegiorum communicationem* « id etiam aliis Religionibus competit. Imo Pius IV dictae Societati Iesu concessit, ut doctorare etiam posset saeculares, qui in ipsius Collegiis studia peregerint » (Vide Pellizarium, tract. 8, cap. 4, n. 34).

Sanctorus de Melphi O. M. in opere cui titulus: *Morales commentarii in Statuta et Constitutiones O. FF. Min.* edito Romae ann. 1643 pag 448, narrat « post separationem Observantiae a Conventualitate desierunt Observantes Magisterio laureari, Provinciis tantum Franciae, Turoniae, et S. Bonaventurae in magno Parisiorum Conventu hac facultate relicta, iuxta earumdem Provinciarum privilegia in generali Parisino Capitulo ann. 1579 approbata. Ne autem virtuti debitus honor detraheretur, introductum est, ut emeritis Lectoribus aliqua privilegia concederentur, quae fovendae quidem superbiae non inservirent, virtutis vero ex animo amplectendae incitamenta praeberent ». Quae porro dispositio ob mutata temporum hominumque adiuncta nullam hodie obligationem inducit, ita ut alumni Minoritae probi et apti, servatis servandis, scientibus et concedentibus legitimis Superioribus, licite possint pro consequendis gradibus academicis concurrere.

Et hic meminisse expedit, Seraphicum Patriarcham S. Franciscum, licet suam Regulam in paupertate et humilitate constituerit, tamen scientiarum amicum se ostendit, ita ut in suo testamento filiis suis reliquerit: « *Et omnes Theologos et qui ministrant nobis verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam* ».

732. *Lectores Iubilati* Ordinis Minorum, qui triennio Philosophiam et decennio Theologiam legerint, gaudent privilegiis, quibus alii Regulares Doctores Artium et in sacra Theologia Magistri fruuntur, idque ex concessione Innocentii XI, Brevi *Exponi Nobis* diei 27 Nov. 1679; ubi haec leguntur: « Omnibus et singulis memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia *Lectoribus Iubilatis* praesentibus et futuris, ut quascumque Literas per officium Poenitentiariae Apostolicae huiusmodi pro tempore expeditas, quae Doctoribus Artium seu Magistris in sacra

Theologia directae fuerint, *recipere, aperire, ac iuxta illarum formam et tenorem executioni mandare,* nec non, *quoad alias functiones et literarias quaslibet,* omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, gratiis et indultis, quibus Fratres expresse professi aliorum Ordinum, Doctores Artium et in sacra Theologia Magistri, tam de iure, usu et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libere, licite et valide possint et valeant, *Auctoritate Apostolica,* tenore praesentium concedimus et indulgemus ». (Vid. *Breve* per extensum *apud Chronolog. Ord. Min. Perusini* tom. I, pag. 182; et cf. Ferraris, v. *Executor,* n. 41; n. 34; Giraldi, tom. II, pag. 549; *Nouv. Rev. Théolog.,* tom. 14, pag. 641, nota 3).

733. Infertur, Lectores Ordinis Minorum, qui post peractam statuto tempore Lecturam, per Ordinis Constitutiones vocantur et sunt *Lectores Iubilati,* ex speciali privilegio Apostolico *aequiparari Magistris et Doctoribus* in aliqua publica Universitate laureatis.

Hinc est, quod in quibusdam Collegiis Theologicis, ex Doctoribus laureatis constantibus, quibus ius est, servatis servandis, lauream doctoratus seu magisterii conferre, admittuntur inter Doctores, praedictum Collegium componentibus, etiam *Lectores Iubilati.*

734. *Declarationes quoad praefatos Doctores. a)* Sacra Rituum Congregatio, die 23 Maii 1846 sic declaravit: Regulares, qui, ad tramitem Constitutionis Ordinis proprii, assecuti sunt *gradum Doctoris* in sacra Theologia, gaudent huius Tituli honoribus inter Regulares tantum; *ast non amplius, dimisso Religionis habitu* (N. 2907 ad 4).

b) Doctoratus qualitas *non dat praecedentiam* supra Canonicos (Die 1 Sept. 1877 N. 3435). Doctor vel Magister Theologus nequit adhibere in Choro *biretum* doctorale (N. 2877).

c) Doctor Canonicus non potest uti *anulo* in celebratione Missae (N. 3580 ad 7).

735. *Speciale privilegium concessum Patribus Confessariis Societatis Iesu quoad executionem Litterarum Sacrae Poenitentiariae.*

Gregorius XIII Const. *Exponi nobis,* die 3 Apr. 1582, concessit, ut Litteras sacrae Poenitentiariae aperire et exequi possint Patres Confessarii Societatis Iesu, non quidem omnes, sed illi qui ab eorum Praeposito Generali, vel de eius licentia ab aliis Societatis Superioribus designati fuerint, et a locorum Ordinariis approbati vel approbandi, *etiamsi nullo gradu sint insigniti.* Vid. Const. penes Lezanam, v. *Litterae Apostolicae,* n. 15; Ferraris, loc. cit. n. 42; et vid. Reiff. ibid. loc. cit. n. 5 sqq.; *Nouv. Rev. Théol.* p. 641 sq.

736. Idem posse ex communicatione cum privilegiis Societatis alios Mendicantes, communiter tenent Doctores contra Lezanam, qui putat dictum privilegium fuisse tantum concessum tunc praesenti Praeposito Generali P. Claudio Acquaviva, et ad successores non transiisse, consequenter nec ad alios Regulares vi communicationis privilegiorum.

Verum in hac opinione Lezana communiter refutatur, quia Pontifex dictum privilegium... « non concessit nominatim P. Claudio Acquaviva, sed universaliter *Praeposito Generali* »... (Vid. Giraldi, tom. II, p. 549, ubi plura ad rem).

Ceterum non videtur hodie Sacra Poenitentiaria, saltem in aliquibus regionibus, requirere in Confessario pro executione Litterarum S. Poenitentiariae, lauream Doctoratus (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 44; *Nouv. Rev. Théol.* tom. 14, p. 641, n. XXVII).

737. *Super concessione titulorum et privilegiorum in Ordinibus Regularibus.*

Cum in pluribus Religionibus nimis excresceret numerus Religiosorum *privilegiatorum,* ut frui possint honoribus officiorum, quae minime exercuerant, specialis Congregatio Emorum Cardinalium ad S. Congregationem Ep. et Reg. pertinentium, die 8 Febr. 1718, prohibuit, ne in posterum huiusmodi privilegia concederentur (Vid. Bizzarri, *Collectanea,* p. 338, edit. 1ª).

738. *Circa gradum Ex-Generalis.*

In Audientia SSmi die 24 Iul. 1757 Sanctitas Sua mandavit, ut in posterum quoties per S. Congregationem Ep. et Regul. iustis de causis concedatur alicui Religioso gradus *Ex-Generalis,* semper apponatur clausula, quod expediatur per Breve (Bizz. *Collectanea,* p. 427).

CAPUT IX.

Statuta Pontificiae facultatis iuris canonici in collegio Sancti Thomae Aquinatis Romae sub Patrum Ordinis Praedicatorum regimine erectae (1).

Caput I.

De Facultatis erectione et membris.

739. I. Penes Collegium Sancti Thomae Aquinatis Romae sub Patrum Ordinis Praedicatorum regimine, auctoritate Pontificia erigitur et canonice instituitur Facultas Iuris Canonici cum privilegio Apostolico gradus omnes academicos conferendi clericis, sive propriis sive externis, qui eius scholas rite celebraverint.

II. Praeses Facultatis est Magister Ordinis Generalis pro tempore, cuius curis tota Facultas committitur: ipsi ius esto et munus Professores eligere, alumnos recipere, conventus Facultatis convocare eisque praeesse, programmata studiorum et examinum adprobare, examinibus praeesse et suffragium ferre, diplomata graduum conferre omniaque denique providere, quae ad Facultatis decus et incrementum, nec non ad solidam alumnorum in disciplinis canonicis institutionem spectant.

III. Praesidis vices in omnibus suppleat Regens studiorum, iuxta Ordinis constitutiones, pro tempore extans in Collegio Sancti Thomae: Ipse in Facultate Canonica sicut in Philosophica et Theologica penes Collegium erectis munus Praefecti studiorum agat in omnibus, quae alumnorum frequentiam et Professorum diligentiam respiciunt, et praesertim sedulo invigilet, ut quae de studiorum ratione in statutis praescribuntur, fideliter executioni mandentur.

IV. Praeter Praesidem et studiorum Regentem, membra Facultatis sunt Professores et Doctores a Generali selecti, cum iure suffragia ferendi de alumnorum scientia per examina ad gradus experienda.

---

(1) Haec Statuta afferuntur tamquam specimen pro norma concurrentium ad lauream doctoralem, et ea reperies etiam apud *Acta S. Sed.* vol. 29, pag. 371.

V. Facultas in tutelam fidemque sese recipit Sancti Thomae Aquinatis, quem omnium studiorum Patronum Summus Pontifex Leo XIII scholis praeposuit, nec non Sancti Raymundi de Pennafort, cuius praeclara in scientia iuris canonici merita nedum Patrum Praedicatorum Ordo, sed et omnes iam a saeculis per orbem praedicant iuris magistri.

In utriusque patroni festivis diebus, solemniis aderunt omnes alumni et Professores in Ecclesia Facultatis peragendis, et scholae vacabunt.

Caput II.

De Professoribus et de alumnorum receptione.

VI. Enitendum est, ut pa Professoris munus non vocentur nisi qui Doctores sint in iure canonico, vel quos saltem ex Ordinis constitutionibus certo constet gradu Magistri et Doctoris condecoratos, idoneos esse ad disciplinas canonum edocendas. Eos Praeses eligit ex sui Ordinis Patribus, vel, si ei placuerit, ex Doctoribus externis.

VII. Pro institutionibus iuris publici ecclesiastici et privati et pro textu explanando tres distincti nominentur Professores, quibus alii adiici poterunt, item a Praeside nominandi, qui eorum vices supplere possint, si morbo aut aliquo impedimento praepediti fuerint ad lectiones habendas.

VIII. Quum clerici Facultatis scholas celebrantes, cursuum triennio rite absoluto et examinum feliciter facto periculo, Doctores et Magistri renunciari iure debeant, enixe hortandi sunt Professores omnes, ut ampliori et profundiori, qua fieri poterit, ratione, materiae pertractentur et genuina in fontibus hauriatur doctrina, subsidio haud omisso melioris notae auctorum sive veterum sive recentiorum, qui solide et altius ius canonicum interpretati fuerint.

IX. Liber instituendus a Praefecto Studiorum est, in quo alumni omnes inscribi quotannis debent; eorumque adnotanda nomina et Dioeceses, nec non cursus, quem sequi quisque optet.

X. Nemo ad Facultatis cursus recipiatur, qui theologiae studia adhuc non absolverit.

XI. Qui studiis Institutionum in alia Universitate vel in aliquo Seminario, in quo constet eas rite tradi, vacaverit, quin baccalaureatus gradum receperit, poterit in Facultatis secundum cursum recipi: sed districtum ab eo subeundum erit examen de universa materia Institutionum iuris publici et privati, ut baccalaureatus gradum adipiscatur.

XII. Nulla dabitur dispensatio super obligatione scholas Facultatis celebrandi in secundo et tertio anno, quibus textus canonicus explicatur. Qui tamen licentiae gradum iam penes aliam Universitatem adeptus sit, poterit in tertium Facultatis cursum adscisci.

XIII. Schedula receptionis unicuique alumno danda est, in qua frequentia, diligentia et profectus adnotetur a Professoribus per bimestrem. De his accurata habebitur ratio, cum alumni ad examina erunt admittendi.

XIV. Elapso mense novembris nemo recipi ex alumnis poterit, nisi ex Generalis dispensatione, quae per probatas causas et Ordinarii proprii commendatione tantum concedi poterit, auditis Studiorum Regente et Professoribus.

Caput III.

De studiorum ratione.

XV. Facultatis cursus triennio absolvuntur. Primo anno vacatur Institutionibus iuris ecclesiastici sive publici, sive privati, atque hic cursus, si oportere iudicabitur, institui etiam potest in tertio anno theologiae. Secundo et tertio anno explicatur textus canonicus.

XVI. In textu canonico per biennium explanando binae quotidie lectiones, mane et vespere habendae sunt, quarum quaeque saltem ad integram horam protrahatur. Sed rerum pertractatio amplior prorsus et profundior a Professoribus fiat, prout et natura exigit Facultatis, privilegio auctae gradus conferendi, et graduum ipsorum excellentia ac dignitas expostulat.

XVII. Optandum valde est, ut subsidiaria et affinis iuri canonico cathedra penes Facultatem erigatur, in qua per proprium suum Institutorem praecipuae exponentur notiones et quaestiones selectae iuris civilis, huiusque cum iure canonico comparationes.

Si haec cathedra instituatur, eius praelectionibus omnes aderunt alumni saltem per biennium.

XVIII. Exercitationes scholasticae, quas circulos vocant, aliquoties privatim in hebdomada, et aliquando per annum solemniter habeantur, quibus interesse omnes debent alumni; et uno ex Professoribus adstante et moderante, quaestiones maioris momenti latino sermone defendantur et obiectiones solvantur methodo scholastica. De alumnorum ad huiusmodi circulos frequentia ratio etiam habebitur pro eorum ad examina admissione.

XIX. Quotannis typis edenda sunt programmata praelectionum et quaestionum, quae a professoribus per singulos cursus exponendae sunt: huiusmodi programmata a Praeside, collatis cum Regente studiorum et professoribus consiliis, revisenda et adprobanda sunt; et publice exponenda una cum Kalendario et horarum per singulas classes distributione.

Caput IV.

De examinibus et de graduum collatione.

XX. Praeter ordinarios Facultatis professores, alios in iure Doctores, etiam e clero saeculari, si ei placuerit, seligendos, advocabit Magister Generalis, ut una simul cum Facultatis Professoribus experimenta alumnorum faciant, qui ad gradus contendunt.

XXI. Praeter studiorum programmata etiam examinum theses vel tituli edendi typis erunt, ut alumnis, qui gradibus insigniri expostulant, palam fiant materiae, super quibus periculum scientiae erit peragendum.

XXII. Pro *baccalaureatus gradu*, theses proponantur saltem triginta, quae praecipua capita Institutionum continere debent. Eas omnes exponere et defendere paratus sit candidatus coram tribus Professoribus vel Doctoribus; examen ad semihoram saltem protrahatur.

XXIII. Pro *licentiae gradu* item sexaginta proponantur tituli materiae per annum traditae, ex quibus argumenta examinis ad libitum capient tres Professores vel Doctores: experimentum saltem ad tres horae quadrantes protrahi debet.

XXIV. Ad *doctoratus gradum* obtinendum candidatus paratus sit omnes materias exponere ac defendere, quae primo, secundo et tertio anno traditae sunt. Examen tamen pro laurea scriptum erit et orale. Ex centum thesibus et titulis tres sortiantur; ex quibus eliget quem maluerit candidatus, ut dissertationem latine conscribat sex horarum spatio absque libri vel scripti subsidio (Corpus Iuris et Conc. Trid. et Vatic. permittuntur), in loco expresse designato, uno adstante Professore vel alio a Praeside deputando.

Dissertatio trium Doctorum iudicio subiicietur, quorum adprobatio pluralitate suffragiorum necessaria est, ut candidatus ad orale experimentum admittatur.

Orale experimentum fiet coram quatuor saltem Doctoribus, quibus integrum erit quamlibet ex centum thesibus eligere, ita tamen, ne singuli eamdem eligant. Ad horam integram saltem examen orale pro laurea protrahatur oportet. Qui pluralitatem votorum adeptus fuerit, adprobatus censetur.

XXV. Quibus experimentum male cesserit, facultas fit post sex menses ad examen redeundi: quod si tum etiam non probentur, spes alterius experimenti in posterum eis nulla sit.

XXVI. De peritia eorum, qui lauream aliosque gradus postulant, non remisse cognoscant Examinatores, ne huiusmodi experimenta ad simplicem speciem reducantur. Et de his conscientia oneratur sive examinatorum, sive Regentis studiorum, sive Praesidis ipsius.

XXVII. Nemini per saltum fas sit gradus adipisci, sed qui ad licentiam contendit iam baccalaureatu, qui ad lauream licentiae gradu iam insignitus sit oportet.

XXVIII. Examinum superato periculo, diplomata pro singulis gradibus candidatis conferantur, quae, praeter Facultatis sigillum, Praesidis et Regentis Studiorum subscriptione muniri debent. Omnes tamen candidati professionem fidei prius emittant necesse est a Pio IV et IX praescriptam. Diplomata pro baccalaureatu et licentia privatim dari queunt; laureae vero publice conferantur in Aula Facultatis solita apparata pompa.

XXIX. In diplomatibus expressa fieri mentio debet Privilegii Apostolici, cuius vi ex Sanctae Sedis delegatione tres Facultatis gradus conferuntur.

Caput V.

De statutis interpretandis.

XXX. Nemini fas sit hisce statutis derogare absque venia S. Studiorum Congregationis. Rerum tamen substantia servata, Praesidi ius esto statuta interpretari et declarare, nec non cum difficultatibus componere, quae forte irrepere possint.

Datum Romae die 10 Iulii 1896.

C. Card. Mazzella, *Praef.*
Ioseph Magno, *a Secretis.*

LIBER VIGESIMUS SEXTUS

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

Dispescimus hunc Librum in tres partes, in quarum prima agitur de iis, in quibus Regulares subduntur Episcopis; in secunda de iis, in quibus iidem Regulares non subduntur Episcopis; in tertia recensentur speciales gratiae et iura seu privilegia Ordini Minorum ab Apostolica Sede benigne concessa. Lectores porro monitos esse volumus praecipua materiae capita huius Libri fuisse uberius examinata et ad trutinam latius vocata in decursu operis. — Quia in pluribus, quae tamquam privilegia circumferuntur, dubitationes et quaestiones numquam defuerunt neque desunt, ideo ad vitandas, quoad fieri potest, huiusmodi molestas incertitudines, curavimus post non leve studium, rerum veritatem firmare documentis S. Sedis, quae nos asserimus adhuc in suo robore permanere. Breviter tamen haec omnia exponuntur, ne secus compendium privilegiorum grave reddatur legentibus.

PARS PRIMA.

De iis, in quibus Regulares exempti subduntur Episcopis.

Nota. In primis paragraphis huius primae partis agitur sub forma thesium de Cardinalibus Protectoribus Ordinum regularium, de Iudicibus Conservatoribus, de Sacro Praedicationis ministerio, et de quibusdam aliis argumentis, quae longiorem tractationem expostulant, ut exinde plenius clariusque de iis vera iura et munera patescant.

§ 1. *De Emis Cardinalibus Protectoribus Ordinum Religiosorum, eorumque officiis et iuribus.*

740. *Protectorum* nomine veniunt hoc in loco illi *Cardinales,* qui a Summo Pontifice ordinarie religiosis Ordinibus seu Institutis assignantur, ut iis praesidio sint. *A Iudicibus Conservatoribus valde differunt:* nam 1° Conservatores libere eliguntur a Religiosis; Cardinalis Protector Ordini religioso assignatur a Papa. 2° Conservator post quinquennium a Regularibus removeri et mutari potest; Cardinalis Protector, nonnisi a Summo Pontifice amoveri potest. 3° Potestas Conservatoris intra fines dioecesis, in qua electus fuit, concluditur; potestas Cardinalis Protectoris totum Ordinem respicit. 4° Potestas Conservatoris est iurisdictionalis, seu est vera fori externi iurisdictio, etsi certis limitibus restricta; potestas autem Cardinalis Protectoris *per se* et vi nudae deputationis in Protectorem, exclusa proinde alia Pontificia concessione, proprie dictam iurisdictionem non includit, ut postea dicemus. — Iudices Conservatores et Cardinales Protectores id tantum commune habent, quod ad religiosarum familiarum tuitionem et invamen tendunt.

741. Si quaeras quo tempore inducta sit institutio Cardinalium Protectorum, respondetur distinguendo: 1° Si agatur de generali praxi aliquem constituendi protectorem domibus religiosis, haud dubium, quin a remota antiquitate repetenda sit. Olim, ait Cardinalis Petra apud Bouix, tom. II, p. 166, nulla dedicabatur ecclesia, nec suscitabantur monasteria, quin a prima erectione sua addicerentur et commendarentur advocato, protectori, aut defensori. 2° Si vero agatur de forma illa, qua iam ab aliquot saeculis solet Apostolica Sedes religiosis Ordinibus Cardinales in Protectores deputare, videtur hic usus seu forma initium habuisse a Seraphico Patriarcha S. Francisco, qui in cap. XII suae Regulae sic praecipit: *Ad haec per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis.* Quem quidem usum petendi a Summo Pontifice unum Cardinalem in Protectorem, secuti sunt ceteri Ordines regulares.

Ex relato Regulae Franciscanae textu manifestum est, initio seraphici Ordinis, Cardinales eius Protectores veram habuisse, et quidem amplissimam, iurisdictionem. Qui enim *gubernator, protector et corrector* totius alicuius Ordinis constituitur, pro vero huius Ordinis Praelato in foro externo habendus est.

742. Verum pro fragilitate naturae humanae, in abusus facile labilis, successu temporis contigit, ut Cardinales Protectores huius suae potestatis fimbrias nimium extenderent, *adeo ut* (sunt verba Cardinalis Petra in Constit. 4 Gregorii XI) *non protegendi, sed dominandi occasiones captarent; sicque de die in diem trahebant ad noxam, quod per divum Franciscum provisum extitit ad salutem.*

743. Hinc ad limitandas et declarandas Cardinalium protectorum facultates, editae sunt Constitutiones a Gregorio XI, Sixto IV, Iulio II, Gregorio XIII et Paulo V (*Cardinalis Petra,* loc. cit.).

744. Tandem Innocentius XII, die 17 Febr. 1693 non solum quoad Franciscanam familiam, sed et quoad omnes generatim Regularium Ordines rem totam determinavit Constitutione sua *Christi fidelium*. Cum huic Constitutioni per nullam aliam legem Pontificiam fuerit deinceps, quoad nobis constat, derogatum, ea pro norma habenda est ad determinandum *ius commune* de Cardinalium Protectorum munere, iuribus ac potestate. En summa rerum in dicta Constitutione contentarum quoad praefatos Cardinales Protectores:

I. Ipsis interdicitur, ne in aliquibus negotiis, causis, seu rebus, quae universum Ordinem non concernunt, sese ingerant.

II. Nequit Cardinalis Protector ullo modo corrigere aut immutare statuta Capituli generalis, vel provincialis, vel conventualis, nisi in casu, quo per haec statuta totus Ordo deviaret a fide catholica, aut ab obedientia S. Romanae Ecclesiae debita.

III. Nequit ullum Superiorem Officialemve instituere aut destituere.

IV. Nequit Religiosum ullum promovere ad ullos gradus, aut ab eis removere.

V. Neque Religiosum quemquam de loco ad locum mittere, sive licentiam dare alio migrandi.

VI. Nequit ullum Religiosum punire, aut a poena ipsi imposita liberare.

VII. Neque ulli Religioso concedere usum alicuius camerae, aut libri aut rei cuiuslibet.

VIII. Religiosi impetrantes a Cardinali Protectore aliquid ex iis quae eidem Protectori sunt prohibita, nec non licentiis sic impetratis utentes, tamquam de gravi culpa puniendi sunt.

IX. Etiamsi aliquot Religiosi deviarent a fide catholica, modo error non sit totius Ordinis, ad Cardinalem Protectorem non pertinet remedium adhibere, nec querelas et recursus a Religiosis ad ipsos directos audire, aut de his quidquam decernere.

X. Religiosorum recursus et appellationes in quocumque gradu *reservatae sunt S. Congregationi Ep. et Reg.* Ideo Cardinales Protectores non possunt de iis cognoscere post Innocentianam Constitutionem.

XI. Item facultatem (si quae forte Cardinali protectori competeret vi Constitutionum religiosi Ordinis) aliquid gerendi vel ordinandi, transtulit Innocentius XII *ad Sacras Congregationes respective,* pro negotiorum qualitate.

XII. Quando in causis Regularium ad Sacras Congregationes perlatis, exquirenda est informatio seu votum super expositis, eiusmodi informatio et votum dari non debet a Cardinali Protectore, nisi in solo casu, quo negotium respiceret *totum Ordinem religiosum.* In aliis vero casibus exquiri debet informatio seu votum, vel a Superiore generali Ordinis, vel ab eius Procuratore generali.

XIII. Cardinalis Protector interesse potest electionibus Praelatorum Ordinis. Id aperte supponit Constitutio Innocentii XII, §§ 11 et 12.

XIV. In iis electionibus habet votum, *si quod et eo modo quod iuxta cuiuscumque Ordinis regulas, statuta, vel alia,* ipsi competit.

XV. Nec Cardinalis Protector, nec quivis alius, immo nec ipsae Sacrae Congregationes Romanae possunt, in dictis electionibus, *absentium vota supplere.* Neque item possunt alios Religiosos, loco absentium vocalium, subrogare seu deputare. Sed tunc totum ius eligendi consolidatur in Religiosis vocalibus, ad normam cuinsque Instituti legitime congregatis.

XVI. Ex praemissis sequitur, Cardinali Protectori, *de iure communi,* nullam competere proprie dictam iurisdictionem. De iure communi, diximus, videlicet ex nuda vi muneris sui ad tramitem Innocentianae Constitutionis intellecti.

XVII. Ex eo autem, quod Cardinalis Protector Religiosorum causis et negotiis sese ingerere nequeat iurisdictionaliter, non sequitur, quod non possit in iis sese immiscere, quatenus protector est, scilicet amicus, adiutor et advocatus. Immo hoc ipsius officium est, praesertim ubi tutandi sunt Religiosi ab iniuriis et oppressionibus. Ad rem Cardinalis Petra apud Bouix, tom. II, p. 173: « Optimi autem Regularium Protectoris partes sunt, Ordinem sibi commendatum in quieto et pacifico statu conservare et augere, ab impugnantibus et molestantibus protegere et tueri, ac etiam invigilare cum regulis *prudentialibus potius, quam iurisdictionalibus,* ne subditi a Superioribus opprimantur ».

745. Integra Constitutio *Christifidelium* prostat penes *Chronologiam Ord. Minorum* Caroli Mariae Perusini tom. I, pag. 347; et vid. Bouix, loc. cit.; Bened. Melata, *De Cardinali Protectore,* Romae 1902 apud Analectorum editorem.

746. Advertendum est, quod non obstante iure communi exposito, contingere utique potest, ut Cardinalis Protector iurisdictionem aliquam habeat, sive ex speciali delegatione Papae, sive vi Constitutionum a S. Sede post Bullam Innocentii XII approbatarum; sed de iis exceptionibus seu *de iure particulari* hic sermo non est.

Super Cardinalibus Protectoribus Regularium extat *in Collectanea* Emi Bizzarri, pag. 335, edit. 1863, epistolium Secretariae Status, lingua italica exaratum, et ad Secretarium S. C. Ep. et Reg. die 9 Maii 1715 directum. In huiusmodi epistolio praecipitur observantia Bullae supra descriptae Innocentii XII, prout quisque videre potest in citata *Collectanea.*

747. In comperto est, Cardinalem Protectorem etiam Institutis votorum simplicium, iis scilicet quae in plures dioeceses propagantur, a S. Sede concedi solere. Quibus autem in adiunctis Cardinalis Protectoris auctoritas suam exerat vim et quam late pateat, id pendet a beneplacito Summi Pontificis, quod ex peculiaribus Constitutionibus dignoscitur (Cf. *Benedictum Melata,* n. 23 sqq.).

§ 2. *De Iudicibus Conservatoribus eorumque officiis et iuribus.*

748. Regularium Ordines, pleraeque Universitates, ac nonnulla quoque Canonicorum Collegia, inter cetera privilegia, quibus a Sede Apostolica sunt exornata, hoc etiam gaudent, ut *Iudices* eligant eorumdem privilegiorum *Conservatores* (Ita Bened. XIV, *de Syn. dioec. lib.* IV, *cap.* VI, n. 1).

749. Conservatores communiter definiri solent: *Particulares Iudices* a Summo Pontifice delegati *ad aliquos defendendos contra manifestas iniurias, molestias et violentias, absque indagine iudiciali.*

750. De Iudicibus Conservatoribus *Innocentius* IV ita decrevit: *Statuimus, ut Conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis iniuriis et violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos: nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem* (Cap. I, *de Offic. Iudicis delegati,* in 6).

Bonifacius VIII in cap. *Statutum,* ita sanxit: *Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causae auctoritate litterarum Sedis Apostolicae vel Legatorum eiusdem de cetero committantur.* — Et antea idem Bonifacius VIII statuerat ut sequitur:

Hac Constitutione perpetuo valitura sancimus, ut Conservatores, qui aliquibus (ut a manifestis iniuriis et violentiis tueantur eosdem) plerumque a Sede Apostolica conceduntur, de cetero deputari non possint, nisi Episcopi vel eorum Superiores, aut Abbates, seu Dignitates vel Personatus in Cathedralibus vel Collegiatis ecclesiis obtinentes.

Concilium Tridentinum nihil innovavit quoad Conservatores Regularium, prout videre est in *sess.* 14, *cap.* 5, *de Ref.* circa finem.

751. Supervenit tandem Constitutio *Sanctissimus* Gregorii XV, 20 Sept. 1621, quam in extensum habes penes Lucium Ferraris, verb. *Conservatores,* art. I, n. 5, cuius praecipua capita subnectimus, ut de hac materia ius vigens determinari possit.

§ 2. In futurum vero Sanctitas Sua hac generali et perpetuo valitura Constitutione statuit et decrevit, ut Iudices Conservatores huiusmodi, sive principales sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, *nisi non solum habeant qualitates requisitas et descriptas in Constitutione... Bonifacii* VIII..., quae incipit *Statutum,* ita ut *vel dignitate ecclesiastica praediti, vel Personatum obtinentes, vel ecclesiarum cathedralium Canonici existant,* sed etiam *in conciliis Provincialibus aut Dioecesanis* iuxta decretum Concilii praedicti, *Iudices electi seu designati sint.*

§ 5. Ceterum ut latius pateat Conservatorum huiusmodi deligendorum *facultas,* Sanctitas Sua admonitos voluit locorum Ordinarios, ut *in Synodis Provincialibus aut Dioecesanis quam plures personas,* ex habentibus qualitates in praedicta Constitutione eiusdem Bonifacii Praedecessoris contentas, et alioquin ad id aptas, *designari procurent:* et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum, usque ad futuram Provincialem aut Dioecesanam Synodum.

§ 8. Conservatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa, a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus et aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut mutari nullatenus possint aut valeant.

§ 9. Ad haec statuit Sanctitas Sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares ac personae supra scriptae conveniri quidem aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint; ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares aut alii actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant...

§ 10. Si quae vero inter Iudices Conservatores huiusmodi et locorum Ordinarios controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos, super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

752. Hic notanda sunt verba Gregorianae Constitutionis in superiori paragrapho 9 relata. Ibi statuitur, ut Regulares *conveniri* quidem debeant coram Iudicibus Conservatoribus, ipsi vero non possint *alios convenire.* Ex hisce verbis sequens dubium exortum est:

An per haec verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares et alios a manifestis iniuriis et violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus deiiciuntur, et propriis bonis uti ac frui impediuntur?

Et S. Congregatio Concilii censuit, eiusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares a manifestis iniuriis ac violentiis, dummodo observent formam praescriptam a Constitutionibus Innocentii IV et Bonifacii VIII, relatis in cap. I et in fin. *de Officio delegati* in 6.

753. Bonifacii VIII, Gregorii XV ac Innocentii X Constitutiones cum singulis declarationibus in eis contentis, innovavit et confirmavit Clemens XIII Const. incip. *Cum omnium*, nono Kalendas Maii 1762, quam refert Giraldus tom. III, p. 854; Ferraris, verb. *Conservatores*, art. I, n. 31.

Quibus praetactis, haec addimus quoad praedictos Conservatores:

754. Certum est, *privilegium sibi eligendi Conservatores* competere, non tantum iis Regularibus, qui per rescriptum Pontificium illud obtinuerunt, sed etiam aliis omnibus *ob privilegiorum communicationem*, de quo Ferraris, loc. cit. adducit declarationem S. Congregationis Concilii de die 12 Sept. 1620.

755. Ii dumtaxat in Iudices Conservatores eligi possunt, qui *Dignitatem*, aut *Personatum* in Cathedralibus vel Collegiatis ecclesiis obtinent, vel *Canonici* in dictis *Cathedralibus* existunt (Greg. XV et Clemens XIII in citatis Const.).

Canonici ecclesiae *Collegiatae*, quamvis sint Doctores, nisi fuerint constituti *in ecclesiastica* Dignitate, nequeunt esse Conservatores, cum Gregoriana Constitutio expresse exposcat, quod sint Canonici ecclesiarum cathedralium.

756. Si quaeras, in quo *Dignitas* ecclesiastica discriminetur a *Personatu*, respondetur, quod *Dignitas* est praeeminentia *in gradu cum administratione rerum ecclesiasticarum* et iurisdictione; *Personatus* vero est praeeminentia seu praecedentia *sine iurisdictione*. Hinc Personatum habere dicitur, qui in choro habet stallum honorificum prae aliis Canonicis, etiam ante receptis, minorem tamen seu inferiorem Dignitatibus (Matthaeuc. *Offic. Cur.* cap. 15, n. 3; Lezana, tom. II, cap. XIII, n. 2).

757. Ut autem praedictae personae in ecclesiastica Dignitate constitutae vel Personatum obtinentes sive in Cathedralibus sive in Collegiatis, nec non Canonici ecclesiae Cathedralis, eligi possint in Conservatores, requiritur ulterius, ut *in Synodis Provincialibus* aut *Dioecesanis* electi sint *Iudices Synodales* (Greg. XV, Bull. cit.).

758. Si autem in dioecesi nulli reperiantur Iudices Synodales, tunc ne Regulares suo sine culpa priventur iure, *poterunt quem maluerint,* in Conservatorem assumere; modo tamen qualitatibus praestet, quas Bonifacius VIII in cit. cap. *Statutum* exposcit; atque in reliquis omnia serventur, quae a Gregorio XV praescribuntur (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. IV, n. 3); et vid. Declarationes SS. Congr. apud *Chronolog. Ord. Min. Caroli Perusini,* tom. I, pag. 290.

759. « At si postea, subdit Benedictus XIV ibidem, Synodus celebretur, in qua Synodales Iudices constituantur, *statim cessat iurisdictio* praedictorum Conservatorum, iterumque a Gregoriana Constitutione adiguntur Regulares ad aliquem eligendum ex designatis in Synodo ».

760. Regulares eligere debent Conservatores *in singulis Dioecesibus,* in quibus monasteria, conventus seu domus habent (S. C. C. 29 Ian 1633). Et eruitur ex ipsa Constitutione Gregorii XV, in qua decernitur, nullum a Conservatore ius exerceri posse *extra dioecesim, pro qua fuit deputatus.* Ex quo fit, ut nequeat unus et idem pro diversis dioecesibus constitui, sed suus cuilibet dioecesi adesse debet (Vid. Bened. XIV, loc. cit. n. 4).

761. Disputant Auctores, utrum a Regularibus *eligi possit in Conservatorem Episcopus* aut maiori dignitate insignitus. De hac quaestione agit etiam Benedictus XIV loco citato, et videtur resolvi posse in hunc modum: 1° Eligi non potest Episcopus aut Archiepiscopus *alterius dioecesis,* et id constat ex dictis in praecedenti numero. 2° Non potest eligi Episcopus Ordinarius dioecesis, si in dioecesi existant *Iudices Synodales,* quia in tali casu eligi debet in Conservatorem *aliquis ex ipsis Iudicibus Synodalibus,* de quorum numero numquam est Ordinarius loci. 3° Si praeter Ordinarium *alius Episcopus commoretur in dioecesi,* et fuerit electus in Iudicem Synodalem, poterit is in Conservatorem eligi. 4° Si in

dioecesi *Iudices Synodales non existant,* eligi potest in Conservatorem sive ipse Ordinarius, sive alius etiam Episcopus in dioecesi degens. Sane iuxta Decretalem Bonifacii VIII eligi potest in Conservatorem *Episcopali aut maiori dignitate insignitus.* At in praesenti casu nihil obest, quominus praedicta Decretalis suum effectum habeat. Haec omnia inferuntur ex supra explicatis (Cf. Bened. XIV, loc. cit.; Bonix, p. 160 sq.).

762. Praeterea in Gregoriana Constitutione praecipitur etiam, ut nomina Conservatorum, quos Regulares elegerunt, *Curiae Episcopali exhibeantur.* Declaratum est, Superiores Regulares *temporarios* nullibi et in nullo casu posse eligi in Conservatores: in partibus autem Infidelium expedire, ut Conservatores omnino non eligantur (Clemens XIII, cit. Constit. *Cum omnium*).

763. Conservatores Regularium *eligi possunt vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus, vel a Localibus,* iuxta Religionum consuetudinem vel Constitutiones; nam Constitutio Gregoriana non determinat personam, sed dicit indefinite *Regulares.* Electio ergo Conservatorum videtur relinqui dispositioni particularium Statutorum cuiuslibet Religionis (Vid. Matthaeucci, loc. cit. n. 23; Ferraris, loc. cit. n. 23, sq.).

764. Conservatores, sequuta eorum electione ac nominatione, *a Sede Apostolica auctoritatem recipiunt,* et semel legitime electi et deputati, nequeunt *per quinquennium removeri* seu mutari a Regularibus, nisi ex legitima causa per Papam vel Ordinarium approbanda (Greg. XV, *cit. Constit.*).

765. A S. Congregatione die 22 Martii 1720 decisum fuit, alios ministros a Conservatoribus assumi non posse, *praeter unum Notarium* (Apud Bened. XIV, loc. cit. n. 6).

766. *Quaeritur, an Moniales eligere sibi possint Conservatorem?* Quamvis Moniales, regulam cuiuscumque Ordinis regularis profitentes, etiam locorum Ordinariis postea subiectae, gaudeant *in rigore iuris* omnibus aliis privilegiis et gratiis, quibus Religiosi viri fruuntur, *quatenus sexui et statui earumdem non repugnent,* ut patet ex Constitutione Sixti IV, *Sacris,* 26 Iul. 1479, § VII, quoad Moniales Ordinum Praedicatorum et Minorum, et quoad Moniales aliorum Ordinum ex decreto Congregationis super Indulgentiis, 28

Iulii 1701, approbato a Clemente XI, prout etiam declaravit Congregatio Concilii, 19 Ian. 1686, *nequeunt tamen sibi eligere Conservatorem* ut Regulares viri, iuxta responsum eiusdem Congregationis in eodem decreto ad 2^m^ dubium (Giraldi, tom. III, p. 854, nota XIV).

767. Hucusque exposita satis ostendunt, quodnam sit officium Conservatorum: ad ipsos scilicet spectat Regulares a *manifestis iniuriis, molestiis et violentiis defendere,* atque in propria rerum et iurium possessione *conservare et manutenere.* Dicuntur enim Conservatores, quasi iurium servatores (Vid. Salmant. tom. 4, tr. 18, *de Privil.* n. 152 sq.; Matthaeucci, loc. cit. n. 1.

768. Quapropter Regulares ius habent, ut causa ad tribunal Conservatoris perferatur, quando *manifesta* iniuria ipsis illata fuit. Tunc nempe ad Conservatorem exclusive pertinet de causa cognoscere et pronuntiare. Forma enim in adductis Decretalibus praescripta, ea est, ut Conservatores *de manifestis iniuriis ac molestiis cognoscant, et non se ingerant in iis, quae iudicialem indaginem, seu iudiciariam inquisitionem exigunt.*

769. Si Conservatores de aliis, quam *de manifestis iniuriis et violentiis* scienter se intromiserint, seu ad alia, quae *iudicialem indaginem* exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso *per unum annum ab officio sunt suspensi;* pars vero, quae hoc fieri procurabit, sententiam excommunicationis incurrat (Bonifacius VIII, in cap. *Hac Constitutione;* Bened. XIV, loc. cit. n. 5).

Sufficit autem iniuriam *esse manifestam sive evidentia facti,* sive *confessione rei iudicialiter facta...,* quia neutrum horum ulteriori indagine iudiciali indiget (Reiff. lib. I. Decretal. tit. 29, n. 172).

770. Quod si reus a Conservatore citatus obiiciat, iniuriam non esse manifestam, aut quod fecit, se iure fecisse; tunc Conservator hoc ipsum potest ac debet cognoscere, inquirendo ac testes recipiendo *super notorietate facti,* eaque cognita, ad fundandam suam iurisdictionem pronunciare, delictum seu *iniuriam esse manifestam;* alioquin processus atque sententia ipsius, *quae debet fundari super notorio,* foret nulla. Ratio est, quia Iudicis est cognoscere posse, an sua sit iurisdictio, alioquin quippe inutilis pro-

pedum foret potestas Conservatoris, si reo obiiciente defectum notorii, potestas ipsius statim maneret ligata, adeo ut nec de ipso cognoscere valeret (Reiff. loc. cit. n. 173; et vid. Matthaeucci, et Salmantic. in locis cit.).

771. Porro in dubiis *de iurisdictione* inter Episcopos et Conservatores suspendendus est processus, et non potest ultra procedi in causa, *sed eligendi sunt arbitri,* qui controversiam decidant (Gregor. XV, sup. § 10).

772. Conservatores Regularium possunt *per censuras ecclesiasticas* aliaque iuris remedia procedere contra quascumque personas impedientes exercitium suae iurisdictionis vel contra sibi inobedientes: ita eruitur ex variis iuris textibus, vel ex concessione privilegiorum, et ex communi sententia Doctorum (Vid. Salmant. tom. IV, tr. 18, n. 169 sq.; Matthaeucci, loc. cit. n. 16; Ferraris, verb. *Conservatores,* art. II, n. 15).

773. De Conservatoribus late agunt Rodriguez tom. I, quaest. 65, Lezana, Salmant. et Ferraris, loc. cit. etc. Quoad nos dicta sufficiant, eo vel magis quod Conservatorum electio hisce temporibus inutilis foret, et iamdiu in desuetudinem abiit. *Hodiernis moribus,* ita Franciscus Santi, *(lib. I, Decretal. tit. 29, n. 43, in fin.) auctoritas seu iurisdictio Conservatorum fere disparuit, et negotia omnia Regularium et aliorum coetuum privilegiatorum quoad eorum privilegia ordinarie tractantur et definiuntur a SS. Congregationibus.*

§ 3. *Ius Episcopi in Regulares quoad ministerium sacrae Praedicationis.*

774. Sacrum Concilium Tridentinum in *sess. V, cap. 2, de Ref.,* quoad Regulares sic decrevit: « Regulares vero cuiuscumque Ordinis, nisi *a suis Superioribus* de vita, moribus, et scientia *examinati, et approbati fuerint,* ac de eorum licentia, *etiam in ecclesiis suorum Ordinum,* praedicare non possint, cum qua licentia personaliter se *coram Episcopis* praesentare, et ab eis *benedictionem petere teneantur,* antequam praedicare incipiant. *In ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt,* ultra licentiam suorum

Superiorum, *etiam Episcopi licentiam habere teneantur,* sine qua in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum *nullo modo* praedicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant ». In capite vero 4, *sess.* 24, idem Concilium sic praecepit: « Nullus autem saecularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, *contradicente Episcopo,* praedicare praesumat ».

Relate igitur ad officium Praedicationis, haec statuta sunt a Tridentina Synodo pro Regularibus:

1° *A suis Superioribus* debent de vita, moribus et scientia examinari et approbari.

2° Nequeunt praedicare, *nisi de licentia eorumdem Superiorum,* sive praedicatio fiat in propriis, sive in alienis ecclesiis.

3° Requiritur ulterius, ut si praedicare voluerint *in ecclesiis proprii Ordinis, petant ab Episcopo benedictionem,* qua petita, licet non obtenta, *dummodo expresse non contradicat,* possunt praedicare in dictis ecclesiis sui Ordinis.

4° In ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possunt *absque obtenta Episcopi licentia.*

775. Adductum Tridentini decretum circa praedicationem Regularium confirmavit et ampliavit Clemens X in Constitutione *Superna:* ita enim statuit: « *Regulares, qui in ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint* ».

« Quod si Episcopus benedictionem nedum concesserit, *sed etiam contradixerit,* nec in praedictis quidem ecclesiis licere Regularibus praedicare, eosque contravenientes, ab illo, *tamquam Sedis Apostolicae delegato,* censuris, aliisque poenis ecclesiasticis in vim Constitutionis f. r. Gregorii XV Praedecessoris nostri, incip. *Inscrutabili Dei providentia,* coerceri et puniri posse: Episcopum tamen absque iusta et rationabili causa contradicere non debere » (Vid. Lib. IX, n. 946, pag. 498).

776. Dubitari potest, an Regulares, non petita benedictione Episcopi, praedicare possint *ad crates Monialium* sibi subiectarum, clausis foribus, seu excluso populo? Attenta Constitutione Clementis X, incip. *Superna,* respondetur negative. Sic enim in ea decernitur: *Et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares*

petere, si in quibuscumque Oratoriis sermonem populo, vel in ecclesiis, vel ad crates monasteriorum Sanctimonialium, eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis, et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint.

Verumtamen S. Congregatio Concilii in *Conversana* 8 Maii 1751, ad dubium: An *ad crates ecclesiae seu collocutorii,* aut alibi, liceat *Commissario* Monialium sermonem aut conciones habere ad Moniales sine Episcopi licentia? Respondit: *Affirmative pro solis Monialibus, et clausis ianuis* (Vid. *Additiones ex aliena manu,* apud Ferraris, verb. *Praedicare,* n. 128).

Adnotator Lucii Ferraris, relato hoc decreto, statim subiungit: « Videtur autem hac resolutione recessum a mox dicta Constitutione Clementis X ». Verum haec adnotatoris sententia nobis videtur omnino falsa. In dicta enim resolutione S. Congregationis Concilii agitur de *Commissario,* qui uti talis, Monialium Superior est. Ergo resolutio non debet extendi contra praescriptum Pontificis ad alios Religiosos. Praeterea, in praedicta resolutione S. Congregationis excluditur quidem necessitas *licentiae* Episcopi, non autem necessitas *petendae benedictionis,* saltem expressis verbis; et Clemens X in hoc casu vult, ut non licentia obtineatur, sed *benedictio* dumtaxat ab Episcopo petatur (Vid. Bouix, tom. II, p. 264, n. 4°).

777. Fere superfluum ducimus advertere, Regularibus liberum omnino esse, absque Episcopi licentia et benedictione, conciones et exhortationes habere *ad Fratres suos,* exclusis saecularibus. Nam praemissae prohibitiones praedicandi etiam in ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo, aut non petita eius benedictione, intelliguntur de concionibus *publicis,* in quibus admittuntur saeculares; minime vero de sermonibus ad Religiosos, excluso populo. Id clare constat ex obvio sensu tum textuum Concilii Tridentini, quos supra retulimus, tum verborum Constitutionis *Superna.*

778. *Sequuntur aliae declarationes.* 1° Ius habet Episcopus examinandi circa doctrinam Regulares, antequam in ecclesiis, *quae non sunt suorum Ordinum,* praedicent: *Posse autem Episcopum,* ita Clemens X in Const. *Superna, licentiam concessurum Regularibus, in ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt praedicare volentibus, illos... quoad doctrinam examinare, si ita*

ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit.

2° In ecclesiis vero suorum Ordinum praedicare volentes, non ad Ordinarium pertinet eos examinare, sed ad eorum Superiores. Ita fuisse decisum a S. Congregatione Ep. et Reg. in *Salernitana*, 19 Dec. 1610. testatur Pignatelli apud Bouix, tom. II, p. 266, et Ferraris verb. *Praedicare* n. 81.

3° Potest Episcopus licentiam praedicandi semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere: non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, quin in ecclesiis suis praedicent (Clemens X, Bulla cit.).

Quo in loco observat Pignattelli apud Bouix loc. cit., quod « Episcopus licentiam concionandi non debet denegare, si Praedicator fuerit idoneus, *absque legitima et rationabili causa; sine qua nec illum potest a praedicatione suspendere* ».

4° Quoad eamdem suspensionem a praedicationis officio, vel prohibitionem ab exercitio eiusdem, Verhoeven, quem Bouix, loc. cit. p. 267, dicit auctorem non suspectum nimiae in Regulares benevolentiae, scribit: « Si quando contingeret, ut Ordinarius adversus Regularem severius quam par esset, in re huiusmodi procederet, Regulari semper via patet ad Sacram Congregationem interpretum Concilii Tridentini, vel ad S. Congregationem Ep. et Regularium. Quibus Sacris Congregationibus Ordinarius, si rogetur, exponere debet rationum momenta, ob quas Regularem a praedicationis officio suspenderit, vel ipsi prohibuerit, ne eodem fungeretur. Quod si Sacrae Congregationi constiterit, Ordinarium suae potestatis limites in ea re transgressum esse, ac suae agendi rationis iustas causas non habere, S. Congregatio efficacia quidem remedia in promptu habebit ad iniuriam Regulari illatam quam citissime reparandam ».

5° Collige, Ordinario fas non esse *ad merum beneplacitum* seu *arbitrium* suspendere Regularem a praedicationis officio, vel solum prohibere, ne sacras habeat conciones; hoc enim *sine iusta causa* factum, valde iniuriosum est cuilibet Sacerdoti.

6° Tempore *Quadragesimae, Adventus* aut alterius continuatae praedicationis non est necesse, quod praedicatores regulares

benedictionem ab Episcopo petant pro singulis concionibus; sed sufficit, ut eam obtineant ante primam, prout aperte indicant haec verba Tridentini decreti (*Sess.* 5, *cap.* 2, *de Ref.*) *antequam praedicare incipiant* (Matthaeucci *Offic. Cur.* cap. 12, n. 4; Ferraris, loc. cit. n. 77; Bouix, loc. cit. p. 265).

7° Regulares nequidem in propriis ecclesiis possunt tempore Quadragesimae et Adventus, aliisque temporibus in pulpito paupères et miserabiles personas *absque licentia Episcopi commendare* (S. C. Ep. et Regul. 20 Iul. 1619, apud Ferraris, ibid. n. 83).

8° Praedicatores etiam regulares tenentur emittere *professionem fidei,* si ab Episcopo exigatur (S. C. C. 21 Mart. 1643 apud Adone, lib. III, n. 2688, et vid. Ferraris, ibid. n. 65; Pignatelli apud Bouix, loc. cit).

9° Si Regulares in parochiali ecclesia eorum *monasterio unita* per Regularem sui Ordinis concionari voluerint, illius deputatio non ad Episcopum, *sed ad Superiorem* pertinet (S. C. C. 10 Nov. 1619, apud Aloys. Adone, *Synopsis canonico-liturgica* lib. III, n. 2678).

10° *Electio Concionatorum alterius Ordinis* in ecclesiis Regularium exemptorum spectat ad *Regulares:* approbatio vero et benedictio *ad Ordinarium* (S. C. C. 16 Dec. 1673).

11° Episcopus potest praedicare in quacumque ecclesia, *etiam regulari,* suae dioecesis, nec ab ullo potest impediri aut prohiberi (S. C. Ep. et Reg. 17 Ian. 1583; Bened. XIV, *de Syn. dioec. lib.* IX, *cap.* 17, *n.* VII).

12° Episcopus prohibere potest, ne Regulares ea hora in ecclesiis conciones habeant, qua ipse *per semetipsum* praedicaturus est. Et hoc est extra controversiam positum, iamdiu a Sacra etiam Rituum Congregatione declaratum sub die 10 Sept. 1667, his verbis: *Nemini tam Saeculari, quam Regulari, etiam in eorum propriis ecclesiis licere concionare, ipso Episcopo actu concionante* (Decr. auth. n. 1360; Bened. XIV, loc. cit. n. 6 et 7).

13° *Dubium.* An idem dicendum sit, quando *coram Episcopo* solemniter concio habenda est? De hac re fuit valde disputatum: sed praevaluit deinde apud S. Congregationem Concilii haec doctrina: non posse prohiberi Regulares, quominus praedicent eadem

hora, si agatur de *consuetis* concionibus coram Episcopo habendis, puta tempore Quadragesimae et Adventus; secus autem, si agatur de concionibus *extraordinariis*, idest, si Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, et populo, coram se praedicare faciat* (Bened. XIV, ibid. n. 7).

14° Minime tamen expedit, adeoque non debet Episcopus per modum statuti hanc prohibitionem pro dictis extraordinariis concionibus coram se habendis edicere (Vid. rationes apud Bened. XIV, loc. cit. n. 8).

15° A fortiori nequit Regularibus iniungi, ne in suis ecclesiis praedicent eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habenda est, si huic concioni non intersit Episcopus (Ita Bouix, tom. II, p. 268).

16° Episcopus prohibere potest Regularibus, ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad Cathedralem (Lezana, verb. *Concionari*, n. 13; Ferraris, loc. cit. n. 63).

17° Regulares missi ad *crates Monialium* pro munere praedicationis obeundo, peccant mortaliter et incurrunt censuras et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum, immediate post concionem cum aliquibus seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis (S. C. C. 21 Maii 1678, Ferraris, loc. cit. n. 89; et vid. Lib. IV de *Monialibus* et *Sororibus*).

18° In Ordine Fratrum Minorum ex vi regulae solus Minister Generalis potest Praedicatores approbare: *nullus Fratrum*, sic in Regula, *populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo sibi officium praedicationis concessum*. Ex privilegio tamen Clementis IV, Const. *Virtute conspicuos* indultum fuit, et a Nicolao III, Decret. *Exiit*, art. 9 declaratum, ut singuli Provinciales cum Definitoribus in suis Capitulis Provincialibus congregatis, sub quibus veniunt etiam *Congregationes intermediae* iuxta Marchantium et Matthaeuccium, habeant facultatem examinandi et approbandi Fratres praedicti Ordinis Minorum in sacra pagina eruditos, et eis officium praedicationis, *Deum habendo prae oculis*, committendi, sicut ex forma regulae potest Minister Generalis (Vid. Casarub.

in compend. Privil. verb. *Praedicatores;* Matthaeucci, cap. XII, n. 10).

19° Meminerint Superiores, se teneri, priusquam patentes institutionis concedant, *Religiosos suos examinare,* ut de ipsorum idoneitate ad tanti ponderis ministerium obeundum aequum iudicium efforment. Leo X, in Constit. 21 Bullar. citata a praelaudato Matthaeuccio, sic statuit: *Nullus tam clericus Saecularis, quam Regularis, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respective diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, et vitae exemplaritate ad illud aptus et idoneus reperiatur.*

20° Quoad stipendium praedicationis aliosque proventus nota sunt decreta Concilii Tridentini, Clementis VIII, aliorumque Summorum Pontificum; scilicet Concionatores cuiuslibet Ordinis stipendium non sibi acquirunt, sed monasterio, cui incorporari debet; et Fratres Minores debent insuper nonnullas cautelas observare, quas explicarunt Summi Pontifices Nicolaus III, Clemens V, et Innocentius XI (Cf. Matthaeucci, loc. cit. n. 12 et 13).

§ 4. *An Regulares teneantur observare decreta seu Constitutiones synodales* (1).

779. Regula generalis est, ad observantiam decretorum Synodi dioecesanae adigi quotquot incolunt Episcopi dioecesim, cuiuscumque sint status et conditionis, *nisi speciali privilegio ab eiusdem subtrahantur iurisdictione.* Atqui ab Episcopi iurisdictione eximuntur Regulares. Ergo Regulares ad observantiam constitutionum Synodalium non tenentur, *nisi in casibus a iure expressis,* inter quos adnotamus sequentes:

1° Regulares tenentur dioecesanae Synodi sanctionibus parere in iis, quae respiciunt *curam animarum aut Sacramentorum administrationem,* iuxta decretum Concilii Tridentini, *sess.* 25, *cap.* 11, *de Regul.*

(1) Cf. dicta *de Synodo dioec. in* Lib. XXIV, Cap. 15, ubi respondetur quaestioni, an Regulares exempti teneantur interesse Synodo dioecesanae.

2° Decretis pariter subiiciuntur, quae materiam concernunt, in qua dicti Regulares *subsunt iurisdictioni delegatae Episcopi*, iuxta decisionem Innocentii IV in cap. I, *de privileg.* in 6: « *Salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse, canonica praecipiunt instituta* ».

3° Subiiciuntur decretis synodalibus, quae respiciunt *observanda et evitanda in celebratione Missae*, iuxta decretum Concilii Tridentini, sess. 22, *de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

4° Tenentur observare legem, si feratur, qua *dies aliquis festus per totam dioecesim celebrandus edicitur*, sic iubente Concilio Tridentino, *sess.* 25, cap. 12 *De Reg.: Dies etiam festi, quos in Dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.*

5° Tenentur servare *censuras et interdicta* ab eodem Episcopo promulgata. Nam ita constitutum est: « *Censurae et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur, atque serventur* » (Conc. Trid. loc. cit.; et vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec. lib.* XIII, *cap.* IV, *n.* 5 *et* 6).

780. Quaestio: *An Regulares teneantur ad observanda ieiunia, ab Episcopo vel per edictum, vel per synodalem constitutionem toti dioecesi indicta?*

Controvertitur inter Doctores. Nihilominus sententia, quae tenet, Regulares non teneri *vi exemptionis ab Episcopi iurisdictione*, probabilior ac verior videtur. Semel enim posita eorum exemptione ab Episcopi iurisdictione, nulla est efficax ratio, *cur hoc speciali episcopalis iurisdictionis actu ligentur.*

Nec dicatur, quod Regulares, uti notavimus, colere tenentur dies festos ab Episcopo praescriptos, necnon interdictum ab eodem impositum; ergo a pari etiam ieiunia. Respondetur enim id provenire *ex peculiari sanctione Tridentini*, quod in hisce duobus casibus Regulares supposuit iurisdictioni Ordinarii, a qua ceteroquin in omnibus aliis, *non nominatim exceptis*, sunt prorsus exempti (Cf. Bened. XIV, loc. cit. lib. XIII, cap. IV, n. 6; Salm. tom. IV, tr. 18, *de Privileg.* cap. III, n. 29).

781. Diximus, Regulares non teneri *vi exemptionis ab Episcopi iurisdictione;* quia si in aliqua Regularium communitate, *antiqua invaluisset consuetudo* servandi ieiunia ab Episcopo sive in Synodo, sive extra Synodum indicta; nullus dubitat, ad ea deinceps servanda eamdem communitatem compelli posse: tunc quippe ieiunandi obligatio non oritur ab Episcopi iurisdictione, *sed ab ipsa consuetudine,* quae vim habet induendi legis obligationem (Bened. XIV, ibid. n. 7).

782. Praeterea Regulares ad observandum praedictum ieiunium ab Ordinario praescriptum, possunt facile obligari, non quidem ab Episcopi praecepto, sed *a iure naturali,* si non ieiunantes scandalum praebeant fidelibus. Generatim prae oculis habenda est doctrina Doctorum, qui tradunt, *ad evitandum scandalum, et fugiendam difformitatem a ceteris Dioeceseos membris,* teneri Regulares obtemperare constitutionibus synodalibus, a quibus ceteroquin, ratione suae exemptionis, essent soluti (Vid. Bened. XIV. loc. cit. n. V; Lezana, tom. I, cap. 11, n. 13).

783. Facile autem intelligitur, Regulares exemptos non teneri ad observantiam constitutionum synodalium, *quae solum concernunt reformationem Clericorum.*

784. Collige, Regulares, quoad observantiam Constitutionum synodalium, *in aliquibus subesse Episcopis, in pluribus aliis non subesse.*

§ 5. *An Regulares interesse teneantur congregationibus seu collationibus casuum conscientiae, quae fiunt a Clero.*

785. Extra omnem controversiam est, *Regulares Parochos,* seu curam animarum exercentes, teneri iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, interesse. Quod quidem et docet Benedictus XIV Constit. *Firmandis* § 6, VIII Idus Nov. 1744, Leo XIII in cit. Const. *Romanos Pontifices,* et S. Congregatio Concilii hoc pluries declaravit.

786. *Ceteri vero Regulares non tenentur,* nec ideo possunt, ab Episcopis compelli, quamvis sint Confessarii. Id patet ex sequentibus resolutionibus:

I. Cum Conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim Religiosi, sint vigore Decreti, *Ut in parvis*, f. r. Innocentii X, subiecti visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinariorum locorum, contigit dubitari, *an Religiosi Confessores, et non Parochi, in huiusmodi Conventibus degentes, compelli possint ab eisdem Ordinariis, ut accedant ad Conferentiam casuum conscientiae?*

S. Congregatio *super Statu Regularium* die 15 Ian. 1682, respondit: *Ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere praedictos Religiosos Confessores non Parochos ad accedendum ad Conferentiam casuum conscientiae* (Apud Bizzarri, p. 309).

II. In *Forosempronien.* An praedictos Confessarios Regulares (Episcopus) cogere possit ad interessendum praefatae congregationi casuum conscientiae?

S. Congregatio Concilii, 12 Maii 1585, respondit: *Negative* (Bizz. p. 826).

III. Iterum quaestio proposita fuit in *Aquipend. Visit. Sacrorum Liminum,* diei 12 Martii 1718 cum dubio:

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat Episcopo concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi confessiones saecularium iniungere, ut intersint congregationibus casuum conscientiae? Et responsum fuit: *Negative, et detur decretum* in *Forosempr.* 12 Maii 1585 (Bizz. p. 827).

787. Decretum mox relatum confirmatum fuit a S. Congregatione super Regulari Disciplina per Epistolam diei 8 Nov. 1752, incip. *Altre volte.* Nam dubio (1): Se li Confessori Regolari *non Curati* siano o no obbligati ad intervenire alle Conferenze dei casi di coscienza dai Vescovi nelle di loro chiese secolari stabilite? S. Congregatio respondit: *Negative, et dentur decreta alias in rem hanc emanata* (Apud Bizz. loc. cit.)

788. Lectores non praetereat, Concilium Romanum habitum auctoritate Benedicti XIII et sub eius praesidentia celebratum anno

(1) An Confessarii regulares *non Parochi* teneantur interesse collationibus casuum conscientiae ab Episcopis in suis ecclesiis saecularibus statutis?

1725, iussisse Confessarios omnes, etiam ex Ordinibus regularibus, *intra fines Provinciae* commorantes, accedere debere ad conferentiam casuum ab Episcopis statutam, « *dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur* » (Vid. Const. cit. *Romanos Pontifices* Leonis XIII, verb. *Praecipuam*).

Quod tamen praeceptum *extra Romanam provinciam* vires non obtinet. Quousque autem se extendat ecclesiastica Provincia Romana, explicat Benedictus XIV *de Syn. dioec.* lib. II, cap. II.

789. Leo XIII declaravit pro Missionariis in Anglia, *omnes Missionum Rectores* Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decrevit, ut iisdem intersint Vicarii quoque, aliique Religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque Missionum domus incolunt (Const. cit. *Romanos Pontifices*).

§ 6. *Quid possint Episcopi circa Regulares extra vel intra claustra delinquentes.*

790. Responsum habetur ex Concilio Tridentino *(sess. 6, cap. 3, de Ref.)*, ubi sic decernitur: « *Nemo Regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis praetextu tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat* ».

791. 1. *Degentes extra claustra* censendi sunt Religiosi illi, qui *permanentem* habitationem habent extra monasterium, ut puta qui studiorum causa extra monasterium commorantur, iuxta Trid. *sess. 25, cap. 4, de Regul.* Non autem illi, qui per aliquot dies, vel etiam per duos aut tres menses, *de licentia suorum Superiorum,* ex causa praedicationis, vel confessionum excipiendarum, aut etiam recreationis gratia, et huiusmodi, extra Conventum versantur (Cf. Reiff. Lib. I Decret. tit. 31, n. 112; Salmant. tom. 4, tr. 18, cap. 3, n. 48).

2° Degentes *extra claustra* ii quoque Religiosi censendi sunt, qui non solum permanentem habent habitationem extra monasterium, sed insuper non vivunt *sub Superiore conventualiter,* quamvis

de licentia sui Praelati commorentur in Domo ad erectionem monasterii deputata. Licentia enim Superioris in tali casu operatur solum, ut observant Doctores, *ne committatur apostasia*, non vero quin ab Ordinario pro excessibus puniri possint Religiosi. Qua de re Auctores hanc afferunt declarationem Sacrae Congregationis Concilii: *Regularis manens extra claustra de licentia Superioris, etiam in domo destinata ad erectionem monasterii, nisi in dicta domo sit regularis observantia, ut saltem vivat sub Superiore conventualiter, potest puniri ab Ordinario* (Cf. Fagnan. cap. *Grave*, de *Offic. Ordinar.* n. 36 in Lib. I Decret.; Reiff. loc. cit. n. 113; Ferraris, verb. *Regulares*, art. II, n. 35 sq.; Matthaeucci, Offic. Cur. cap. ult. n. 20).

3° Praedicta dispositio locum non habet in Regularibus degentibus *in domibus parochialibus monasterio unitis*, in quibus curam animarum exercent et Sacramenta administrant, quique proinde non possunt ab Ordinario loci puniri, *nisi delinquant circa dictam curam animarum et Sacramentorum administrationem*, prout in causa canonici Regularis Lateranensis respondit S. Congregatio Concilii, teste Fagnano loc. cit. Censentur enim degere intra claustra (Vid. etiam Matthaeucci et Ferraris, locis cit.).

4° Regulares tamen, qui de licentia suorum Superiorum commorantur *in aliquo membro* seu *Grangia* sui monasterii pro Religionis servitio, si ibi delinquant, possunt ab Ordinario puniri, prout resolvit S. Congregatio Ep. et Reg. die 27 Iun. 1633, apud Ferraris, loc. cit. n. 38, et Matthaeucci, ibidem.

5° Notandum est, facultatem puniendi Regulares *extra* claustra degentes et delinquentes, non esse concessam Ordinariis *privative* quoad Praelatos regulares, sed *cumulative;* unde possunt ipsi quoque Praelati punire tales Religiosos delinquentes, ac praevenire Ordinarios. Nam Concilium Tridentinum non eximit Regulares extra claustra degentes a iurisdictione suorum Praelatorum, consequenter nec a correctione ipsorum (Reiff. et Matthaeucci, locis cit.).

6° Quinimmo *nec ipsi Parochi regulares*, si delinquant in iis, quae animarum curam et Sacramentorum administrationem concernunt, eximuntur a correctione et punitione sui Praelati Regularis: ita docet Benedictus XIV in Constitutione *Apostolicum ministerium*,

30 Maii 1753, § 16, ubi haec habentur: Habent itidem Vicarii Apostolici (et ita ceteri Episcopi), utpote Sanctae Sedis delegati, potestatem supra Regulares in iis omnibus, quae animarum curam, et Sacramentorum administrationem respiciunt. *At vero huiusmodi ius non solum iis competit, verum etiam Regularibus Superioribus, quibus concessum est suos Religiosos animarum regimen sive Sacramentorum administrationem male exercentes punire* » (Vid. etiam Const. *Firmandis*).

792. Nunc exposita referuntur ad Regulares EXTRA *monasterium degentes ibique delinquentes.* Sed quaeritur ulterius: « *Quid iuris in Episcopis quoad Regulares* INTRA *claustra monasterii degentes,* et EXTRA *notorie delinquentes?* Respondet Tridentinum ita: *Regularis non subditus Episcopo, qui* INTRA *claustra monasterii degit, et* EXTRA *ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit* » (*Sess.* 25, *cap.* 14, *de Regul.*; Fagnan. cap. *Grave,* n. 69).

Hoc decretum ampliatum est a Clemente VIII Const. *Suscepti muneris ratio* diei 18 Martii 1596, in qua haec summatim statuit: 1° Sub poena privationis dignitatum et officiorum latae sententiae Superioribus regularibus praecipit, ut praefatum Tridentini decretum in omnibus et per omnia exequantur; 2° Quod si Superior regularis suum Religiosum, ut supra delinquentem, non puniverit, et illum impunitum a loco delicti ad alium suae Religionis locum extra Dioecesim transmiserit, instante Episcopo loci delicti, *intra terminum ab eodem praefigendum, debet dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare;* alias idem Superior incurrit poenam *privationis vocis activae et passivae Papae reservatam;* 3° Quod si Superior regularis hoc etiam facere praetermiserit, Ordinarius loci, ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, potest et debet procedere adversus eumdem, eumque punire iuxta praedictum Tridentini decretum, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus (Vid. Const. apud Giraldum, tom. III, p. 1045; Matthaeucci, n. 21; Ferraris, n. 40 sq.; Fagn. n. 69 in locis cit.).

793. Ex transcripto Tridentini decreto, et ex relata Constitutione Clementis VIII infertur, Regulares *intra* claustra degentes et *extra* ea quomodolibet delinquentes, non posse ab Episcopis *directe* puniri, sed tunc solum, quando *ob negligentiam Superiorum in puniendis dictis delinquentibus,* ad ipsos Episcopos devoluta est iurisdictio in terminis Tridentini; nam extra hunc casum privative subsunt iurisdictioni et punitioni suorum Superiorum, ut etiam declaravit Benedictus XIII in *Motu proprio* edito sub die 26 Martii 1729 ad dirimendas lites inter Neapolitanum Nuncium et Abbatem Generalem Montis Virginis (Vid. Giraldi, ibid. p. 1046; Ferraris, verb. *Regulares,* art. II, n. 88).

794. *Dubium.* Sacrae Congregationi Concilii propositum fuit, prout referunt Auctores infra citandi, dubium sequens: *An Regularis delinquens notorie in ecclesia seu monasterio sui Ordinis, in quo degit, ita ut populo scandalo sit, dicatur delinquere extra claustra, ut locus sit dispositioni Conc. cap.* 14, *sess.* 25 *de Regularibus?*

S. Congregatio censuit delinquere extra claustra, *si in Ecclesia monasterii delinquit, nisi clausis portis Ecclesiae, et solis Regularibus in ea existentibus fuerit commissum;* si vero intra claustra monasterii, vel ecclesiae interioris delictum sit commissum, ex verbis Concilii non videtur procedere *d. cap.* 14, quod expresse dicit « *extra claustra* »: tamen si scandalum sit notorium populo, ex identitate rationis idem videtur (*Apud Matthaeucci, Ferraris, Giraldi, Fagnan.* locis cit.).

Quoad ultimam partem huius decreti, laudatus Giraldus haec animadvertit: « Cum S. Congregatio utatur verbo *videtur,* infertur, debere Ordinarium cautius se gerere in puniendo, etiam attenta negligentia Superiorum; quandoquidem verbum hoc non certam, sed opinabilem dumtaxat sententiam prae se fert ».

795. *Quid possint Episcopi quoad Regulares in causis civilibus?* Concilium Tridentinum (*sess.* VII, *cap.* 14) sic decrevit: In exemptorum causis Constitutio Innocentii IV, quae incipit *Volentes,* in generali Concilio Lugdunensi edita, servetur, quam eadem sacrosancta Synodus innovandam censuit, et innovat, addendo insuper, quod *in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum* Clerici saeculares aut regulares *extra* monasterium degentes, quo-

modolibet exempti, etiam si certum Iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero *(causis),* si ipsum Iudicem non habuerint, *coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede Delegatis,* conveniri, et iure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possint: privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris ».

Quoad hoc Tridentini decretum est notandum: 1° Quod *miserabiles personae* censentur illae, quae inopia laborant, praesertim viduae ac virgines, orphani, pupilli, puellae pauperes nobiles etc.

Per *causas civiles mercedum,* inquit Reiffenstuel, *lib. I Decret. tit.* 31, *de Offic. Iud. Ordin.* n. 164, intelliguntur obligationes solvendi operariis stipendium. Per *causas miserabilium personarum* vero intelliguntur illae, quae contra dictos Regulares moventur a viduis, pupillis, orphanis, senibus, decrepitis, debilibus, diuturno morbo laborantibus, pauperibus, de novo ad fidem conversis, et ceteris, ad quorum commiserationem natura movemur (Vid. Const. *Quanta* Bened. XIII, apud Ferraris, verb. *Pensio,* n. 28; et cf. Lezana, tom. I, cap. XI, n. 10).

2° Quod in praefato decreto sermo est de Regularibus *extra* claustra degentibus, non vero de Regularibus *intra* monasterium viventibus, qui proinde in causis civilibus conveniri debent non coram Ordinariis, sed *coram eorum Superioribus,* vel Conservatoribus, si eos habeant. Sic pluries declaravit S. Congregatio Concilii, et declarationes Concilii approbavit Paulus V, Const. *Religiosorum,* 24 Aug. 1607, quae refertur a *Giraldi,* tom. III, pag. 853, *Lezana,* loc. cit.; *Matthaeucci,* cap. ult., n. 25. Decretum sic se habet:

« S. Congregatio censuit, neque Constitutione in generali Concilio Lugdunensi edita, quae incipit *Volentes,* neque decreto Concilii Tridentini cap. 14, sess. 7, comprehendi Regulares, ideoque eos iuxta eorum privilegia coram suis Superioribus vel Conservatoribus esse conveniendos. Nec non decretum eiusdem Concilii, dicto *cap.* 20, *sess.* 24 *ad Regulares non pertinere* »... Videatur alia similis declaratio apud Lezanam, loc. cit., et consulatur Emmanuel Rodriguez, *Quaest. Regul.* tom. II, quaest. II, art. VIII, ubi Auctor late quaestionem expendit.

3° Regulares proinde *intra* claustra degentes non comprehenduntur in Decretali *Volentes,* quamvis a Concilio Tridentino innovata, ideoque exempti sunt ab Ordinariorum iurisdictione tum ratione *delicti commissi,* tum *contractus initi,* tum *rei existentis extra locum exemptum* (Vid. Auctores cit.; Fagnanus in Lib. V, cap. *Tuorum de privil.* n. 18 sq.; Giraldi, tom. II, p. 721).

§ 7. *Ius Episcopi in Regulares quoad fugitivos, apostatas et eiectos.*

796. Decreto S. Congregationis Concilii die 21 Sept. 1624, Urbanus VIII decrevit, ut *fugitivi et apostatae,* sive habitum regularem deferant, sive non, *possint ac debeant ab Episcopo loci,* ubi moram trahunt, *in carcerem coniici, et Superioribus regularibus consignari* secundum regularia instituta puniendi.

Eiecti, ex eodem Urbano VIII, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedere debent, *atque Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subesse;* proindeque Generalis illico expulsionis sententiam *eidem Ordinario notificare tenetur.* Insuper sunt perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.

Licet dictum decretum Urbani VIII fuerit aliquatenus moderatum ab Innocentio XII, tamen quoad indicatam subiectionem *Episcopo* lex manet (Cf. Lib. II pag. 132 sqq.).

§ 8. *An Regulares teneantur servare censuras ab Episcopis latas.*

797. Respondetur affirmative. Nam Concilium Tridentinum, *sess.* 25, *cap.* 12, *De Regul.* statuit: « Censurae et interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis *publicentur atque serventur* ».

Quare Regulares, vi huius Decreti, non solum tenentur servare Episcoporum interdicta, ita ut *non celebrent* scienter in loco interdicto, sed nec possint facere *quod ab aliis celebretur* in locis

ita interdictis, neque possint *excommunicatos* ad divina vel ecclesiasticam sepulturam admittere, nec Sacerdotem suspensum ad celebrationem Missae; quinimmo, si Ordinarius institerit, tenentur Regulares illas in eorum Ecclesiis publicare. Ita communiter Doctores.

§ 9. *An possint Episcopi compellere Regulares exemptos per censuras in casibus, in quibus sibi subsunt.*

798. Certum est posse Episcopum per censuras procedere in iis casibus, in quibus vel a Tridentino, vel a Constitutionibus Apostolicis, aut a Decretis Sacrarum Congregationum *expresse* ei tribuitur facultas coercendi seu procedendi per censuras. An autem in ceteris casibus, in quibus Regulares subiiciuntur Ordinariis, possit Episcopus eos compellere per censuras, est quaestio valde disputata.

799. Ratio praecipua, cui innititur *prima sententia affirmans*, est, quia delegata iurisdictione alicui, ei censentur concessa ea omnia, sine quibus illa expleri non potest; atqui Episcopus compescere nequit Regulares inobedientes, nisi utatur censuris: ergo facultas ad illas censetur Episcopo concessa in delegatione iurisdictionis in illos.

800. Ratio praecipua, cui innititur *sententia negans*, est, quia Concilium Tridentinum, Romani Pontifices et Sacrae Congregationes, ubi volunt, ut Episcopus possit procedere per censuras, *id exprimunt;* ubi nolunt, non exprimunt. Hinc inferunt, ex trita regula discretivae locutionis, excludendos esse casus non expressos, cum potissimum simus *in odiosis*. Quare curae erit Episcopi inspicere, quibus clausulis tributa sibi sit facultas procedendi contra Regulares, ne illius limites excedat, et ne plus quam par est, Ordinibus regularibus odiosus reddatur (Vid. Giraldi, tom. I, p. 119; et cf. Lezana, tom. I, cap. XI, n. 14, Salmant. tom. IV, tr. 18, cap. 111, n. 10 sq.; Ferraris, verb. *Regulares*, art. II, n. 81 sq.).

801. In tribus casibus, ait S. Alph. *de Privilegiis*, n. 77, potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: *Primus* est, ad restituendas res Novitiis a Religione abeuntibus (Trid. *sess.* 25, cap. 16, *de Regul.*). *Secundus* est, ad obser-

vandam clausuram, loquendo de Monialibus (Trid. ibid. cap. 5). *Tertius* est, ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem (Trid. sess. 22, Decr. *de observandis et evitandis in celebratione Missae*).

Deinde S. Doctor quaerit, an *in aliis casibus* possit Episcopus cogere censura Regulares? Et respondet: « Affirmant Barbosa, Garcia, et alii; sed *communius* negant Sanchez, Lezana, et Salmanticenses cum aliis, *propter multa privilegia Papalia,* quae hac de re afferunt ».

802. Privilegia Papalia, quorum mentionem facit S. Ligorius, commemorantur a Lezana et Salmanticensibus, locis cit., et per extensum afferuntur ab Emm. Rodriguez (*Quaestiones Regulares,* tom. 2, q. 59, art. 5). Dictum privilegium, testibus laudatis Auctoribus, concessit Fratribus Minoribus Martinus V et Sixtus IV; Paulus III anno 1549 Societati Iesu; et praefatus Sixtus IV copiosam exemptionem concessit Fratribus Carmelitis; videlicet, *quod nullus Ordinarius, seu Legatus, quamcumque Superioritatem super praedictos Fratres sibi vindicare praesumat. Neque aliquis absque speciali commissione Sedis Apostolicae faciente mentionem de verbo ad verbum de huiusmodi Indulto, valeat pronunciare, sive* PROMULGARE ALIQUAS SENTENTIAS EXCOMMUNICATIONIS, *seu* ALIAS CENSURAS *super eosdem.*

Stante igitur privilegio, quod nequeant Ordinarii sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti in Religiosos proferre *absque commissione Apostolicae Sedis,* speciali cautela opus est Episcopo, ne per censuras procedat in Regulares, nisi solum in casibus, in quibus *ab eadem Apostolica Sede* expresse tributa sibi sit respectiva potestas.

803. Praeter recensitos tres casus Concilii Tridentini, in quibus fas est Episcopo in Regulares inobedientes et contumaces procedere per censuras, alii dari possunt casus, et revera dantur, in quibus Episcopus non per se, sed *tamquam Sedis Apostolicae Delegatus,* per censuras procedere potest in Regulares contumaces. *Exemplum.* Ex Constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV, habet Episcopus « *tamquam Sedis Apostolicae delegatus,* auctoritatem coercendi ac puniendi quoscumque exemptos tam Saeculares quam Regulares, qui

in alienis ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, *absque Episcopi licentia,* et in ecclesiis suis aut suorum Ordinum, *non petita illius benedictione, aut ipso contradicente,* praedicare praesumpserint; ita ut Episcopi in supradictis casibus, in praenominatas personas, in praemissis omnibus et singulis, aut circa quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, *per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, uti eiusdem Sedis Delegati,* procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant » (Vid. etiam Bulla *Superna* Clementis X).

804. Ex expositis videtur posse concludi, non licere Episcopis per censuras procedere contra Regulares, nisi solum in casibus, in quibus sive a Tridentino, sive a Constitutionibus Apostolicis, sive etiam a decretis Sacrarum Congregationum datur eis *expressa* facultas procedendi per censuras. Ad minus, *pendente quaestione,* non potest Episcopus turbare Regulares in sua possessione exemptionis: siquidem in dubio, an iurisdictio pertineat ad Episcopum, non potest hic in causa cognoscere, ne sit iudex in causa propria, sed *eius examen et decisio sunt de reservatis S. Sedi,* iuxta Constitutionem Clementis X, incip. *Superna.* Vid. tamen Adone, p. 283, n. 1230.

§ 10. *Ius Episcopi in Regulares absque scripta licentia a suis Conventibus recedentes.*

805. Sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 25, *cap.* 4, *de Regul.*) ita decrevit: *Non liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui Instituti, puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.*

806. Ex lege ergo Tridentina Religioso minime licet recedere a suo Conventu, etiam praetextu eundi ad suum Superiorem, absque praevia licentia *in scriptis* ab eodem Superiore obtenta. Qui secus

egerit *ab Ordinario loci,* puniendus est, seu puniri potest. Item qui *studiorum causa* ad Universitatem mittitur, in Conventu habitare debet, alioquin *ius est Ordinarii loci contra eum procedere.*

§ 11. *Ius Episcopi in Regulares quomodolibet delinquentes in ipsum Episcopum.*

807. Non obstante privilegio exemptionis, tenentur Regulares *revereri* et *honorare Rmos Episcopos;* quia exempti a iurisdictione, nequaquam sunt exempti *a iure reverentiali* erga eos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Hinc Regulares quicumque, qui in personam Episcoporum delinquunt, eosve impediunt in exercitio suae iurisdictionis, ne munus suum exequantur, possunt per eosdem Episcopos seu Ordinarios *legitime coerceri et puniri.* Ita ex Decreto S. Congregationis Concilii approbato a Gregorio XIII, relato a Fagnano in capite *Grave, de Offic. Ordinar.* n. 76, in 1^m^ Lib. Decret.

808. Hinc etiam possunt Episcopi in accessu ad ecclesias Regularium pro ibi celebrandis Pontificalibus uti *baldachino;* quod si Regulares hoc facere renuant, *possunt Episcopi absque alia monitione interdictum ecclesiae indicere* et denunciare, ex decreto S. Congr. Concilii 26 Iun. 1697, citato a Giraldi, tom. I, p. 118, n. 42, et a Ferraris, verb. *Regulares,* art. II, n. 79. Et S. R. C. super re interrogata, iuxta dispositionem Concilii Tridentini sess. 24 de Ref. cap. 6, respondit:

Episcopum in omnibus suae Dioecesis ecclesiis, *quamtumvis exemptis et privilegiatis,* esse honorandum, ita ut ei is honor tribuatur, qui suae dignitati par sit, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, et in aliis actibus publicis primam Sedem et primum locum, quem ipse elegerit, dandum et concedendum esse; nec posse prohiberi, quominus in dictis ecclesiis, *etiam exemptis,* Pontificalia exerceat, immo *posse Episcopum contradictores poenis et censuris ecclesiasticis compellere,* censuit et declaravit. — Si quis autem de huiusmodi decreto... se gravatum senserit, compareat in eadem S. Congregatione, ubi benigne audietur, sed interim parere non

desistat. Die 6 Dec. 1613 (Decreta Auth. n. 314). et vid. etiam n. 492.

809. Etiam S. Congregatio Ep. et Reg. ex expresso mandato Clementis VIII, sub die 10 Iun. 1603, declaravit, *teneri Regulares* volenti Episcopo pontificales functiones exercere, *baldachinum erigere;* eis autem id facere nolentibus, liceat eidem Episcopo illud asportari et erigi facere. Si qui huic mandato fuerint contumaces, *ab eodem Episcopo ad id per censuras et poenas ecclesiasticas cogi et compelli possunt* (Vid. integrum decretum apud Ferraris, verb. *Baldachinum,* n. 6).

810. *Moniales* tamen etiam Regularibus subiectae, *non tenentur erigere baldachinum* Episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit *stratum* praeparare. Ita declaravit S. Congregatio Ep. et Reg. die 19 Ian. 1686.

811. Huic paragrapho finem damus verbis Leonis X, in Constit. incip. *Dum intra,* ubi Pontifex sic Regulares alloquitur: « *Eosdem insuper Fratres in virtute sanctae obedientiae monemus (hoc est praecipimus), ut eosdem Episcopos, loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et Nostra ac Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore et convenienti observantia venerentur* ».

Episcopos autem sic monet: « *Ipsos quoque Episcopos hortamur, et per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus praedictis, tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum charitate custodiant atque defendant* » (Apud Ferraris, loc. cit. n. 84 sq.).

§ 12. *Ius Episcopi quoad erectionem novorum Conventuum.*

812. Concilium Tridentinum (*sess.* 25, *cap.* 3, *de Regul.*) de Conventuum seu Monasteriorum tam virorum quam mulierum erectione, sic statuit: « Nec de cetero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, *licentia prius obtenta* ».

Ergo ex Tridentino, ad erectionem Conventuum Regulares subiiciuntur Episcopis.

813. Dispositioni Concilii Tridentini accesserunt deinceps plures Constitutiones Romanorum Pontificum, quas in proprio loco retulimus, confirmantes et ampliantes Tridentini decretum. Hic commemorare sufficiat decretum iussu Urbani VIII die 21 Iunii 1625 editum, quo pro omnibus Regularibus ubique locorum existentibus statuitur, ne nova monasteria recipiantur, nisi in iis *duodecim saltem Fratres* degere, et ex reditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant. Alioquin monasteria *posthac recipienda,* in quibus duodecim Fratres sustentari non poterunt, et actu non inhabitaverint, *Ordinarii visitationi atque omnimodae iurisdictioni subiecta intelliguntur* (Vid. quae latius diximus in Lib. III, *de Conventibus*).

814. At vero post hodiernas politicas vicissitudines, Pius PP. IX, pro Italia et Insulis adiacentibus benigne indulsit, ut familia religiosa constituta habeatur, si *saltem tres Religiosi Sacerdotes* extarent, et Leo XIII *ad quatuor saltem Sacerdotes* talem dispositionem extendere censuit.

815. Quinimmo idem Pontifex Leo XIII in Constitutione incip. *Romanos Pontifices,* anno 1881, de praesenti materia sic *generatim* declaravit: « *Iure autem communi* constitutum est, ut domus, quae Sodales Religiosos *sex minimum* non capiant, *in potestate Episcoporum esse omnino debeant* ».

Ergo *de iure communi* Religiosi subduntur Episcopis non solum quoad erectionem Conventuum, sed etiam quoad visitationem relate ad illos Conventus seu Domus, quae non contineant *sex minimum* Religiosos. — At quoad ipsam visitationem *parvorum* Conventuum, Romanae Congregationes eo sunt in sensu, ut Episcopi non sint solliciti ad hoc ius exercendum, nisi peculiares circumstantiae aliter fortasse suadent.

§ 13. *Regulares subsunt Episcopis, quoad Litteras testimoniales pro admittendis Postulantibus ad habitum religiosum.*

816. Summus Pontifex Pius IX, per decretum, quod incipit *Romani Pontifices,* die 25 Ian. 1848, decrevit ut sequitur:

« In quocumque Ordine, Instituto, Monasterio, vel Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet quovis privilegio suffultis, nemo ad habitum admittatur *absque testimonialibus litteris tum Ordinarii loci,* in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit » etc. Regulares ergo sive Religiosi cuiuslibet Instituti *subsunt iurisdictioni Episcoporum quoad dictas Litteras testimoniales* pro admittendis Postulantibus ad habitum religiosum.

§ 14. *Ius Episcopi in Regulares exemptos quoad ipsorum Novitios.*

817. Ex declaratione Summi Pontificis Pii IX, professi votorum simplicium dominium *radicale* suorum bonorum retinere possunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo ante professionem votorum simplicium permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit. At ex Concilio Tridentino, *sess.* 25, *cap.* 16, *de Regul.,* scimus, quod nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, *nisi cum licentia Episcopi, sive eius Vicarii,* fiat intra duos menses proximos ante professionem.

818. Inducta lege de votis simplicibus in Ordinibus regularibus, dubitatum est, quandonam professi votorum simplicium renuntiationem a Tridentino praescriptam emittere debeant. Et Pius IX ann. 1862 statuit, praefatam renuntiationem pro professis votorum simplicium *fieri debere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium.*

819. Praecipit insuper Tridentina Synodus in eodem cap., ut Novitiis abeuntibus ante professionem, omnia restituantur quae sua erant; quod ut recte fiat, *Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas,* si opus fuerit, compellat ».

820. Collige, Regulares *subiici Episcopis* tum in renuntiatione et obligatione a Novitiis faciendis, tum in restitutione omnium bonorum Novitiis *abeuntibus* seu discessuris exequenda.

§ 15. *Ius Episcopi explorandi voluntatem puellarum monachandarum, et quoad numerum Monialium.*

821. Lex Tridentina (*sess.* 25, *cap.* 17 *de Regul.*) praecipit, ut puellae volentes habitum religiosum suscipere, non ante in monasterium suscipiantur, neque postmodum professionem emittant, *nisi antea Episcopus*, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut alius ab eis deputatus, diligenter exploraverit voluntatem virginis, *an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat,* ut loquitur Tridentinum. Quae quidem exploratio *ex parte Episcopi* observanda quoque est in monasteriis Regularibus subiectis, ut declaravit S. Congregatio Concilii, quemadmodum ostendimus in Lib. IV *de Monialibus et Sororibus*.

822. Tempus autem professionis a puella emittendae, ne Episcopus ignoret, tenetur Praefecta seu Abbatissa eum ante mensem certiorem facere, secus ab officio suspendi potest ab ipso Episcopo.

Quinimmo a S. Congregatione Concilii decisum est, *Episcopum posse, etiam sub censuris, praecipere Monialibus*, ne recipiant puellas ad habitum, nec ad professionem, *nisi prius sit ipse certioratus,* ut sic puellae voluntatem explorare valeat.

Moniales igitur, etiam Regularibus subiectae, *subduntur Episcopis quoad explorationem voluntatis puellarum*, quae Deo dicantur, faciendam tum ante admissionem ad habitum, tum ante professionem.

823. Praeterea Moniales *subiiciuntur Episcopis quoad taxationem numeri Monialium*, ita tamen ut in monasteriis *non exemptis* taxari quidem debeat ab Episcopo: at in monasteriis *exemptis* ab ipso Episcopo *cum interventu suorum Superiorum* (Greg. XIII, Const. *Deo sacris*).

§ 16. *Ius Episcopi in iudicio super nullitate professionis religiosae.*

824. « Quicumque Regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam

professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, *non audiatur, nisi intra quinquennium tantum* a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo *et Ordinario* ». Ita Conc. Trid. *sess.* 25, *cap.* 19, *de Regul.*

Regulares ergo omnes *subduntur Episcopis* seu Ordinariis locorum in causis Religiosorum deficientium a Religione, seu in iudicio *de nullitate professionis religiosae*. Hoc tamen iudicium non ad Episcopum solum, sed *coniunctim* cum Superiore Religiosorum pertinet, ut patet ex relato Tridentini decreto.

§ 17. *Ius Episcopi in electione Abbatissae quoad Monasteria Regularibus subiecta.*

825. Gregorius XV statuit, quod « *possit Episcopus una cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum, vel Praepositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere* » (Bulla *Inscrutabili*).

Praelati autem Regulares tenentur significare *Ordinariis* diem electionis Abbatissarum sibi subiectarum, ut per se vel per alium possint intervenire, si velint, nec non ipsorum adventum usque ad praefinitum tempus exspectare (Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. V, cap. 12, n. 4).

Regulares igitur subiiciuntur Episcopis *quoad electionem Abbatissae* in Monasteriis ipsis Regularibus subiectis.

§ 18. *Quid possit Episcopus in Regulares quoad clausuram Monialium.*

826. Tridentina Synodus (*sess.* 25, *cap.* 5, *de Regul.*) universis Episcopis praecipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis *ordinaria*, in aliis vero *Sedis Apostolicae auctoritate*, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent: *inobedientes, atque con-*

tradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas... compescentes.

Regulares etiam exempti prohibentur sub gravi, ne *absque Episcopi licentia* colloquantur cum Monialibus, etiam sibi subiectis; et id intelligendum est de collocutione etiam *per quodcumque modicum temporis spatium* (Cf. Lib. IV, n. 430).

Gregorius XV, Bulla *Inscrutabili,* amplians et explicans relatam sanctionem Tridentinam, decrevit, quoscumque Regulares, delinquentes in iis, quae respiciunt *clausuram Monialium,* etiam ipsismet Regularibus subiectarum, aut personas intra monasterii septa degentes, vel circa bonorum administrationem monasteriorum earumdem Monialium *corrigi et puniri posse ab Episcopo loci,* tamquam Apostolicae Sedis delegato.

Alexander VII, Bulla *Felici,* statuit, Praelato regulari *semel dumtaxat in anno,* occasione visitationis, fas esse monasterii sibi subiecti septa ingredi. Si autem necessitas urgeat saepius in anno idem monasterium ingrediendi, id non aliter Praelato regulari licere voluit, quam *cum praesentia Episcopi dioecesani,* aut alterius personae ecclesiasticae, ab ipsomet Episcopo specialiter deputandae (Cf. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. IX, cap. 15, n. 6 sq.; et vid. latius exposita de *Monialibus et Sororibus* in Lib. IV).

Collige, Regulares licet exemptos *subesse iurisdictioni Episcoporum quoad clausuram Monialium,* etiam sibi subiectarum. Huiusmodi enim custodia, exacte servanda, Episcopis commissa est ab Apostolica Sede.

§ 19. *Ius Episcopi in Regulares quoad confessarios Monialium.*

827. Clemens X, Const. *Superna* decrevit, Religiosos approbatos ab Episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos *ad audiendas confessiones Monialium* sibi subiectarum; sed egere quoad hoc *speciali Episcopi approbatione;* atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones Monialium alterius monasterii.

Item Confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones *pro una vice* audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis huiusmodi, illarum confessiones audire, *sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit* (Vid. tract. de Monialibus).

Ex adductis infer, Regulares Episcopis subiici quoad approbationem ad excipiendas confessiones Monialium ipsis Regularibus subiectarum.

Quaeri potest, quodnam ius sit Episcopis circa monasteria Monialium Sedi Apostolicae immediate subiectarum et quae Regularium Praelatorum gubernio non fuerunt addictae? Respondetur: huiusmodi monasteria regi debere ab Episcopis, *tamquam Sedis Apostolicae delegatis,* ex Trid cap. 9, *sess.* 25, *de Regul.*, quod tamen intelligendum est de gubernio *spirituali,* non de *temporali,* ut decisum refert Barbosa apud Reiff. loc. cit. n. 142.

§ 20. *Ius Episcopi in Regulares quoad administrationem Sacramentorum.*

828. Gregorius XV, Bulla *Inscrutabili,* declaravit, ut deinceps tam Regulares quam Saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, sive saecularibus incumbentem, exerceant; sive alias ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent praevia Episcopi licentia et approbatione; sive quoquomodo in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant; in his quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, *omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi,* tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiaceant.

Hic advertendum est cum Fagnano, cit. cap. *Grave, de Offic. Ordinar. n.* 37, quod facultas Episcopis eo casu attributa per dictam Constitutionem non habet locum, *nisi cum Regulares delinquunt in administratione* alicuius Sacramenti. Nam etsi Consti-

tutio initio generaliter subiiciat Regulares omnimodae iurisdictioni Episcopi in his, quae dictam administrationem concernunt; tamen restringitur postea in vers. *Ita ut Episcopi* etc., ad personas in supradictis casibus *delinquentes dumtaxat,* ut interpretata est S. Congregatio Concilii; eamque interpretationem ad se relatam postea approbavit Gregorius Constitutionis Conditor (Cf. etiam Decr. S. C. C. apud Ferraris verb. *Regulares,* art. II, n. 6 ad 1^m).

829. De regula ergo generali Regulares subduntur Episcopis *quoad Sacramentorum administrationem,* ita ut si in huiusmodi administratione *delinquant,* possint ab eisdem Episcopis corrigi. In particulari sequentia notanda sunt:

830. I. Regulares subduntur Episcopis quoad *Baptismum,* utpote qui, sine speciali delegatione conferri nequeat, nisi a Papa in toto orbe, ab Episcopo in sua dioecesi, et a Parocho in sua parochia. Excipitur casus necessitatis, in quo nedum Regulares, sed quilibet homo rationis usum habens cum debita intentione valide et licite baptizat.

II. Regulares subduntur Episcopis quoad Sacramentum *Confirmationis,* quatenus iisdem Episcopis liceat *in ipsorum Regularium ecclesiis,* sive parochialibus, sive non parochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare, facta eisdem Episcopis facultate per censuras inobedientes compellendi (S. C. C. 10 Iun. 1603; Benedict. XIV, Const. *Firmandis;* et vid. Giraldi tom. III, p. 825 sq.).

III. Regulares subduntur Episcopis *quoad SS. Eucharistiam et Missae Sacrificium.* 1° Regulares delinquentes contra Decretalem, incip. *Statuimus* (cap. I, *de custod. Euchar.*), qua praecipitur: « ut in cunctis ecclesiis Chrisma et Eucharistia sub fideli custodia, *clavibus adhibitis,* conservetur », possunt puniri non solum a suo Superiore regulari, sed etiam *ab Episcopo* (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. IX, cap. 15, n. 4).

2° Circa *expositionem,* S. Congregatio die 17 Aug. 1630, censuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit *ab Ordinario;* ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non possit

(Apud Bened. XIV, loc. cit.). Nec proinde licet Regularibus, praeter consuetas usuque receptas SS. Sacramenti expositiones, extraordinarias quoque in eorum ecclesiis facere *absque licentia Ordinarii* (S. R. C. 3 Apr. 1821, *Decret. Gle,* N. 2613).

Sed nota, Regulares non indigere Episcopi licentia, sive pro exponenda Sacra Eucharistia *velata,* adstante populo; sive pro exponenda *detecta, exclusis saecularibus.* Nam in neutro casu fit expositio *publica,* pro qua sola requiritur Episcopi facultas (*Cavalieri, apud Bouix,* tom. II, p. 212).

3° Circa celebrationem Missae, Concilium Tridentinum in Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* sess. 22, plura statuit. Praeter alia, decrevit *a)* Ut singuli Episcopi in suis dioecesibus interdicant, ne cui *vago et ignoto Sacerdoti* Missas celebrare liceat. Vi huius decreti possunt Episcopi Regulares inobedientes per censuras ecclesiasticas compellere. *b)* Praecepit, ne patiantur (Episcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam* et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi. Quo tamen in decreto non comprehenduntur oratoria *semipublica* in Conventibus a Generalibus vel Provincialibus erecta, in quibus proinde, sine alia Episcopi vel Summi Pontificis facultate, possunt eodem die legi plures Missae, nedum a Regularibus, sed etiam a Presbyteris saecularibus.

4° Nequeunt Regulares extra dioecesim, in qua ad sacros Ordines promoti fuere, celebrare, nisi Episcopo aut eius Vicario vel Vicario foraneo, Superiorum suorum documenta proferant, quibus constet, ipsos esse Sacerdotes et nullo canonico impedimento irretitos. Id autem intelligendum est praecipue, si susceptum Ordinem exercere velint in ecclesiis, quae ad proprium Ordinem non spectant (Bened. XIV, Const. *Apostolicum Ministerium,* 30 Maii 1753).

5° Concilium Tridentinum in citato decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* postquam plura disposuit circa Eucharistiam et Missae Sacrificium, Episcopis generaliter potestatem facit, ut *quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi..., etiam ut delegati Sedis Apostolicae prohibeant, mandent, corrigant,*

statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis, aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituantur, fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. Ex quibus verbis infertur, posse Episcopum praeter illa, quae in praefato decreto continentur, alia quoque observanda praecipere, etiam Regularibus exemptis, modo tamen Episcopi ordinationes pertineant ad finem a Tridentino intentum, scilicet, *ad maiorem illius ineffabilis mysterii decorem et cultum* (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. IX, cap. 15, n. 5).

IV. Regulares subduntur Episcopis quoad administrationem *Sacramenti Poenitentiae,* ita ut

a) nec licite nec valide possint confessiones saecularium audire, nisi aut habeant parochiale beneficium, aut fuerint *ab Episcopo* approbati. Patet ex *Trid. sess.* 23, *de Ref. cap.* 15.

b) At Regulares possunt absque ulla licentia aut approbatione Episcopi, sed cum licentia dumtaxat sui Superioris audire confessiones *suorum Religiosorum, Novitiorum, Oblatorum,* nec non *famulorum,* qui intra septa et sub Regularium obedientia vivunt.

c) Non possunt tamen Regulares, ut saepius dictum est, absque Ordinarii approbatione audire *confessiones Monialium,* quamvis sint eiusdem Ordinis, et ipsis subiectae.

d) Episcopus non potest *omnes simul unius Conventus Regulares* ab audiendis confessionibus suspendere. Sane Clemens X in Constitutione *Superna* statuit: *Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus* confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse, quae omnia latius probata supra sunt.

e) Regulares subduntur Episcopis, et ab ipsis puniri possunt, *si violent sigillum sacramentale confessionis,* cum isti censeantur delinquere circa administrationem Sacramenti Poenitentiae (Greg. XV, Const. *Inscrutabili*).

f) Circa locum et tempus, in quo audiri nequeunt *mulierum* confessiones, ex epistola encyclica Congr. S. Inquisitionis, sub die 14 Dec. 1694, *prohibere possunt Episcopi* Confessariis, *etiam Regularibus,* ne eas audiant *extra Confessionale,* nec in eius parte

anteriori, sed a latere cum crate perforata, et hoc situm sit in loco publico, ut videri ab omnibus possit. — Ex decreto autem S. Congr. sub die 21 Ian. 1620, *mulierum confessiones post crepusculum vespertinum sine necessitate audiri non debent* (Vid. Giraldi, *Expositio Iuris Pontificii,* tom. I, pag. 120, Append. III, n. 3).

V. Quoad administrationem *Sacramenti Extremae Unctionis et Eucharistiae per Viaticum,* prius Clemens V in Concilio Viennensi, ac deinde Pius IX in Constitutione *Apostolicae Sedis,* excommunicationem Romano Pontifici ordinario modo reservatam, tulit in *Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia.*

Ab hac sanctione excipiuntur illi, qui in monasteriis seu domibus exemptis actu serviunt, intra eorum septa resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quibus omnibus *familiaribus et continuis commensalibus,* non solum possunt Regulares absque licentia Parochi ministrare Extremam Unctionem et Viaticum, sed etiam Eucharistiam tempore Paschatis, eorum confessiones audire cum sola approbatione Praelati regularis, nec non dare eis sepulturam in propriis ecclesiis.

VI. Regulares quomodocumque exempti subiiciuntur Episcopis in iis omnibus, quae sunt *Ordinis Episcopalis:* ut in petitione Chrismatis, Consecrationis ecclesiarum, susceptione Ordinum, et huiusmodi. Unde non possunt *Ordines* recipere, nisi ab Episcopo illius loci, in cuius dioecesi eorum monasteria existunt, iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 23, *cap.* 10, *de Ref.* Excipitur casus, quo aliquis Ordo religiosus obtinuerit ab Apostolica Sede speciale indultum, ut eius Alumni a *quolibet catholico Antistite ordinari valeant,* dummodo tamen tale privilegium post Tridentinum Concilium, et ipsi Ordini *nominatim atque directe, non autem per communicationem* concessum fuerit (Vid. dicta de *Sacra ordinatione* in Lib. VIII).

VII. De *Sacramento Matrimonii* omnibus compertum est, solum Parochum *proprium* alterutrius contrahentium posse valide eorum matrimonio assistere. Si quis Sacerdos tam saecularis quam regularis, absque speciali Parochi licentia, matrimonio assistere seu solemnizare auderet, praeter nullitatem actus, gravissime peccaret.

Praeterea a Tridentino (*sess.* 24, *cap.* I, *decret. de Reform. Matrim.*) sic statuitur: « Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Saecularis sit... alterius Parochiae sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure *tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario* eius *Parochi,* qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur » (Cf. Alasia, *Commentarius de Legibus,* Dissert. IV, cap. IV, art. II).

§ 21. *Ius Episcopi in Regulares quoad sacram Praedicationem* (1).

831. Tum a Concilio Tridentino, *sess. V, cap. II de Ref.,* tum a Clemente X, Bulla *Superna,* statuitur, ut Regulares, qui in ecclesiis *sui Ordinis* praedicare voluerint, *teneantur ab Episcopo dioecesano benedictionem petere;* praedicare tamen possunt, *quamvis illam non obtinuerint.* Quod si Episcopus benedictionem nedum concesserit, *sed etiam contradixerit,* nec in ipsis ecclesiis proprii Ordinis praedicare possunt.

In ecclesiis vero *proprio Ordini extraneis nullo modo* praedicare possunt *absque obtenta Episcopi licentia.*

Si vero Praedicator *errores aut scandala disseminaverit in populum,* etiamsi in monasterio sui vel alterius Ordinis praedicet, Episcopus ei praedicationem *interdicat...* Curent autem Episcopi, ne quis Praedicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat (Conc. Trid. *sess.* 5, *cap.* 2, *de Ref.*).

Possunt etiam Episcopi, quo tempore concionandi licentiam dabunt, a Regularibus exigere *professionem fidei;* ut declaravit S. Congregatio Concilii ab Archiepiscopo Mediolanensi rogata (Fagnan. Cap. *Grave,* n. 43).

In iis ergo Regulares iurisdictioni Episcopi subsunt.

---

(1) De hoc argumento fusius egimus supra n. 3, hic brevius.

§ 22. *Ius Episcopi in Regulares quoad dies festos in Dioecesi institutos.*

832. *Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur* (Conc. Trid. sess. 25, cap. 12, de Regul.).

S. Congregatio Concilii declaravit, praefatum decretum Tridentinum ita esse intelligendum, ut Regularium *ritus illis festis semper permaneant quoad Missas celebrandas, et cetera divina officia,* tam publice quam privatim ab ipsis Regularibus in eorum ecclesiis persolvenda, nec circa haec ab ipsis quoquo modo quidquam contrarium eisdem Regularibus praecipi posse. Quod si de facto praeceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri (Apud Fagn. Cap. *Grave,* n. 66; Ferraris, verb. *Regulares,* art. II, *Addit. Casinen.* in nota).

§ 23. *Regulares subsunt Episcopis quoad Iudices conservatores.*

833. Regulares subduntur Episcopis *quoad Iudices Conservatores,* quatenus si Conservatores non elegerint, quam iuxta formam praescriptam a Gregorio XV, Const. *Sanctissimus,* ad annum Conservatore carere debent, et interea eorum causae *coram locorum Ordinariis* cognosci et definiri debent (Vid. Fagn. cap. *Grave,* n. 44; et cf. exposita p. 366 sq.).

§ 24. *Regulares parochi subduntur Episcopis a) quoad accessum ad Synodum dioecesanam; b) quoad conferentias casuum; c) quoad plura alia, excepta regulari observantia.*

834. Regulares *Parochi* subduntur Episcopis quoad *accessum ad Synodum dioecesanam,* quatenus *omnes animarum curam gerentes,* sive Saeculares, sive Regulares, indubia lege adiguntur ad interveniendum Synodo (Bened. XIV, *de Syn. dioec. lib.* III, cap. V, n. 2; Const. *Firmandis*).

835. Regulares *Parochi* subduntur Episcopis quoad *conferentias casuum,* quatenus huiusmodi Cleri congregationibus, quos etiam *collationes* vocant, interesse tenentur (Bened. XIV, Const. *Firmandis,* § 6; Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices;* vid. sup. n. 785).

836. Regulares *Parochi* subduntur Episcopis quoad plura alia, videlicet: quidquid Episcopus a Parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, *regulari observantia unice excepta,* a Parocho regulari exquirere et exigere potest (Bened. XIV, Const. *Firmandis*).

§ 25. *Regulares subsunt Episcopis quoad pulsum campanarum in Sabbato Sancto et in alio aliquo peculiari casu.*

837. Regulares subduntur Episcopis *quoad pulsum campanarum in Sabbato Sancto.* Nam Sacra Rituum Congregatio die 19 Dec. 1671 declaravit: Non licere Regularibus pulsare eorum campanas Feria V in Coena Domini post silentium illarum Parochialis, et die Sabbati Sancti ante earumdem pulsationem (N. 1440). Regulares contravenientes possunt conveniri *coram loci Ordinario,* et ab ipso puniri (Eadem S. C. 16 Maii 1626. N. 405; ita etiam decretum iam fuit a Leone X, Const. *Dum intra*).

Item Regulares subduntur Episcopis quoad *eumdem sonitum campanarum,* quatenus *iubente Ordinario,* ut quibusdam Solemnitatibus, vel in alio peculiari casu sonus aeris campani omnium ecclesiarum edatur, etiam praefatae Regularium ecclesiae, quantumvis exemptae, eius mandato *parere tenentur* (S. R. C. 3 Apr. 1821. Decret. Gen. N. 2613).

§ 26. *Regulares subduntur Episcopis quoad censuram incursam ob notorium delictum, quatenus possunt denunciari excommunicati.*

838. Regulares subduntur Episcopis, si censuram canonis *Si quis suadente diabolo,* vel aliam a iure latam ob *notorium* delictum incurrerint; tunc enim possunt ab Episcopis *publice denun-*

ciari excommunicati, ut ab aliis vitentur, ut censuit S. Congregatio, teste Fagnano, citato cap. *Grave,* n. 75, Ferraris, *Regulares,* art. II, n. 34; Reiff. *lib. I. Decret. tit.* 31, n. 123; Giraldi, *tom.* I, *p.* 121, n. XIII.

§ 27. *Regulares subsunt Episcopis si incesserint sine socio, aut de nocte, aut publice deferentes arma etc.*

839. Regulares subduntur Episcopis, et ab his puniri possunt, *si incesserint sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, ac etiam publice deferentes arma,* iuxta declarationes Congregationis Ep. et Regul. *in Andrien.* 15 Dec. 1584, et *in Ravennaten.* 12 Sept. 1594, ac Congregationis Concilii *in Turritano,* 3 Febr. 1635; citatas a Giraldi, tom. I, p. 116, VII, et a Ferraris, loc. cit. n. 48 et 49 ex Monacello: servata tamen in omnibus forma Concilii Trid. sess. 25, c. 14, *de Regul.*

§ 28. *Regulares subsunt Episcopis: a) quoad lectionem sacrae Scripturae; b) quoad executionem decretorum Concilii Tridentini sess.* 25, *cap.* 22, *de Regul.; c) quoad executionem ultimarum voluntatum ad causas pias.*

840. I. Regulares subiiciuntur Episcopis quoad *lectionem S. Scripturae.* Nam Tridentinum sess. 5, cap. I, de Ref. ita statuit: In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacrae Scripturae habeatur; qua in re si Abbates negligentes fuerint, *Episcopi locorum* in hoc, ut *Sedis Apostolicae delegati,* eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae lectio similiter habeatur; vid. Fagn. cap. *Grave,* n. 41; Reiff. lib. I, tit. 31, n. 162, et Schmalz. eod. tit., qui ait: Potest Episcopus Regulares suae Dioecesis cogere, ut lectionem Scripturae Sacrae in monasteriis et Conventibus suis, si fieri commode potest, habeant.

II. Regulares subiiciuntur Episcopis seu potius eorum Conciliis Provincialibus *quoad executionem Decretorum Concilii Tridentini*

sess. 25, c. 22 de Regul., quatenus, si Capitula Provincialia et generalia Regularium deficiant in executione Decretorum illius sessionis, tunc in defectu ipsorum Concilia Provincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis provideant (Fagn. c. *Grave*, n. 73; Reiff. loc. cit. n. 167).

III. Regulares subduntur Episcopis *quoad executionem ultimarum voluntatum ad causas pias.* Episcopus enim in sua Dioecesi habetur *ceu executor piarum voluntatum*, cum ad ipsum spectet advigilare, ut piae dispositiones testatorum observentur; quae nisi observentur, ipse executioni easdem committit. Quinimmo Episcopus compellere potest executores piarum voluntatum ad easdem implendas, quamvis testator prohibuerit, quominus Episcopus se ingereret in negotio executionis. De re habetur resolutio S. Congregationis Concilii relata a Fagnano in c. *Tua nobis de Testam.* n. 16: *Cum quaesitum esset, an Episcopus in fundatione exclusus a visitatione Hospitalis, puta in fundatione sit cautum, ne se administrationi, visitationi, aut correctioni immisceat, possit se admiscere in casu negligentiae administratorum?* S. Congregatio censuit: *Posse iuxta* Caput *Tua nobis de Testam.* (Vid. etiam Bizz. Collectanea, p. 545).

Obiter notamus, Fratres Minores non posse esse executores ultimarum voluntatum iuxta expressam dispositionem in *Clem.* I, *De verb. signif.* (Vid. Santi, Lib. III, tit. 26, n. 73; et praecipue Fagn. loc. cit. n. 18; Ferraris, verb. *Regulares*, art. II, n. 70).

§ 29. *Regulares subduntur Episcopis quoad sacras Imagines et Reliquias.*

841. Regulares subduntur Episcopis *quoad sacras Imagines et Reliquias exponendas:* Sacra enim Synodus Tridentina statuit: *Nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo* (Sess. 25, Decreto de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus).

Praeterea Regulares subduntur Episcopis *quoad authentiam Reliquiarum*. Nam S. Congregatio Indulgentiarum, die 16 Dec. 1749 (*Decr. authent.* S. C. I. n. 183) sic declaravit: Unusquisque Episcopus sua in Dioecesi quascumque sacras Reliquias potest authenticare, et potest etiam impedire, quominus Reliquiae ab alio Episcopo authenticatae publicae venerationi exponantur, quoadusque non fuerint ab eo authenticatae, idque ad formam Tridentini, sess. 25, cap. *de Reliquiis*, ubi decretum est: « *Non esse recipiendas novas Reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo* ».

§ 30. *Ius Episcopi in Regulares quoad causas fidei.*

842. Cum quilibet Episcopus in propria Dioecesi sit *immediatus custos fidei*, ad ipsum spectat procedere contra haereticos respectu omnium suorum Dioecesanorum. Nam Episcopus ex officio potest et debet in sua Dioecesi extirpare *haereses*, consequenter etiam iudicare, quinam sint *haeretici*. Episcopus ergo est *inquisitor natus haereticae pravitatis*.

843. Praefata Episcopi iurisdictio in causa *haeresis* extenditur etiam in personas *exemptas*, ita ut has quoque ob haeresim citare, iudicare, et punire valeat, non quidem ut Iudex ordinarius, sed *ut Delegatus Apostolicae Sedis*, textu expresso, cap. *Ad abolendam*, § fin. *De haereticis*, ubi sic statuitur: *Si qui vero fuerint a lege dioecesanae iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicae potestati: nihilominus in his, quae contra haereticos instituta, Episcoporum subeant iudicium: et eis in hac parte tamquam a Sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suae privilegiis, obsequantur* (Vid. Reiff. lib. V Decret. tit. 7, de Haereticis, n. 437; Franciscus Santi, eod. tit. n. 24).

844. Hinc Concilium Tridentinum sess. 5, cap. 2, *de Concionatoribus*, § *Si vero*, edixit: *Quod si* (Praedicator etiam Regularis) *haereses praedicaverit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiam si praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet; quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, et tamquam Sedis Apostolicae Delegatus procedat.*

Regulares ergo in causis *fidem* respicientibus subiiciuntur iurisdictioni et correctioni Episcopi.

§ 31. *Ius Episcopi in Regulares quoad crimen sollicitationis.*

845. Benedictus XIV per suam Constitutionem *Sacramentum Poenitentiae,* 1 Iunii 1741, confirmans Constitutionem Gregorii XV, incip. *Universi Dominici,* editam die 30 Augusti 1622: Omnibus Inquisitoribus et *locorum Ordinariis* mandat, ut diligenter inquirant et procedant contra omnes et singulos Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares quomodolibet exemptos... et cuiuscumque dignitatis, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, aut tractatus temerario ausu habuerint.

Praeterea mandat omnibus Confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo moneant *de obligatione denunciandi sollicitantes Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis.*

§ 32. *Ius Episcopi in Regulares quoad censuram et editionem librorum.*

846. *A)* Regulares, prout ceteri fideles, subiiciuntur Episcopo quoad *versiones vernaculas* Sacrae Scripturae. Nam Summus Pontifex Leo XIII, Constitutione *Officiorum ac munerum,* VIII Kalend. Februarias 1897 sic decrevit: « *Versiones omnes in lingua vernacula,* etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae *sub vigilantia Episcoporum* cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque Scriptoribus » (N. 7).

B) Quoad Litanias. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Rituali-bus continentur, et *praeter Litanias de Beata Virgine,* quae in Sacra Aede Lauretana decantari solent, et *Litanias SSmi Nominis Iesu* iam a Sancta Sede approbatas (adde *Litanias SS. Cordis Iesu*) non edantur *sine revisione et approbatione Ordinarii* (Ibid. N. 19).

C) Scripta noxia removenda. Ordinarii, *etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae,* libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant (Ibid. N. 29).

847. *Approbatio librorum,* quorum censura praesentium Decretorum (Generalium) vi, Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet *ad Ordinarium loci,* in quo publici iuris fiunt (Ibid. N. 35).

D) Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se sacri Concilii Tridentini decreto operis in lucem edendi facultatem *a Praelato, cui subiacent, obtinere.* Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur (Ibid. N. 36).

E) Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, *Ordinarius* in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat (Ibid. N. 40).

Potestas concedendi licentiam legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Sanctae Sedi reservatur. Nihilominus Episcopi, aliique Praelati, *iurisdictione quasi episcopali* pollentes, *pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentioribus,* licentiam concedere valeant (Ibid. n. 24 et 25).

F) Dubium. An Praelati Regulares, ut Generales et Provinciales, utpote qui iurisdictione quasi-episcopali in suos Religiosos subditos pollentes, possint pro *singularibus* seu *determinatis* libris, atque *in casibus urgentioribus* suis Religiosis subditis licentiam eos legendi concedere? Nonnulli negative respondent; nam, aiunt, in eodem numero continuo subiungitur: Quod si iidem (Episcopi aliique Praelati...) generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut *fidelibus* libros proscriptos legendi retinendique li-

centiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant. Quibus verbis Legislator de iis tantum Praelatis loquitur in sententia praefatorum Auctorum qui in populum seu *fideles* iurisdictionem habent, quibus possint dictam licentiam concedere.

G) Nos tamen sententiae oppositae adhaeremus, quia etiam Praelati Regulares habent a iure iurisdictionem quasi-episcopalem in proprios subditos. Quo ergo iure a dicta licentia concedenda excluduntur Praelati Regulares, cum Constitutio *Officiorum* eos non excludat et de re prorsus sileat! Nec dicatur, quod in secunda periodo textus licentia in favorem *fidelium,* non *religiosorum* impertitur: siquidem *etiam Religiosi sunt fideles.* Unde Emus Cardinalis Gennari, cuius specialem in rebus canonicis et moralibus auctoritatem omnes mirantur, docet: *Nè vale il dire che si deve dar licenza ai fedeli, non ai Religiosi; imperocchè ciò non è espresso in questo articolo, parlandosi solo di fedeli: i Religiosi forse non sono fedeli? (Della nuova Disciplina sulla proibizione* e *sulla censura dei Libri,* pag. 80; Vermeersch, S. I. *De Religiosis Institutis,* tom. 1, pag. 223, 4).

§ 33. *Ius Episcopi in Regulares quoad Processiones in ecclesiis ipsorum Regularium.*

848. Regulares extra Claustra et ambitum suorum Monasteriorum nequeunt facere Processiones *sine licentia Ordinarii.* Sacra enim Congregatio ab Urbano VIII specialiter deputata, sub die 27 Iulii 1628 edidit Decretum tenoris sequentis:

Regularibus et Confraternitatibus in Regularium ecclesiis esse permissum, *in eorum ecclesia et claustro tantum,* Processiones facere, et *non extra;* si vero ecclesia claustro careat, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere Processiones facere *intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum,* hoc est prope muros ecclesiae sive exeundo ab una ianua et intrando per aliam, sive per eamdem, et semper prope muros ecclesiae, et non extra dictum ambitum, *nisi de licentia et consensu Ordinarii,* aut cum

cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus et praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tamen Apostolicis per hoc decretum minime derogatum censeatur (S. R. C. die 19 Dec. 1671. N. 1440, et 1096).

Regulares igitur et Confraternitates *subduntur potestati Episcopi,* si velint processiones ducere *extra* suas ecclesias, vel extra ambitum earumdem ecclesiarum.

§ 34. *Ius Episcopi in Regulares quoad Processiones publicas.*

849. Regulares subiiciuntur Episcopis relate ad publicas Processiones; nam declaratum est: *Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos* et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse; exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a civitate distantibus: nempe in die festo SSmi Corporis Christi, in Litaniis Maioribus, in Rogationibus, ac in quibusvis aliis publicis et consuetis, vel pro bono, causa et honore publico ab Episcopo indictis Processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus; privilegiis tantum Apostolicis, Sacro Tridentino Concilio posterioribus, contrarium desuper disponentibus minime sublatis (S. R. C. Decret. Gen. die 27 Iul. 1628. N. 1096; Conc. Trid. *sess.* 25, *cap.* 13, *de Regul.*).

850. Non potest autem Episcopus compellere Regulares ad interessendum Processionibus ab eisdem indictis *non pro bono publico.* Hinc, ex gr. Processioni indictae *pro bono exitu Visitationis* ab Episcopo faciendae, interesse non tenentur, nec compelli possunt Regulares (S. C. Conc. 4. Dec. 1662, apud Aloys. Adone, Lib. III, cap. VII, n. 1852, p. 487).

851. Gregorius XIII, Constit. incip. *Cum interdum* declaravit, omnibus Regularibus licere in quocumque die *infra octavam Corporis Christi* solemniter facere processionem. Ad hanc autem peragendam dicti Regulares, ex iteratis declarationibus S. Rituum Congregationis, non indigent licentia Parochi vel Episcopi.

852. *Controversias omnes de praecedentia,* quae persaepe magno cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam Saeculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella, et similibus, *Episcopus,* amota omni appellatione... *componat* (Conc. Trid. sess. 25, cap. 13, de Regul.).

§ 35. *Ius Episcopi in Regulares quoad exorcizandos obsessos a daemonio.*

853. Vetitum est, ne ullus Sacerdos, vel Saecularis vel Regularis, exorcizare audeat sive in aliena ecclesia, sive intra sive extra coenobium, quin prius *ab Episcopo* approbatus sit, atque antea licentiam ab ipso obtinuerit, sub poenis ab eodem infligendis (S. C. Ep. et Reg. 22 Febr. 1525, cit. a Giraldi, tom. I, p. 118, n. 52; et vid. Bened. XIV, Const. *Magno,* 2 Iun. 1751, § 34).

Regulares igitur, prout etiam Sacerdotes saeculares, exercere nequeunt munus exorcizandi, nisi antea obtenta fuerit ab Episcopo opportuna licentia.

§ 36. *Ius Episcopi in Regulares quoad Communionem Paschalem.*

854. Nemo ignorat, praeceptum hoc in propria Parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia *cum proprii Episcopi vel Parochi licentia,* secundum varias Dioecesum consuetudines. Porro Paulus IV Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, *excepta tamen die Paschatis Resurrectionis;* atque hoc privilegium a S. Pio V *per communicationem* ad omnes Regulares extensum fuit.

855. Quia vero, secundum praecedentem Eugenii IV Constitutionem, Paschale tempus, intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur, exortum est dubium, num licitum Regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum Sacram Eu-

charistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere. Resolutum fuit: *Die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali praecepto in propria Parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis Sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali ecclesia Communionem recipere deberent* (Bened. XIV, Const. *Magno*, 2 Iun. 1751, § 21 et 22; et vid. *de Syn. dioec.* lib. IX, cap. 16, n. 3).

Collige, Regulares subdi Episcopo quoad Communionem Paschalem fidelium in propriis ecclesiis, quatenus ipsis non licet *die Paschatis, sine licentia Episcopi vel Parochi,* sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, nec fideles eximuntur a praecepto recipiendi *in propria Parochia* Communionem Paschalem, etsi sacram Eucharistiam recepissent in ecclesiis Regularium, non obtenta dicta licentia sive Episcopi, sive Parochi.

§ 37. *Regulares puniri possunt ab Episcopis, si ad Presbyteratum nondum promoti, audent Missam celebrare vel confessiones sacramentales excipere.*

856. Regulares subduntur Episcopis *quoad punitionem propter Missae celebrationem et exceptionem confessionis sacramentalis, antequam promoti fuerint ad sacrum Presbyteratus Ordinem.* Sane Summi Pontifices Paulus IV, Sixtus V, Clemens VIII, Urbanus VIII, et Benedictus XIV, decreverunt, « ut omnes et singuli, qui ad Sacerdotium non promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem Confessionem audisse, a Iudicibus S. Inquisitionis, *vel locorum Ordinariis,* tamquam Ecclesiae misericordia indigni, a foro ecclesiastico abiiciantur, et ab Ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerunt, rite degradati, statim Curiae saeculari tradantur, per Iudices saeculares debitis poenis plectendi » (Bened. XIV, Constit. *Sacerdos in aeternum,* duodecimo Kal. Maii 1744).

§ 38. *Regulares subsunt Episcopis quoad receptionem in eorum ecclesiis parochialibus Missionariorum, quos ipsi Episcopi mittunt tempore sacrae visitationis.*

857. Regulares subduntur Episcopis *quoad receptionem in eorum ecclesiis parochialibus Missionariorum,* quos ipsi Episcopi tempore suae visitationis mittunt; videlicet: *parochi Regulares tenentur excipere in ecclesiis parochialibus Regularium Missionarios ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuncios,* eosque omnibus rebus iuvare, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illi esse contigerit (Bened. XIV, Const. *Firmandis,* 6 Nov. 1744).

§ 39. *Regulares subsunt Episcopis quoad violationem immunitatis ecclesiasticae.*

858. Regulares subduntur Episcopis *quoad violationem immunitatis ecclesiasticae,* quatenus extrahi nequeant Regulares delinquentes a loco immuni *sine auctoritate Episcopi;* siquidem statutum est, ut facultas demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis, *ad solos Episcopos,* aliosque Episcopis superiores pertineat. Videatur Constitutio Benedicti XIV, incip. *Officii nostri,* Idibus Martii 1750, in qua summatim recensentur constituta super re a Gregorio XIV, Benedicto XIII, et Clemente XII (Apud Ferraris, verb. *Immunitas,* art. II, n. 157).

Declaratum est autem a Summo Pontifice Clemente XII, etiam Regulares debere, quoad extractionem delinquentium Religiosorum e loco immuni, *dependentiam ab Episcopo habere,* revocatis Rescriptis in contrarium facientibus (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 134, praesertim Rescriptum in fine eiusdem numeri).

§ 40. *Regulares subduntur Episcopis quoad exercitium Ordinis sacri in aliena dioecesi et ecclesia.*

859. Quoties Regulares extra Dioecesim versantur, in qua ad sacros Ordines promoti fuere, susceptum Ordinem exercere minime

possunt, praesertim in ecclesiis, quae ad propriam Sodalitatem non spectant, *nisi prius Episcopis, aut Vicariis Generalibus, vel Foraneis,* Superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti Ordinis testimonium, et libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis vel suspensionis perspecta fiat (Bened. XIV, Const. *Apostolicum ministerium*, 30 Maii 1753, § 6).

§ 41. *Regulares subduntur Episcopis quoad erectionem Conventuum.*

860. Sane Concilium Tridentinum in cap. 3, sess. 25 *de Regul.*, ita statuit: *Nec de cetero similia loca* (nempe Conventus seu monasteria) *erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Huic Tridentino Decreto accesserunt postea Constitutiones plurium Summorum Pontificum, qui illud in multis ampliarunt, prout late diximus in Lib. *de Conventibus*, p. 147.

§ 42. *An et quatenus Regulares ab Episcopo dependeant quoad bonorum ecclesiasticorum alienationem.*

861. Bona ecclesiastica, de quibus hic agitur, vel sunt *immobilia* vel *mobilia pretiosa*, vel immobilia aut mobilia *modici valoris*. Si de prioribus sermo est, alienari non possunt *sine Indulto Apostolico;* si de posterioribus, possunt alienari sine venia Apostolicae Sedis.

Quaestio fieri potest, an facultas concessa Episcopis in canone *Terrulas* competat etiam *Superioribus Regularibus* quoad alienationem bonorum Monasteriorum. Et S. C. Ep. et Reg. iteratis vicibus, respondit: *Negative.* De hac materia fuse egimus in Lib. *de rebus Ecclesiae non alienandis*, ad quem, ne dicta iterentur, remittimus lectores.

Collige: Regulares, si privilegio canonis *Terrulas* uti velint, *ad Episcopum* recurrere debent, nisi praeferant ab Apostolica Sede eamdem facultatem directe petere.

Obiter notandum est, quod bona relicta monasterio seu Religioni *incapaci* ea retinendi, ut sunt Fratres Minores et Capuccini,

possunt sine Indulto Apostolico alienari Tunc enim alienatio fit *ex necessitate iuris,* illam praecipientis (Vid. cit. Lib.).

§ 43. *Ius Episcopi in Regulares in Residentiis Missionum commorantes.*

862. Clemens VIII Constit. *Religiosorum quorumcumque,* 8 Nov. 1601, declaravit: Religiosos viros ad Indos missos in culturam animarum reputandos esse tamquam Religiosos viventes *intra claustra;* quamobrem in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse, in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis Superioribus subiectos remanere.

Idem statuit Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum Ministerium,* 30 Maii 1753, quoad Missionarios Regulares in Anglia: nam declaravit, eos licet mansionem facientes in privatis domiciliis et non in monasteriis, *recenseri non debere* ad instar illorum, qui *extra proprium monasterium vitam agentes,* subsunt omnimodae Ordinarii iurisdictioni, ac propterea, si forte deliquerint, eorum correctio expetenda est a Superioribus Regularibus iuxta decretum Tridentini sess. 25, de Regul. cap. 14 superius transcriptum.

Et quamvis in Anglia instaurata sit ecclesiastica Hierarchia, nihilominus pro Regularibus eadem exemptio conservatur. *Quamobrem,* ita Summus Pontifex Leo XIII, *in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus, Regulares, qui in residentiis Missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem* (Const. *Romanos Pontifices,* octavo Idus Maii 1881).

Quoniam vero ea, quae in hac Constitutione statuta sunt, ad plures alias Missiones extensa sunt, nil prohibet, quin applicentur omnibus Missionibus tamquam lex communis in iisdem locis Missionum. Videantur quae scripsimus in capite de officiis et iuribus Missionariorum.

§ 44. *Ius Episcopi in Regulares benedicentes sacra indumenta pro usu aliarum ecclesiarum.*

863. Regulares subduntur Episcopis *quoad benedictionem sacrorum indumentorum pro usu aliarum ecclesiarum,* quatenus si id agant, possunt ab ipsis Episcopis censuris ecclesiasticis coerceri (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 69). Porro, Sacra Rituum Congregatio ad dubium: An Regularium Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii Superiores possint explere benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur? die 16 Maii 1744 respondit: *Posse pro suis ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio* (N. 2377; et N. 587). Fratres Minores habere hoc privilegium, videbimus infra.

Sub die autem 18 Sept. 1666, eadem S. C. declaravit: Fratribus Minoribus... non licere *sine licentia Ordinarii* portare processionaliter *Crucem,* illamque benedicere et plantare extra eorum claustrum, etiam in fundo et re propria, neque benedicere *habitus Sacerdotales Clericorum et personarum non subiectarum* (N. 1340).

§ 45. *Regulares subduntur Episcopis quoad Collectas in Missa recitandas.*

864. Sacra etenim Rituum Congregatio declaravit: In ecclesiis Regularium aliisque ecclesiis exemptis recitandas esse *Collectas* ab Ordinario loci praescriptas, nec licere Clero earumdem ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro lubito antequam Ordinarius id iusserit (Decretum Gle, 3 Apr. 1821. N. 2613).

§ 46. *Regulares subduntur Episcopis quoad Litanias, ne novi versiculi addantur, vel formulae non approbatae introducantur.*

865. Regulares subduntur Episcopis quoad *Litanias,* quatenus non licet titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis (et ita aliis Litaniis ab Ecclesia approbatis) aliquem versiculum

addere; vel novas Litanias, de quarum approbatione *Ordinario* nullatenus constet in ecclesiis canere vel recitare. Quare monentur Episcopi, ut curent colligere et vetare formulas quascumque, tam impressas quam manuscriptas, Litaniarum, de quarum approbatione non constat (S. R. C. 3 Apr. Decret. Gle. N. 2613, ad 7m).

§ 47. *Regulares subduntur Episcopis quoad erectionem Viae Crucis in locis non exemptis.*

866. Videlicet ad erectionem huiusmodi necessario requiritur, praeter alia, *licentia* seu *consensus Ordinarii loci,* in quo Stationes erigendae sunt. Talis autem consensus dari debet in scriptis sub poena nullitatis in singulis casibus pro unaquaque Stationum erectione, et quidem ante erectionem (S. C. Ind. 25 Sept. 1841, Decr. auth. N. 294).

867. Insuper qui obtinuit *facultatem* ab Apostolica Sede vel a Ministro Generali Ordinis Minorum *erigendi Stationes Viae Crucis,* debet dictam facultatem exhibere Ordinario. Verum ab obligatione exhibendi Ordinario praedictam facultatem erigendi Viam Crucis eximuntur *Alumni Ordinis Minorum,* utpote qui *iure ordinario* Vias Crucis erigunt. Quoad *ceteros Religiosos* sufficit testimonium proprii Superioris mentionem faciens Rescripti, ut possit Episcopus licentiam dare presbyteris Instituti seu Congregationis religiosae erigendi Stationes (S. C. Ind. 5 Febr. 1841, Decr. auth. N. 286; 12 Mart. 1855, N. 365).

868. Item a lege impetrandi *licentiam Ordinarii* excipiuntur ecclesiae, oratoria, ceteraque loca Ordinis Minorum, iurisdictioni scilicet Rmi P. Ministri Generalis *iure ordinario* subiecta. Huiusmodi enim licentia requiritur, dum agitur de erigendis Stationibus *extra ambitum Conventuum Ordinis Minorum* (Cf. Decr. S. C. Indulg. 28 Aug. 1752, N. 194 et N. 445).

869. Quinimmo consensus Ordinarii nec etiam requiritur, pro erectione Viae Crucis in locis exceptis a iurisdictione Ordinarii, ut in ecclesiis, oratoriis, locis internis Conventuum *quorumcumque Ordinum exemptorum* (S. C. Indulg. 26 Sept. 1892 ad IX; et vid. nostra *Collectio Indulg.* ubi fuse de *Via Crucis*).

I. *Dubia circa erectionem Stationum Viae Crucis.*

Procurator Generalis Congregationis Sacerdotum a SS. Corde Iesu S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis exponit, quod a plurimis annis in Gallia mos invaluerit erigendi stationes Viae Crucis cum crucibus ligneis, supra quas, in coniunctione brachiorum, tabellae depictae mysteria consueta repraesentantes applicantur; ita ut tantummodo extremitates brachiorum crucis appareant. Addendum est, quod in ipso actu erectionis istarum stationum Viae Crucis iam tabellae crucibus adhaerebant.

Cum hisce de erectionibus sic factis controversia exorta sit, ad omne dubium tollendum humillime quaerit orator:

Num erectiones stationum Viae Crucis, de quibus supra, validae et licitae sustineri valeant?

Sacra vero Congregatio proposito dubio, audito unius ex Consultoribus voto, rĕspondendum mandavit:

Affirmative prout exponitur: Verumtamen, cum iuxta decreta (30 Ian. 1839: 23 Nov. 1878) Indulgentiae huius sacrosancti exercitii crucibus tantum sint adnexae, Sacra Congr. vehementer inculcat, ut nihil innovetur, sed antiqua et ubique recepta praxis servetur, quae est, ut cruces supra depictas tabellas integre conspicueque emineant.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 27 Martii 1901.

II. *In erectione Stationum Viae Crucis, Cruces affigi possunt super scamna, dummodo sint inamovibilia et satis erecta.*

Venetiarum. Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, circa locum, ad quem Cruces affigi debeant in erectione Stationum Viae Crucis, sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum ad validitatem erectionis sit essentialis conditio, ut Cruces ad parietem tantum affigantur: an vero affigi possint etiam supra scamna, quin erectio sint invalida?

Et quatenus affirmative quoad 1^{am}:

II. Utrum erectiones dictarum Stationum cum affixione Crucium supra scamna, convalidatae censendae sint a recentioribus Decretis huius Sacrae Congregationis, quibus sanati fuerunt omnes defectus admissi in erigendis Stationibus?

Et Emi Patres, die 18 Augusti 1904, responsum dederunt:

Ad I^um^ Quoad 1^am^ partem *Negative;* quoad 2^am^ *Affirmative,* dummodo scamna sint inamovibilia et satis erecta.

Ad II^um^ Erectiones Stationum cum affixione Crucium supra scamna inamovibilia non indigere sanatione; erectiones vero Stationum cum affixione Crucium supra scamna amovibilia convalidatas quidem esse a recentioribus Decretis huius S. C.; iniungitur tamen, ut Cruces a scamnis amovibilibus removeantur, et ad locum stabilem affigantur.

De quibus relatione facta SSmo Dno Nostro Pio PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 14 Septembris 1904, Sanctitas Sua Emorum Patrum responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr., die 14 Sept. 1904.

III. *Explicatur distantia inter ecclesias pro lucranda indulgentia Portiunculae.*

Mediolanen. Emus et Revmus Archiepiscopus Mediolanensis huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia exhibuit solvenda circa modum quo metienda est distantia inter duas Ecclesias, quae privilegio Indulgentiae de *Portiuncula* nuncupatae ditatae sunt, quum in Brevibus Apostolicis nec non in Rescriptis huius S. Congregationis apponitur clausula: « Dummodo eo loci nulla extet Franciscalis Ecclesia, aut alia simili ditata privilegio, vel, si extet, unius saltem milliarii spatio ab ea distet »; nimirum: I. Qualis sit mensura metrica, quae unius milliarii spatio respondeat?

II. Quomodo talis distantia (unius milliarii) sit metienda? an ex via communi, quae ab omnibus peragatur, vel ex quibusdam semitis, quae utramque Ecclesiam inter se coniungunt?

III. An clausula supradicta privilegium irritum faciat, quando distantia non existit inter unam et alteram Ecclesiam privilegio *Portiunculae* ornatam?

Et Emi Patres in Generali Conventu ad Vaticanum habito die 18 Augusti 1904 propositis dubiis responderunt:

Ad I^um^ Milliarium respondet metris 1489.

Ad II^um^ *Affirmative* quoad 1^am^ partem; *Negative* quoad 2^am^.

Ad III^um^ *Affirmative* post annum 1878, quo praefatae clausulae appositio fuit praescripta.

Quas Emorum Patrum responsiones relatas ab infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia habita die 14 Septembris 1904, SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 14 Sept. 1904.

§ 48. *Regulares subduntur Episcopis quoad casus ab ipsis Episcopis sibi reservatos.*

870. Revera Clemens X Constit *Superna* decrevit: Ex facultatibus per *Mare Magnum,* aliave privilegia Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Iesu, concessis, *factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis...* « Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, *non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere* » (Vid. Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. V, cap. 5, n. 6 sq.; Bizzarri, Collectan. p. 17 sq.).

§ 49. *Regulares subduntur Episcopis quoad stipendium Missarum.*

871. Sacra enim Congregatio Concilii 15 Ian. 1639, edixit: *Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorumdem ecclesiis, esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis.* Adeoque nemini licet, ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus *exigere.* Nec Regulares tamen nec Saeculares prohibentur uberiorem stipem a sponte dantibus accipere, dummodo absit dolus, et quodcumque pactum, etiam implicitum (Vid. Bened. XIV, loc. cit. cap. 9, n. 3).

§ 50. *Ius Episcopi in Regulares quoad Confraternitates in ecclesiis eorumdem Regularium erectas.*

872. In Regularium domibus et ecclesiis quandoque reperiuntur erectae laicorum Confraternitates, quibus proprium est Altare sive Capella in ipsis Regularium ecclesiis. Innumerae superioribus temporibus de his excitatae fuerunt quaestiones, an scilicet Episcopis liceret memoratas Capellas seu Altaria visitare, et quatenus id possent, quid subiiciendum esset aut non esset visitationi. De-

creta his de rebus edita a S. Congregatione Ep. et Reg. videri possunt apud Ferraris, verb. *Confraternitas,* art. III.

Verum perspicua satis, ita Benedictus XIV, *de Syn. dioec.* lib. 13, n. 6, et iuri consentanea est resolutio Congregationis Concilii, in quadam causa *Nucerina Paganorum* proposita, et decisa 23 Iunii 1629. Quae quidem resolutio, subdit Pontifex *in Instit.* 105, n. 88, licet in casu particulari edita sit, tamen tamquam lex generalis probata deinde fuit; estque tenoris sequentis:

S. Congregatio... inhaerendo declarationibus iam factis censuit, Confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse *iurisdictioni et visitationi Episcopi,* illasque ab eo visitari posse, nec non illorum capellas in iisdem ecclesiis Regularium existentes, *in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt.*

Et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera Missarum atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent (Vid. alia decreta penes Bizzarri, p. 277, 279, 560).

873. Iampridem Concilium Tridentinum, *sess.* 22, *cap.* 8, *de Ref.,* decreverat, Episcopum ius habere visitandi Confraternitates laicorum, exceptis iis, quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. Et in cap. 9 eiusdem sessionis, edixerat, quod administratores tam ecclesiastici, quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam Cathedralis, Hospitalis, *Confraternitatis...* et quorumcumque piorum locorum, *singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario,* consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. Indubitatum est igitur, laicorum Confraternitates, licet in ecclesiis Regularium reperiantur erectae, subiici iurisdictioni et visitationi Episcopi super iis, quae in adducto decreto in *Nucerina Paganorum* habentur praefinita.

874. *An etiam pro erectione Confraternitatum in ecclesiis Regularium necessarius sit concursus Episcopi?*

Praemittendum est, ad Episcopum iure ordinario pertinere in sua dioecesi erigere Confraternitates. At ex his nonnullae excipien-

dae sunt, quarum erectiones ex privilegio Apostolico reservatae sunt *privative* quibusdam Ordinibus Religiosis, a quibus ipsae repetunt existentiam. Quo praemisso, respondemus, Regulares non posse *sine consensu Ordinarii et sine Litteris testimonialibus eiusdem* erigere Confraternitates, quamvis hae sint propriae Ordinis, et quamvis erectio fiat in propriis ecclesiis (Vid. Bulla *Quaecumque* Clementis VIII, 7 Dec. 1604; *Decreta auth. S. C. Ind.* n. 388) (1).

§ 31. *Ius Episcopi quoad Tertium Ordinem.*

875. Propositum fuit sequens dubium: *Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in ecclesiis Regularium, sive non Regularium, necessario requiratur consensus Ordinarii loci?* S. Congregatio Indulg. die 31 Ian. 1893, respondit: *Affirmative.* Quod quidem responsum simul cum aliis approbatum fuit a Summo Pontifice Leone XIII.

876. Collige, Episcopi consensum semper requiri pro quavis nova fundatione sive Conventus Religiosorum, sive Monasterii vel Domus Monialium aut Sororum, sive pro erectione cuiuscumque Confraternitatis vel piae Unionis.

877. Quaesitum etiam fuit: Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis? Et S. Congregatio Indulg. in citato decreto anni 1893, respondit: In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, *negative;* in reliquis, *affirmative* n. 1594.

PARS SECUNDA.

De iis, in quibus Regulares non subduntur Episcopis.

Nota. Non miretur Lector, si aliquod materiae caput quandoque iterum redeat, id exigente vel claritate vel ordine aut commo-

(1) Die 25 Aug. 1897 S. Congr. Indulg. respondit necessarium esse Ordinarii consensum ad erectionem Confraternitatum a Religiosis Ordinibus in suis respectivis ecclesiis, si agatur de Confraternitatibus proprie dictis, i. e. ad modum organici corporis et cum *sacco* constitutis; si vero agatur de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum esse per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione conventus Ordinis in dioecesi.

ditate legentium; item si plures casus expositi naturam veri privilegii non habeant. Nos enim hoc in loco privilegii nomen late accipimus, prout communiter fieri solet ab Auctoribus, et ideo sub ea appellatione comprehendimus iura, gratias, favores, indulta etc.; immo aliquando addimus etiam officia seu obligationes, quae maioris momenti videntur. Exordimur a privilegio exemptionis, quod inter privilegia a S. Sede Regularibus concessa maximum est, cui succedit alterum de communicatione privilegiorum inter Ordines Regulares, et deinde alia singularia privilegia per modum compendii transcribuntur.

§ 1. *Regulares potiuntur privilegio exemptionis a iurisdictione Episcoporum.*

878. Regulares habent privilegium *exemptionis,* quo a iurisdictione Episcoporum subtracti sunt, et Summo Pontifici immediate subiiciuntur. De qua exemptione ita loquitur Leo PP. XIII in Constit. *Romanos Pontifices* octavo Idus Maii 1881:

Ad Regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, Clerum Regularem ab *Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt.* Cuius rei non ea fuit causa, quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui, quam Clerum saecularem; sed quod earum *domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa.* Ex quo factum est, ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici Maximo propter Primatum Pontificium immediate subesse oporteret, in eius potestate esse perrexerint, *ex Episcoporum potestate per privilegium exie-*

rint. Quum autem reipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut Clerus Regularis in multis subesse debeat Episcopali potestati *sive ordinariae sive delegatae* (Vid. Lib. VII, ubi fuse de hoc privilegio actum est).

§ 2. *Ordines Regulares, praesertim Mendicantes, gaudent inter se communicatione privilegiorum.*

879. Gaudent quidem communicatione privilegiorum, quatenus privilegia alicui Ordini concessa fiunt aliis Ordinibus communia, seu concessio privilegii uni Ordini facta ad alios Ordines extenditur. « Nos, ita Leo X in Bulla *Dudum* 10 Dec. 1519, ad singulos Ordines *(Mendicantes)* singulasque ipsorum Ordinum domos... indifferenter absque acceptione personarum devotionis affectum aequa lance gerentes, omnes et singulas gratias, concessiones, indulgentias... praerogativas, favores... privilegia, indulta... illaque omnia et singula inter dictorum Ordinum personas *pariformiter communia fuisse et esse volumus* » (Vid. fusius dicta in Lib. V, p. 359, n. 680 sqq.).

Advertendum est, Summos Pontifices Innocentium XI, Bulla incip. *Exponi Nobis* diei 6 Sept. 1686, et Innocentium XII, Bulla *Alias a f. r. Innocentio PP. XI* die 5 Dec. 1696, et altera Bulla seu Brevi incip. *Sua Nobis* 1696 17 Kal. Ianuarii decrevisse et declarasse, in communicatione privilegiorum et indulgentiarum, etiam *pia Loca et ecclesias Terrae Sanctae, necnon pia loca Viae Crucis seu Calvarii comprehendi.* Praefatae Constitutiones seu Brevia legi possunt *penes Chronologiam Ord. Min.* Perusini, tom. I, pag. 421 sqq.; et vid. etiam Ferraris, v. *Indulg.* art. V, n. 24.

§ 3. *Regulares non subduntur Episcopis quoad visitationem tum locorum tum personarum regularium, praeterquam in casibus expressis.*

880. *a)* Summus Pontifex Leo XIII, Constitutione *Romanos Pontifices,* octavo Idus Maii 1881, edixit: « *Iure autem communi*

constitutum est, ut Domus quae Sodales Religiosos *sex minimum* non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant». Ergo Domus, quae *sex saltem Religiosos* capiunt, a potestate Episcoporum exempti sunt; ita tamen ut *quatuor saltem sint Sacerdotes.*

b) Regulares autem *in Residentiis Missionum* commorantes, etsi pauci sint, Episcopis non subiiciuntur; Missionarii enim Regulares perinde habendi sunt, ac si in claustris degant (Bened. XIV, Const. *Apostolicum Ministerium,* 30 Maii 1753, § 15; Leo XIII, cit. Const. *Romanos Pontifices*).

c) At ab hac exemptione excipiendi sunt Regulares, etiam in Missionibus degentes, *qui curam animarum exercent,* qui proinde subsunt immediate in iis quae ad eamdem curam et administrationem Sacramentorum pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi (vel Vicarii Apostolici), in cuius dioecesi siti sunt (Bened. XIV, ead. Const. § 12; Leo XIII, cit. Const. verb. *Quamobrem*).

d) Collige, Episcopis non licere visitare altaria ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec loca, ubi in iisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum saecularium audiuntur (Ita S. C. cum approbat. Gregorii XV et Urbani VIII; vid. Ferraris, verb. *Regulares,* art. II, n. 6, ad 1^{m}).

e) Nec possunt visitare domum annexam ecclesiae parochiali, et a monasterio seiunctam, in qua regulares Parochi habitant (Cf. Fagn. cap. *Grave,* n. 11 sqq.; tom. I, p. 121, n. XII).

§ 4. *Regulares non subduntur Episcopis quoad observantiam regularem.*

881. Ius Episcopi in Regulares Sacerdotes delegatum in iis, quae animarum curam et Sacramentorum administrationem concernunt, *nullatenus se extendit ad ea, quae Regularis instituti observantiam respiciunt;* id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi Superioris Regularis, cuius quidem agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis Instituti, non est Episcopi inquirere, *cum ad ipsum Superiorem re-*

gularem privative id pertineat (Bened. XIV, Const. *Firmandis*, et Const. *Apostolicum ministerium*, § 15).

§ 5. *Regulares non subduntur Episcopis quoad accessum ad Synodum dioecesanam, exceptis casibus in iure expressis.*

882. Regulares exempti, *quibus cura animarum non incumbit*, dummodo Capitulo generali sui Ordinis subiiciantur, minime tenentur Synodo interesse.

Ab hac ergo exemptione excipiuntur, tam Regulares qui curam habent alicuius ecclesiae *saecularis*, quam Regulares exempti, qui non subduntur Capitulo generali sui Ordinis (Trid. *sess.* 24, *cap.* 2, *de Ref.*; Bened. XIV, *de Syn. dioec.* lib. III, cap. 1, n. 3 ad 11; et vid. explicata superius).

§ 6. *Regulares non subduntur Episcopis quoad observantiam constitutionum synodalium, exceptis casibus a iure expressis.*

883. Revera, docente Benedicto XIV, *(de Syn. dioec.* lib. XIII, *cap.* 4, *n.* 5 sq.*)* ad constitutionum seu decretorum synodalium observationem adiguntur quotquot incolunt Episcopi dioecesim, *nisi speciali privilegio ab eiusdem subtrahantur iurisdictione.* At ab Episcopi iurisdictione speciali privilegio, ut notum est, subtrahuntur Regulares; ergo hi ad observantiam constitutionum synodalium non tenentur,

Excipiuntur tamen quidam casus a iure expressi. Regulares quippe coguntur, ex. gr. synodalibus sanctionibus parere in iis, quae respiciunt curam animarum, aut Sacramentorum administrationem; item subiiciuntur decretis, quae concernunt materiam, in qua subsunt iurisdictioni *delegatae* Episcopi. Aliquando autem ad evitandum scandalum, et fugiendam difformitatem a ceteris dioeceseos membris, tenentur etiam Regulares obtemperare constitutionibus synodalibus, a quibus ceteroquin, ratione suae exemptionis, essent soluti (Vid. Bened. XIV, loc. cit. et quae sub n. 779, exposuimus).

§ 7. *Regulares non subduntur Episcopis quoad conferentias casuum conscientiae.*

884. Romanae Congregationes pluries declararunt, Episcopos non posse cogere Regulares ad interessendum congregationibus casuum conscientiae, *exceptis Parochis*. Sufficiat referre responsum S. Congregationis super Statu Regularium de die 15 Ian. 1682, apud Bizzarri, p. 309, quod sic se habet: Ordinarios locorum posse quidem *hortari*, non autem *compellere* praedictos Religiosos Confessores *non Parochos* ad accedendum ad Conferentiam casuum conscientiae (Vid. plura n. 786).

Episcopi tamen illarum dioecesium, quas complectitur Provincia Romana, seu Concilium Romanum sub Benedicto XIII anno 1725 celebratum, cogere possunt Regulares ad interveniendum dictis conferentiis, si hae in Conventibus non habeantur (Vid. Const. *Romanos Pontifices* Leonis XIII, verb. *Praecipuam;* et sup. n. 788).

§ 8. *Regulares non tenentur exhibere Episcopis libros, in quibus notantur celebrationes Missarum.*

885. Regulares non subduntur Episcopis quoad libros sacristiae, ac ideo nequeunt Episcopi compellere Regulares ad exhibendos libros sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitae ex legato pio; ex decreto Congr. Concilii in *Urbinaten.* 10 Mart. 1663 (Vid. Giraldi, *Expositio Iuris Pontificii,* pag. 121, n. XI; Zitelli, *Apparatus Iuris Ecclesiastici,* pag. 72, n. 10).

Idem praefata S. Congregatio Concilii declaravit mense Ianuario ann. 1896, prouti refertur in *Act. Ord. Min.* ann. XV, pag. 98, ubi haec leguntur:

« Sacra Congregatio Concilii haud improbandam censuit sententiam Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum et Ministri Generalis Ordinis Minorum, nimirum Religiosos Parochos vi praefati Decreti *Vigilanti studio* Sacrae Congregationis Concilii 25 Maii 1893 teneri quidem rationem reddere de intentionibus Missarum

Ordinario, sed Ordinario proprio, hoc est Superiori suo Regulari. Et id ad normam iuris communis: quare nisi in aliqua regione, praesertim in locis Missionum, ius aliquod particulare in hac re vigeat: Regulares etiam Parochi, si Superiori respectivi Ordinis rationem reddant, non sunt inquietandi ». Idipsum nuperrime declaratum est a S. Congr. EE. et RR. sub die 11 Maii 1904:

Guardianus fratrum Minorum, in Dioecesi Sancti Hippolyti commorantium atque pertinentium ad regularem provinciam Sancti Bernardini in Austria, Summo Pontifici humillime exposuit:

Ordinariatus praefatae Dioeceseos, secus atque in Vindobonensi Ecclesiastica provincia, ad quam Episcopatus Sancti Hippolyti spectat, immo et contra morem in illa dioecesi hucusque pacifice retentum; a Religiosis minoritis in Conventu ipsius civitatis degentibus *exigit, ut exhibeantur sibi libri Missas manuales Coenobii continentes, atque subsecutam earumdem applicationem,* hocque ratione paroeciae quam illic fratres Ordinis Minorum Monasterio adnexam habent. Attamen cum de re agatur paroeciam et iurisdictionem Episcopi nullimode respicienti, neque sermo fuerit de applicanda Missa pro populo aliisve oneribus parochialibus explendis; ipse Guardianus, non Ordinario Dioecesano, sed Regularibus Praelatis, rationem de Missis manualibus debet, ad normam Apostolicarum Constitutionum atque generalium Ordinis legum, suo tempore exhibere.

Itaque humillimus orator, pacem cum omnibus maximeque cum Ordinariatu loci integram servare cupiens, neque Ordinis iuribus, quae Apostolicae Sedis sunt iura, volens aut potens afferre nocumentum, enixe Sanctitatem Suam rogavit, ut significaret Episcopo nullam sibi vindicare posse inspectionem super Missarum manualium implemento, cum Apostolica Sedes ordinavit hanc vigilantiam Praesulibus Regularium exemptorum unice competere.

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, quoad dubium propositum a P. Superiore Conventus Fratrum Minorum in civitate S. Hippolyti existentis, responderi mandavit, prout sequitur:

« *Scribatur Ordinario ad mentem.* Mens est, quod exemptio a iurisdictione episcopali fratribus Minoribus S. Francisci competens

extenditur etiam ad Missas manuales; ideoque Episcopus in visitatione canonica *nullam sibi vindicare potest inspectionem librorum Missarum manualium* in paroecia fratrum Minorum in casu ».

§ 9. *Regulares non subduntur Episcopis quoad audiendas Confessiones Religiosorum proprii Ordinis.*

886. Nam cum Concilium Tridentinum *sess.* 23, *cap.* 15 *de Ref.* statuerit, neminem audire posse confessiones sacramentales absque Episcopi approbatione, hanc prohibitionem limitavit ad confessiones dumtaxat saecularium, etiam Sacerdotum, *non vero Religiosorum,* nihilque circa hos innovavit. Unde sequitur, quod Confessarii Regulares pro excipiendis confessionibus suorum Religiosorum non indigent approbatione Episcopi, sed suorum Praelatorum, quibus, utpote iurisdictionem quasi-episcopalem in suos subditos habentibus, competit *de iure communi* huiusmodi facultas.

Quod comprobatur Constitutione Clementis VIII *Romani Pontificis,* 23 Nov. 1599, in cuius § II sic declaratur: Nostrae intentionis existere, quod iidem Fratres et Moniales, quantum ad Sacramentum Poenitentiae seu Confessionis administrationem, *dispositioni suorum Praelatorum subiecti sint,* Apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo declaramus ».

Iam antea idem Pontifex Clemens VIII per Decretum incip. *Sanctissimus,* 26 Maii 1593, praeceperat: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori vel minori.* Hoc decretum, concernens casus, qui reservari possunt a Superioribus regularibus, confirmatum fuit a S. Congregatione Concilii de mandato Urbani VIII, ut videre est in Const. eiusdem Pontificis incip. *Sacra Congregatio* sub die 21 Sept. 1624.

Collige, iurisdictionem ad excipiendas confessiones *Religiosorum exemptorum,* non posse concedi ab Episcopis, sed ab eorum Praelatis.

Exceptio quoad Moniales. Tametsi ex citato textu Constitutionis *Romani Pontificis* Clementis VIII, tam Fratres quam Moniales subiiciantur, quoad sacramentales Confessiones, dispositioni suorum

Praelatorum, hodie tamen observandae sunt Constitutiones Gregorii XV, incip. *Inscrutabili,* et Clementis X, incip. *Superna,* in quibus *respectu Monialium* statuitur, quod « Confessarii regulares seu saeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, *ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas,* nullatenus deputari valeant, *nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem... obtineant* » (Vid. Const. supra n. 827).

§ 10. *Regulares non subduntur Episcopis quoad excipiendas Confessiones saecularium, qui in Conventibus sunt vere de familia.*

887. A Clemente X in Constitutione *Superna* declaratum est: « In Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi iuxta regularia instituta vivitur, *posse* tam Praelatos regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum, audire confessiones *illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt* » (Cf. etiam Conc. Trid. *sess.* 24, *cap.* 11, *de Ref.;* et *sess.* 25. *cap.* 11, *de Regularibus*).

Famuli ergo et alii saeculares, qui sunt de familia et continui commensales, absolvi *possunt* a Confessario, sive per Praelatum regularem, sive per Episcopum approbato.

§ 11. *Regulares non subduntur Episcopis quoad administrationem Sacramentorum Extremae Unctionis et sacri Viatici, nec non Communionis Paschalis praedictis saecularibus, qui sunt continui commensales et de familia Conventuum.*

888. Compertum est, Religiosos praesumentes *clericis* aut *laicis* extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia, incurrere excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam (Const. *Apostolicae Sedis* Pii PP. IX).

Verum ab hac lege eximuntur illi laici qui monasteriis inserviunt, infra Religiosorum septa ac domos resident, et sub eorum

obedientia vivunt (Trid. cit. *sess. 24, cap. XI, de Ref.*). Eadem exemptio pro dictis familiaribus sancitur a Tridentino in *sess.* 25, cap. XI: *Praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia,* personae tam regulares quam saeculares.

Concilii Tridentini Decretis accessit Constitutio Gregorii XIII, incip. *Circumspecta,* 25 Nov. 1580, in qua similiter eximuntur illi saeculares, qui actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt.

Cum igitur praefati *familiares* a Parochi iurisdictione sint exempti, Religiosi iure proprio eis administrant Sacramenta Extremae Unctionis et Viatici, nec id possunt Episcopi prohibere.

Collige 1° Quod dictum est de Extrema Unctione et Viatico, intelligendum quoque est, ut per se intelligitur, de Communione Paschali, quam proinde *familiares et continui commensales* recipere possunt in ipsis ecclesiis Regularium, quibus inserviunt, quin teneantur eam sumere in ecclesia parochiali.

Collige 2° Oblatos, Donatos seu Tertiarios, qui in Conventibus commorantur, Religiosis inserviunt, eorumque continui commensales sunt, memorato exemptionis privilegio gaudere.

§ 12. *Regulares non subduntur Episcopis quoad excipiendas confessiones Novitiorum et Alumnorum votorum simplicium, et quoad administrationem Sacramentorum Extremae Unctionis, Viatici, et Communionis paschalis eisdem Novitiis et Alumnis.*

889. Regula generalis est, quod Novitii gaudent omnibus privilegiis Religionis, quam intrarunt. Ita tradit communis sententia Doctorum, Iuris textibus innixa, rationibus etiam comprobata; id est, tum quia licet Novitius in effectu Religiosus nondum sit, tamen *in favorabilibus* Novitii veniunt nomine *Religiosi;* tum quia Novitii sunt sub potestate Religionis, et suo modo sustinent onera illius; ergo dignum est, ut privilegia eiusdem participent, iuxta regulam iuris 55, in 6: *Qui sentit onus, sentire debet et commodum.* Hinc gaudent etiam privilegio Fori et Canonis ex cap. *Religiosi de sentent. Excommun. in* 6, ac insuper gaudent indulgentiis, quibus

gaudent Professi, praeter illas plenarias a Paulo V concessas die vestitionis habitus religiosi, et die professionis (Vid. Reiff. lib. III Decretal. tit. 31, de *Regularibus*, n. 115; Ferraris, verb. *Novitius*, n. 20).

S. Alphonsus praemissam doctrinam sic perstringit: Notandum tertio, hoc privilegio (exemptionis) gaudere non solum Professos et Conversos, sed etiam *Novitios*, qui in favorabilibus veniunt sub nomine *Religiosorum*, et etiam Tertiarios et Donatos. *Servi etiam Regularium*, qui actu famulantur, et resident intra claustra Monasteriorum, et vivunt sub obedientia iuxta Tridentinum, sess. 24, cap. 11, eximuntur a iurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras..., quam etiam quoad Communionem Paschalem (Tom. I, Append. de Privilegiis, n. 74: *Homo Ap.* tr. XX, n. 74).

Relate ad Confessiones praedictorum Novitiorum, iam statutum fuit a Clemente VIII in Decreto incip. *Cum ad Regularem*, die 19 Mart. 1603, quod « Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire ».

Quoad professos votorum simplicium in Ordinibus regularibus, Summus Pontifex Pius IX, die 12 Iun 1858, ita declaravit: « Professi votorum simplicium participes erunt *omnium gratiarum et privilegiorum*, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent ». Cum igitur tum Novitii, tum professi votorum simplicium gratiis et privilegiis gaudeant, quibus gaudent professi votorum solemnium, consequitur eos eximi a iurisdictione Episcopi, adeoque Regulares non subiici Episcopis quoad excipiendas confessiones praedictorum Novitiorum et Alumnorum, et quoad administrationem Sacramentorum Extremae Unctionis, Viatici, et Communionis Paschalis dictis Novitiis et professis votorum simplicium.

§ 13. *Quaedam privilegia Regularium relate ad approbationem pro excipiendis confessionibus saecularium.*

890. *a)* Regulares illi, qui ad confessiones audiendas *idonei generaliter reperti sunt ab Episcopis, generaliter quoque, et in-*

distincte absque limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in dioecesi propria sunt admittendi. Quoad ceteros, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate probare et admittere (Clemens X, Const. *Superna* sup. relata, in Lib. IX, pag. 498).

b) Religiosi simpliciter, ut supra, approbati, possunt in dioecesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam paschali, et *quorumcumque etiam infirmorum* confessiones audire *absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia.* De qua tamen confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere; et hoc potest illis ab Episcopo *sub poena suspensionis* a facultate audiendi confessiones praecipi; sufficit autem, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam (Clemens X, cit. Const. *Superna.* Et vid. Giraldi, *Expositio Iuris Pontificii,* tom. I pag. 120, append. III, n. 3; Zitelli, *Apparatus Iuris Ecclesiastici,* pag. 71, n. 3, edit. 1886).

c) Regulares ad eiusmodi confessiones audiendas, *praevio examine,* simpliciter et absque ulla temporis praefinitione *ab ipsomet Episcopo* approbati, non possunt *ab eodem,* qui sic approbavit, *iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias ipsis concessas revocari,* nisi nova superveniente causa, quae confessiones concernat (Idem. Pontif. Const. *Superna*). Idem docet Benedictus XIV in Const. incip. *Apostolicum ministerium,* ubi sic declarat: « Facultates vero nulla cum temporis limitatione delatae, *nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt* sine nova causa, quae confessiones directe respiciat ».

d) Facultas audiendi confessiones nullo modo adimi potest ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, *omnibus simul unius Conventus regularibus Confessariis* (Clemens X, cit. Const. *Superna,* et S. C. Ep. et Reg. 20 Nov. 1615 apud Bizzarri, p. 361).

e) Regulares ab Episcopo, praevio examine, ad audiendas Fidelium confessiones approbati, etiam cum expressione *ad beneplacitum nostrum,* nullatenus possunt iterum examinari a *Vicario capitulari,* Sede vacante, nec ab ipso revocari potest eorum facultas

et approbatio habita ab Episcopo defuncto; et id virtute privilegii a Clemente IV concessi per Const. incip. *Exigentibus vestrae devotioni,* et videatur citata Bulla S. Pii V, n. III; S. C. Ep. et Reg. apud Bizzarri, *Collectanea,* p. 451, edit. I.

Quae diximus in hac paragrapho sunt quidem *de Iure;* an autem ubique serventur in praxi, videant lectores.

§ 14. *Regulares degentes intra claustra, si delinquant, non subduntur Episcopis quoad punitionem.*

891. Regulares degentes *intra* claustra nullo modo, pro regula generali constituta, subsunt visitationi, aut iurisdictioni Episcopi, ne quidem *ratione delicti commissi, contractus initi, aut rei sitae extra locum exemptum.* Nam cum Regulares reperiantur specialiter privilegiati etiam in dictis tribus casibus exceptis, non comprehenduntur in Constitutione cap. *Volentes, de privil. lib.* 6, ac proinde nec in Decreto Concilii, cap. 14, sess. 7 dictam Constitutionem innovante, ut articulo diligenter discusso censuit S. Congregatio (Ita Fagn. in cap. *Grave gerimus, de Off. Ordinar.* n. 34).

Excipitur casus, quo Regularis delinquens *notorie* in ecclesia seu monasterio sui Ordinis, in quo degit, ita populo scandalo sit, *ut censeatur deliquisse extra claustra.* Nam S. Congregatio censuit, Regularem delinquere extra claustra, si in ecclesia monasterii delinquit, *nisi clausis portis ecclesiae, et solis Regularibus in ea existentibus fuerit commissum* (Vid. fusius sub pag. 385).

Infertur, Regulares *intra* monasterium viventes conveniri debere, si delinquant, non coram locorum Ordinariis, sed *coram eorum Superioribus,* vel *Conservatoribus,* si eos habeant.

§ 15. *Regulares degentes in Parochialibus monasterio unitis non subduntur Episcopis quoad punitionem.*

892. Regulares degentes in Parochialibus monasterio unitis, censentur degere *intra Claustra.* Ideoque etiamsi curam animarum exerceant, si delictum *non concernens curam animarum et Sacramentorum administrationem commiserint, non possunt puniri*

ab Episcopo, ut in causa Canonici regularis Lateranensis olim respondit S. Congregatio Concilii, teste Fagnano, cit. cap. *Grave,* n. 35 (Vid. etiam Ferraris, verb. *Regulares,* art. II, n. 37).

§ 16. *Regulares Parochi non subduntur Episcopis, si eorum ecclesia parochialis sit illius Conventus, in quo Generalis Ordinis habet residentiam ordinariam.*

893. Nam Concilium Tridentinum in cap. 11 sess. 25, *de Regul.* excipit ab Episcopi iurisdictione, visitatione et correctione (*etiam quoad animarum curam et Sacramentorum administrationem*) Parochos, tam saeculares, quam regulares, praedictam animarum curam exercentes in monasteriis, seu locis, in quibus *Abbates generales,* aut *capita Ordinum* sedem *ordinariam principalem* habent (Vid. Bened. XIV, Const. *Firmandis,* a nobis relata sub n. 239).

§ 17. *Regulares exempti non subduntur Episcopis quoad absolvendos suos Religiosos a casibus, quos Episcopi sibi reservant.*

894. Certum est, Regulares non posse absolvere *saeculares* a casibus ab Episcopo sibi reservatis, nisi impetrata eorum licentia; at non minus certum est, ipsos posse *Religiosos sui Ordinis* a dictis casibus absolvere. Cum enim Regulares sint exempti, minime subiiciuntur *ordinariae* iurisdictioni Episcopi. Idem dicatur de Monialibus Regularibus subiectis, ut infra notabitur (Bizz. p. 812). Qua de re S. Alphonsus, lib. VI, n. 583, ita scribit: « Hic notandum, quod Religiosi exempti *non subiacent reservationi Episcopi,* nec eorum Novitii... Neque ipsorum familiares, ut habetur ex Bulla Clementis X *Superna,* modo, ut ibi dicitur, *inibi sint quasi de familia et continui commensales.* Id extendit Bordonus ad alumnos monasteriorum. Si vero Novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet Confessario saeculari, sed poterit a Confessario Religionis, ob privilegium Religioni concessum ».

§ 18. *Regulares non subduntur Episcopis quoad cognitionem sententiae expulsionis Religiosorum ab Ordine.*

895. Videlicet, *non est de iure Episcopi* examinare sententiam expulsionis a Religione, latam a Superioribus regularibus, et de eius iustitia, vel iniustitia iudicare. In decretis enim S. Congregationis Concilii de apostatis et eiectis praecipitur, ut Superior, ad quem spectat sententiam expulsionis ferre, teneatur *hanc Ordinario dumtaxat notificare,* ut expulsum tamquam sibi subditum de novo factum agnoscat, gubernet, et puniat (Vid. Giraldi, tom. I, p. 122, n. XIV, et praecipue Benedictus XIV, qui in lib. XIII, cap. 11, n. 20. *de Syn. dioec.*, ita rem exponit: Decretis anni 1624 cautum legimus, a Superioribus regularibus nunciandam esse Episcopo sententiam editam expulsionis alicuius a Religione: *Illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur:* idque solummodo, ut ipsam perspectam habeat, nullatenus vero, ut possit de illius iustitia aut iniustitia cognoscere; hoc quippe est S. Sedi reservatum, iuxta Decreta anni 1693: « *Salva semper Sanctae Sedis, Sacrae Congregationis Concilii, in casu recursus et appellationis, auctoritate* ».

§ 19. *Moniales Regularibus subiectae non subsunt Episcopis quoad ea quae subnectuntur.*

896. *a)* Episcopus visitaturus clausuram Monialium *Regularibus subiectarum,* non potest visitare SS. Sacramentum, Olea sacra, Confessionalia, Reliquias et Sepulturas in ecclesiis earumdem Monialium, nisi in iis quae concernunt *observantiam clausurae,* et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium.

b) Non potest Episcopus ingredi earumdem Monialium clausuram *cum pluviali et stola.*

c) Non tenentur omnes praefatae Moniales processionaliter cum Cruce et cum cantico *Benedictus Dominus* obviam ire Episcopo ingredienti, et visitare volenti clausuram.

d) Moniales Regularibus subiectae non tenentur Episcopo monasteriorum clausuram visitanti erigere in ecclesia exteriori vel interiori *sedem cum baldachino,* sed sufficit *praeparatio strati.*

e) Moniales Regularibus subiectae non tenentur in ingressu Episcopi intra clausuram, *adornare stratum,* neque genuflectenti Episcopo, Monialis aliqua porrigere debet Crucem deosculandam.

f) Non potest Episcopus absolute et indifferenter visitare cellas dictarum Monialium *quoad non pertinentia ad clausuram.*

g) Non potest Episcopus in actu visitationis *revidere computos,* et rationis redditiones exigere ab Officialibus monasterii Regularibus subiecti, *absentibus Superioribus regularibus.*

Haec omnia ex iteratis declarationibus S. Congregationis Concilii, et etiam Ep. et Reg., quas vide relatas in Lib. IV de *Monialibus* et *Sororibus.*

h) In electione Abbatissae quoad monasteria Regularibus subiecta, non ad Episcopum, sed *ad Superiores Regulares* pertinet recipere et adnotare vota eligentium (S. C. Ep. et Reg. ann. 1729: Bizz. p. 358).

i) Item *ius confirmandi Abbatissas* eorumdem Monasteriorum, non ad Episcopos, sed ad Superiores regulares spectat (S. C. C. apud Bizz. p. 231).

j) In monasteriis Regularibus subiectis, non potest Episcopus *sine interventu Superiorum Regularium* taxare *numerum Monialium,* quae ex reditibus propriis ipsorum monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis sustentari valeant (Greg. XIII, Const. *Deo sacris*).

k) Episcopus compellere haud potest Moniales *ad acceptandas puellas,* neque ad habitum, neque ad professionem (Vid. supra).

l) Confessarii Regulares Monialium, Praelatis regularibus subiectarum, possunt easdem Moniales, etiam extra mortis periculum, absolvere a casibus Episcopo reservatis, *praeterquam quoad casus, quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad iurisdictionem delegatam* (S. C. C. 16 Nov. 1720; Bizz. p. 812; *Chronolog. Ord. Min. Perusini* tom. I, pag. 550).

Et revera cum Moniales Regularibus subiectae sint exemptae, *ordinariae* iurisdictioni Episcopi minime subsunt (Bizz. ibid., et vid. de *Monialibus* et *Sororibus* Lib. IV).

§ 20. *Regulares gaudent privilegio funerandi in propriis ecclesiis.*

897. 1° Extra dubium est ius sepeliendi fideles non cuilibet ecclesiae competere, sed tantum Parochialibus, et iis, qui ius illud *vel privilegio, vel legitima consuetudine praescripta obtinuerunt.*

2° Ex privilegio in corpore iuris clauso, ius sepeliendi fideles in ecclesiis et coemeteriis suis habet Ordo Praedicatorum et Ordo Minorum *(Clement. Dudum.,* et Extrav. *Super Cathedram de Sepulturis).*

3° Ius idem aliis quoque Ordinibus regularibus competit, sive ex specialibus Summorum Pontificum Constitutionibus, sive ex privilegiorum communicatione.

4° Per illegitimam Regularium suppressionem eorum ecclesiae non omittunt ius sepeliendi; siquidem huiusmodi ius est *reale;* scilicet ipsis ecclesiis perpetuo inhaerens.

5° Ex lege, quae iubet cadavera esse tumulanda apud publica coemeteria, nihil derogatum fuit iuri, quo ecclesiae potiuntur, tum funeris peragendi, tum emolumenta percipiendi. Nam ex inducta lege publici coemeterii *locus tantum sepulturae fuit materialiter immutatus;* iura vero sarta tectaque manserunt.

6° Collige: funera pro defunctis, qui, non exstante lege publici coemeterii, sepeliendi essent in ecclesiis Regularium, non a Parocho, sed a Regularibus sunt peragenda.

7° Regulares ad publicum coemeterium cadavera comitantes, incedere possunt, per limites Parochiae transeuntes, cum Stola et Cruce conventuali, sine pompa tamen et recto tramite, nec tenentur accersere Parochum, sive defunctus fuerit Regularis sive Saecularis.

8° Idem dicatur de Monialibus iurisdictioni Regularium subiectis, videlicet: Cum in monasteriis Monialium Confessarius censeatur esse parochus, ad ipsum pertinet funus Religiosae foeminae peragere, eiusque cadaver cum Stola et Cruce ad coemeterium deferre, sine pompa tamen et recto tramite, quin teneatur vocare Parochum.

Nunc exposita vide abunde probata in Lib. de *Sepulturis.*

§ 21. *Regulares fruuntur privilegio recipiendi, iuxta modum, sacram Ordinationem extra tempora.*

898. Sancitum est a Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 8 de Ref., quod *unusquisque a proprio Episcopo ordinetur;* nimirum ab Episcopo illius Dioecesis, in qua ipsi Ordinandi commorantur.

Nihilominus Regulares ex privilegio possunt ab extraneo Episcopo *extra tempora* ordinari; videlicet: si Episcopus dioecesanus a dioecesi abesset, vel Ordinationes *tempore a iure statuto* non esset habiturus, potest Regularis ab alio Episcopo ordinari, servata tamen forma Apostolicarum Constitutionum, scilicet *a)* quod in litteris *dimissorialibus,* quae a Superioribus regularibus ad alium Episcopum diriguntur, expresse mentio fiat vel de praedicta Dioecesani absentia, vel de illa alia causa, scilicet quod praedictus Dioecesanus tempore praescripto non sit habiturus ordinationes; *b)* Quod in praefatis Dimissorialibus iungatur *authentica attestatio* Curiae Episcopum a Dioecesi abesse, vel ordinationes proximo tempore a lege statuto non esse habiturum.

Collige 1° Regulares gaudere privilegio, servatis servandis, recipiendi Ordines *extra tempora* vel a proprio Episcopo, vel ab alieno in sensu exposito.

2° Superiores regulares posse et debere dare litteras *dimissorias* suis subditis Regularibus, sed nonnisi *ad Episcopum dioecesanum.* Quod si hic sit absens, vel habiturus non sit ordinationes tempore a iure statuto, tunc poterunt dicti Praelati regulares dare litteras dimissorias *ad quemcumque Episcopum,* in iisdem inserendo, ut supra notatum est, authenticum testimonium vel Vicarii vel Secretarii Episcopi proprii de causa, ob quam hic non ordinat. Quo quidem testimonio minime indigent Regulares illi, quibus concessum est, ut *a quolibet catholico Antistite* possint Ordines suscipere, ut sunt Religiosi Societatis Iesu, et Fratres Minores (de Observantia) *in partibus Indiarum occidentalium existentes.*

3° Quoad dispensationem super *Interstitiis,* pluries declaratum est, remissionem Interstitiorum pertinere *ad Episcopum ordinantem quoad Regulares* ab eo Ordines suscipientes; ipsum tamen

Episcopum de causis remissionis *teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris regularis* (Vid. haec omnia probata in Lib. VIII et S. Alph. lib. VI, n. 768).

§ 22. *Regulares non subduntur Episcopis quoad expositionem et processionem SS. Sacramenti infra octavam Corporis Christi.*

899. Regulares *in Solemnitate et infra Octavam Corporis Christi* possunt inter Missarum solemnia et ad Vesperas SS. Sacramentum exponere, *absque licentia Ordinarii* (S. R. C. die 20 Apr. 1641. N. 753).

Insuper possunt Regulares infra eamdem Octavam Corporis Christi peragere *processionem*. Nam Gregorius XIII, Constit. *Cum interdum,* die 11 Martii 1573 statuit: Omnibus, etiam Regularibus, licere in quocumque die infra Octavam solemnitatis Corporis Christi solemniter facere processionem (Vid. Lib. XXII. pag. 753).

Relate ad Religiosos dispersos Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia proposita sunt solvenda:

I. Num Regulares, qui *dispersionis causa* Crucem erigere nequeunt, *possint* in Processionibus Corporis Christi... nec non in aliis fieri solitis, *incedere sub Cruce Capituli Cathedralis et Collegiatae?* Et quatenus affirmative.

II. Num in praedicta solemnitate Corporis Christi debeant induere *sacra linteamina,* more Sacerdotum saecularium: vel Superpelliceum, prout in aliis Processionibus, aut incedere proprio tantum habitu?

Et S. C. die 5 Dec. 1868, respondit:

Ad I. *Incedant sub Cruce Capitulari.*

Ad II. *Induant Superpelliceum* (N. 3193).

§ 23. *Regulares quoad Calendarium in recitatione divini Officii et in celebratione Missae.*

900. 1° Regulares in itinere sequantur divini Officii Calendarium Coenobii, ex quo discesserunt; dum perveniunt et manent in

altero Coenobio, etsi ad tempus, huius Calendarium sequantur (Die 31 Aug. 1839. N. 2801 ad 1).

2° Regulares semper sequi debent Calendarium Officii, iuxta Coenobium, in quo moram faciunt, etsi ad tempus; quia ubique Choro interesse tenentur (Die 25 Sept. 1852. N. 3001). Vide tamen sequentia Decreta.

3° Regulares, qui praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo Conventu absunt, sequi debent Calendarium coenobii apud quod hospitantur, si *in Choro* Breviarium recitant; si vero *privatim*, servare debent Calendarium coenobii, a quo discesserunt (Die 27 Iun. 1896. N. 3919 ad 13).

4° Regulares tempore Quadragesimae *extra coenobium* commorantes praedicationis causa, se conformare debent ad *Provinciae* Calendarium, sine ulla diversitate, pro omnibus quolibet anno extensum (Die 31 Aug. 1839. N. 2801 ad 2).

5° Decretum, quo statuitur, Regulares debere se conformare Officio Communitatis, in qua, licet ut mere transeuntes, habitant, intelligendum est *de solis Regularibus recitantibus divinum Officium in Choro* (Die 18 Sept. 1877. N. 3436 Dub. II).

6° Regulares Choro adscripti non satisfaciunt praecepto Chori, recitando Officium divinum in Oratorio privato Conventus ab Ecclesia separato (Die 12 Dec. 1879. N. 3506 ad 1).

7° Regulares facere debent inter Suffragia Commemorationem *Titularis propriae Ecclesiae*, non vero Cathedralis; et eis liberum non est in hac Commemoratione, loco Tituli eligere Patronum totius Regni prae Patrono Dioecesis et Civitatis (Die 18 Sept. 1877. N. 3436 Dub. I).

8° Regulares in suppressis Italiae Provinciis commorantes, tenentur ad recitationem *Officii Patroni respectivae Provinciae* Regularis, ad quod obligantur ex peculiari Rubrica proprii Ordinis (Die 3 Iul. 1869. N. 3210).

9° Regularium Communitas, alicui Ecclesiae publicae addicta, tenetur *ad Officium Patroni titularis huius Ecclesiae, etiam per totam octavam* (Die 7 Apr. 1876. N. 3397 ad 4).

10° Regulares, qui remunerationem accipiunt a Gubernio, ut Dioecesanis Ecclesiis inserviant, *non debent sese conformare* in

Officio persolvendo Sacroque peragendo *Kalendario Dioecesano,* si gaudeant proprio Kalendario; secus affirmative (Die 23 Iun. 1893. N. 3806).

11° Regulares Kalendarium propriae religiosae Congregationis sequi nequeunt, si eisdem *una cum cura animarum administratio alicuius Ecclesiae Saecularium* commissa est; relicto Kalendario Dioecesano, cui populus iam assuetus fuit (Die 4 Febr. 1898. N. 3979 Dub. II).

12° Regularis, Ecclesiae Saeculari aliquando *ad tempus,* sive *ad beneplacitum Episcopi* praepositus, atque privatim recitans Horas canonicas, adhibito Kalendario proprii Ordinis, *non tenetur ad Officium Sancti Titularis* Ecclesiae saecularis praedictae (Decr. eod. ad dub. III).

13° Regulares *absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum* aliarum Religionum, *non possunt addere nomen Fundatoris* in *Litaniis* et *Confiteor,* neque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus (Die 20 Mart. 1706. N. 2166 ad 2).

14° In Oratoriis *piarum Sororum seu Religiosarum,* quae proprium Kalendarium non habent, Missae a Religiosis celebrandae conformes esse *debent Kalendario Dioecesano,* non vero Kalendario ipsorum Religiosorum (S. R. C. die 17 Iul. 1896. N. 3927).

Novissime hac de re sequens dubium propositum fuit:

Utrum Sacerdotes Regulares celebrantes in Oratorio interno Sororum cuiuspiam modernae Congregationis et Fidelibus minime patenti, Missam iuxta Kalendarium sui Ordinis debeant celebrare; an potius iuxta Ordinem Dioeceseos, in qua Sorores, huiusmodi Kalendarium proprium ex privilegio vel usu legitimo non habentes, moram trahunt?

Et S. R. C. die 29 Iulii 1904 respondit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam* iuxta Decretum 3927. *Parisien.* seu Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo, 17 Iul. 1896 ad I.

15° In Ecclesiis *alicui Religiosae Familiae concreditis,* Sacerdotes exteri Missam celebrantes, sequi debent Kalendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur; secus vero dicendum est de

Ecclesiis, quae non Religiosae Familiae, sed *tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti,* commissa sunt (S. R. C. die 15 Dec. 1899 N. 4051).

16° *Quoad Missae celebrationem,* ubi unus tantum Sacerdos addictus sit Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus quarumcumque piarum Communitatum, hic, si sit Saecularis tenetur sequi Kalendarium Dioecesis, in qua extat Oratorium, et si Regularis, Kalendarium Ordinis, quatenus proprio gaudeat, *relinquere;* et si quando celebrant extranei, hi debent se conformare Kalendario Sacerdotis eiusmodi Oratoriis addicti: dummodo Oratoria illa habenda sint ut publica; secus vero non (S. R. C. die 27 Iun. 1896: N. 3919 ad 17).

901. *Regulares habentes proprium Kalendarium non tenentur ad Officia loci, in quo degunt.*

R. P. Eulogius Villafranca, Presbyter Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Kalendarii ordinator, S. R. Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione subiecit:

An Alumni dictae Congregationis post recentissimam Calendarii proprii concessionem teneantur, exceptis Festis Titularium, Patronorum et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ad Officia et Missas alicui Regno vel Dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari?

Et S. Congregatio die 6 Dec. 1902 rescribendum censuit:

Negative et ad mentem. Mens autem est Regulares non teneri ad Officia loci, in quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci Kalendario utantur.

902. Praemissum decretum cohaerere non videtur cum altero dato 20 Mart. 1683 (*Decr. auth.* N. 1708), in quo a Procuratore Generali Ordinis Minorum petebatur: An (Religiosi Ordinis Minorum) possint et debeant recitare Officia, ad petitionem Regum et Principum recitari concessa in aliquibus Regnis, Provinciis, Dictionibus etc., a toto Clero, tam Saeculari quam Regulari in diebus fixis: ex. gr. de B. M. V. de Monte Carmelo die 16 Iulii, de S. Rosa Virgine Limana die 30 Augusti, de B. Ferdinando Rege Castellae die 30 Maii, et aliis in Regnis Hispaniarum, et sic de similibus in aliis Dictionibus?

Responsum fuit: *Affirmative, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares.*

Simili modo eadem S. C. respondit sub die 8 Maii 1903 (vid. *Acta S. Sed.* vol. XXXV, p. 738) Missionariis a S. Ioseph, in quorum proprio Kalendario a S. Sede approbato festum S. Thuribii recensetur ritu duplici minori, respondit scilicet, huiusmodi festum debere in America Latina ab ipsis etiam celebrari sub ritu duplici 2ae classis, postquam anno 1900 ad totam Americam Latinam extensa fuerunt Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Limani sub hoc altiori ritu.

Porro cum regula generalis sit, *Regulares non teneri ad Officia loci, in quo degunt,* nisi quatenus eiusdem loci Kalendario utantur, dicendum videtur, praefata decreta pro Minoribus et Missionariis S. Ioseph, esse *particularia,* quae non abrogant praedictam legem generalem, nisi in indulto concessionis eadem Officia declarata fuerint *praeceptiva* etiam pro Regularibus Calendario dioecesano non utentibus (Cf. *Acta S. Sed.* vol. 36, p. 235).

§ 24. *Regulares gaudent privilegio erigendi per suos respective Superiores Generales vel Provinciales sacrum Oratorium in suis Conventibus.*

903. Ordines Regulares frui enunciato privilegio demonstratum est in Lib. XX pag. 557, ad quem remittimus lectores. In praesens haec meminisse sufficiat:

1° In Declarationibus S. Poenitentiariae anni 1867 in IV Summus Pontifex Pius IX: « *Indulget, ut in iisdem domibus* (emptis vel conductis pro Religiosis dispersis), *dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit, servatis de iure servandis, privatum Oratorium, a Ministro provinciali sive ab alia idonea Persona ab eo deputanda, visitandum prius et approbandum...* ». Ubi lector videt, in erectione dicti Oratorii non requiri licentiam Episcopi, sed Praelati Regularis dumtaxat.

2° In Decreto Generali super Oratoriis semipublicis (N. 4007), circa finem eiusdem Decreti legitur:

Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi

Sanctorum Antistites, atque *Ordines Congregationesque Regulares*... Si ergo Leo PP. XIII s. m. voluit sarta et tecta iura et privilegia Regularium quoad Oratoria, sequitur, Regulares gavisos fuisse et gaudere huiusmodi privilegiis.

3° Usus et praxis habendi Oratorium et quandoque etiam plura Oratoria in omnibus fere Conventibus Ordinum et Congregationum regularium, non contradicente Ecclesia, nonne hoc ostendit existentiam praedicti privilegii? Ex dictis ergo infer, Regulares frui privilegio erigendi in suis Conventibus Oratorium seu Oratoria.

§ 25. *Regulares quoad tempus celebrandi Missam.*

904. I. Tempus ordinarium celebrandi Missam incipit *ab aurora* et terminatur *in meridie* ex Rubricis Missalis tit. de *Defectibus in ministerio ipso recurrentibus*, ubi praescribitur quod *tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter*. Ideo non potest amplius celebrari tempore vespertino, nam quoad hoc revocata sunt omnia privilegia a Summo Pontifice S. Pio V Const. 4 incip. *Sanctissimus*.

II. Verum Benedictus XIII per edictum permisit anticipationem ante auroram *tertiae partis horae*, sicut et posticipationem *tertiae partis horae* post meridiem, cui edicto se conformarunt Clemens XII et Benedictus XIV. Vide huius Pontificis *Instit. XIII, n.* 4.

III. Porro Regulares possunt ex privilegio celebrare una hora ante auroram *(quae incipit duabus horis ante ortum solis)*; quare valent celebrare Missam tribus horis ante solis ortum (S. Alph. *De Privileg. n.* 122; et cf. Ferraris, v. *Missa*, art. V, n. 1 sqq.).

§ 26. *Regulares eximuntur a solvendo Cathedratico.*

905. Illa certa pensio, quae solvi solet Episcopo in signum subiectionis et honoris *Cathedrae Episcopali*, dicitur *Cathedraticum*, et etiam *Synodaticum*, utpote quae in Synodis Episcopalibus solvi consueverat.

Cathedraticum solvi debet ab omnibus ecclesiis saecularibus, et quibuscumque Parochis et Beneficiariis. *Eximuntur vero ecclesiae Regularium monasteriis contiguae, in quibus iidem Regu-*

lares divina peragunt Officia, per textus Canonum apud Benedictum XIV, *de Syn. dioec.* lib. V, c. 7, n. II et III.

Et sane Regulares sunt exempti *a lege dioecesana,* ac ideo ad onera, quibus subsunt ceterae ecclesiae saeculares, minime tenentur (Vid. dicta de *Cathedratico* Lib. XIII, pag. 729).

§ 27. *Regulares eximuntur a praestando subsidio charitativo.*

906. Subsidium charitativum est exactio extraordinaria et moderata ob manifestam et rationabilem causam cum charitate a subditis expostulata. Etsi ex charitate postuletur, tamen obligat revera subditos, qui si renuant, cogi possunt ad illud contribuendum. Praestatur ab omnibus ecclesiis, et Beneficiis saecularibus, nec non a Beneficiatis etiam regularibus *non exemptis* e reditibus superfluis. Exigitur, seu exigi potest ab Episcopo, vel ab eo qui iurisdictionem habet Episcopalem.

Ab huiusmodi subsidio solvendo eximuntur Regulares, seu monasteria et ecclesiae Regularium exemptorum; siquidem talis exactio *ad legem dioecesanam* spectat, a qua Regularium monasteria sunt exempta.

§ 28. *Regulares Mendicantes eximuntur a contributione pro Seminario erigendo.*

907. Nam S. Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 18, edixit, monasteria omnia Regularium teneri, quatenus opus sit, contribuere Seminario erigendo, sed statim subiungit: *non tamen Mendicantium.* In casu tamen, quod Mendicantes habeant beneficia unita suis Monasteriis, tunc etiam ipsi habita ratione redituum eorumdem, solvere debent pro eorum rata (Vid. Ferraris, verb. *Seminarium,* n. 23 sqq.).

§ 29. *Per specialia privilegia a Summis Pontificibus concessa, Regulares fere omnes hodie sunt exempti a solvendis Decimis et vectigalibus.*

908. Ad hanc conclusionem plene demonstrandam referre oposteret omnia cunctarum Religionum privilegia, quod esset opus nimis

longum et operosum. Sequentia tantum meminisse sufficiat. In *Monumentis Ordinis Minorum* et in *Compendio privilegiorum* ab Alphonso Casarubio compilato, v. *Decimae,* n. 2, refertur, quod 1° Clemens IV, *per Bullam,* concessit Fratribus Minoribus, ut de hortis et virgultis suis nulli Decimam teneantur exhibere; ac districte inhibuit, ne quis ab eis de praemissis aliquid exigere vel extorquere praesumat.

2° Quod Sixtus IV indultum Clementis IV ampliavit et extendit ad quaecumque bona dictorum Fratrum Minorum et ad quascumque Decimas.

3° Quod idem Sixtus IV eamdem exemptionem concessit Conventibus et Monialibus S. Clarae, quod scilicet plenissime eximantur a solutione Decimarum suarum terrarum et possessionum, etiam illarum, quas per colonos faciunt cultivari, ac etiam a gabellis et pedagiis (Casarubios, v. *Decimae,* n. 10 et 13).

Generatim ad Decimas solvendas non tenentur Regulares *non possidentes stabilia,* et qui *de eleemosynis* vivunt, ut Sacra Congregatio Concilii sub die 17 Octobris 1625, et 20 Maii 1662, teste Ferraris, v. *Decimae,* art. II, n. 60, in specie *pro Fratribus de Observantia* declaravit. De exemptione a solutione *Decimarum* videatur Ludovicus Miranda, *Manuale,* tom. II, quaest. 49, art. 12; Lezana, v. *Decima quoad Regulares,* n. 2 et 3; Salmanticenses, tract. 18, de *Privilegiis,* n. 52 et sqq., ubi latissime sermo est de hac materia.

909. Notandum est 1° Decimam communiter tripliciter dividi a Doctoribus: Prima dicitur *praedialis* seu *realis,* et est illa quae solvitur ex fructibus vel proventibus praediorum, agrorum, pratorum, hortorum, domus locatae, silvarum, vinearum, arborum, piscinarum, molendinorum etc. Alia dicitur *personalis,* et ea est quae solvitur ex fructibus vel proventibus ex industria personae ortis, ut ex negotiatione, mercatura, piscatione, venatione, arte, scientia etc. Tertia species Decimae seu Decimarum dicitur *mixta,* utpote quae ex reali et personali constat, quatenus partim ex natura praediorum et animalium, et partim ex industria et artificio hominum proveniunt: ut sunt illae quae ex lana, lacte, caseo, melle et huiusmodi proveniunt.

Notandum est 2° in generali communicatione privilegiorum, quamvis ampla, non communicari privilegium exemptionis a solvendis Decimis. Nam communicationes non extenduntur ad ea, quae vel non solent concedi, vel non conceduntur, nisi cum magna difficultate, prout est exemptio a solvendis Decimis, in qua habetur *praeiudicium tertii.*

Notandum est 3° bona et praedia, quae solutioni Decimarum sunt obnoxia, remanere eodem onere gravata, etsi ad Regulares exemptos transeant, adeo ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici, priusquam ad dictos Regulares transiissent. Excipe casum, quo speciale Indultum a S. Sede pro exemptione ab huiusmodi Decimarum solutione obtentum fuerit. Id pluries declaratum fuit a S. Congregatione Concilii, prout refertur a Ferraris, v. *Decimae,* art. II, n. 56.

Notandum est 4° per privilegia Iure communi Regulares omnes esse exemptos a solvendis Decimis de *Novalibus,* textu expresso cap. *Ex part.* 10 *de Decimis.* Per *Novale* intelligitur ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.

910. Concludimus cum doctissimo Giraldi, qui praemissis Iuris textibus, infert: «Ex his igitur allatis Iuribus *certum est,* omnes Regulares *exemptos esse a solvendis Decimis,* tam personalibus, quam ex praedialibus illis, quae dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, et de novalibus, quae fiunt ex terra prorsus inculta, quam propriis manibus seu sumptibus excolunt; secus vero ex fundis decimalibus, qui *ad eos cum tali onere translati sunt,* nisi quoad hoc speciatim exemptionis privilegio muniti sint» (*Expositio Iuris Pontificii,* tom. I, pag. 330 in fin.; et vid. etiam Reiffenstuel, lib. III, tit. 30, § IV; S. Alph. *De privilegiis,* n. 87; Salmant. tract. 18, cap. 3, n. 60).

911. Regulares Mendicantes *(inspecto iure)* nedum a solvendis Decimis eximuntur, sed etiam *a datiis, vectigalibus, aliisque exactionibus, impositionibus,* atque oneribus, ex privilegio a S. Pio V per Bullam incip. *Dum ad uberes* diei 19 Iulii 1566, confirmatam a Benedicto XIII Constitutione *Sollicitudo* anni 1725 Idus Decembris, quam vide per extensum penes *Chronologiam Ordinis Minorum,* pars 2ª tom. III, pag. 55.

§ 30. *Potestas Praelatorum Regularium irritandi vota Religiosorum subditorum.*

912. In antecessum notandum est triplicem Religionis Praelatum generaliter distingui posse, videlicet *infimum, supremum* et *medium*. Praelati *infimi* in Religione sunt illi, qui conventuales seu locales vocantur, quorum unusquisque uni tantum monasterio praeest, et in eo immediatam gerit praelationem, ut ex. gr. Abbas unius monasterii, Prior seu Guardianus etc. Hos enim omnes vere Praelatos esse, communis sententia est, inquit Suarez, *de Religione*, tom 4, tract. 8, l. 2, n. 1 sq. Cf. Ferraris, verb. *Regularis Praelatus*, n. 2.

Supremus Praelatus Religionis dicitur, qui intra illam non habet superiorem, et omnes alios eiusdem Religionis Praelatos sibi habet subiectos. Talis est *Generalis*, seu *Prior Generalis*, vel *Abbas Generalis*, aut *Magister, Minister*, vel *Praepositus Generalis* (Cf. Suarez, ibid.).

Praelati *medii* dicuntur qui intra eamdem Religionem superiorem Praelatum habent, et simul plures domos, pluresque Praelatos inferiores sub se habent. Et tales sunt, qui communiter vocantur *Provinciales*.

Iuxta communem Doctorum sententiam omnes praedicti Praelati Regulares *iurisdictionem quasi episcopalem* habent in suos subditos prout pluries in decursu operis notatum est; et constat ex cap. *Abbates* (*De Privilegiis* in 6), ubi dicitur: *In quos ecclesiasticam et quasi episcopalem iurisdictionem obtinent.* Ubi Glossa animadvertit, vocari *quasi episcopalem*, quia non se extendit ad actus, ad quos potestas Ordinis seu consecratio Episcoporum necessaria est (Vid. *Suarez loc. cit.; Bouix*, tom. II, pag. 380 sqq.).

Notandum est 2° in Ordinibus religiosis distinguendas esse duas potestates, potestatem scilicet *iurisdictionis* et potestatem *dominativam*. « Oportet animadvertere, docet Suarez, nomine *iurisdictionis*, in praesenti significari potestatem spiritualem ad claves Ecclesiae pertinentem et consequenter a Christo Domino datam vel derivatam, mediante Vicario suo vel aliis Episcopis. Per potestatem

autem *dominativam* intelligi oportet ius acquisitum Religioni et Praelatis eius ad imperandum Religiosis et utendum operibus eorum, prout conveniens iudicaverint. Quae potestas, si in Religione reperitur, non pertinet ad claves, nec a Christo descendit per specialem donationem ab Ecclesia factam, sed orta est radicaliter a voluntate profitentium talem regulam, et se donantium Religioni, cum promissione et oblatione obediendi secundum illam. Unde manifestum est, talem potestatem, si est, distinctam esse a potestate clavium, et consequenter a iurisdictione proprie dicta et explicita; quamvis improprie et abusive loquendo vocari possit iurisdictio, extendendo hanc vocem ad omnem potestatem imperandi et cogendi, quam habet pater in filium et dominus in servum; qui abusus vocis cavendus est, tum quia inducit ambiguitatem et confusionem ac dissensionem in verbis, tum etiam quia neque in iure canonico nec in civili dicitur iurisdictio, nisi potestas publica et politica, quae a principe vel republica manavit ». Ita Doctor eximius, de Religione, tom. III, l. 2, cap. 18, n. 5; et cf. Bouix, *de Iure Regularium,* tom. II, p. 374.

Quibus pro maiori dicendorum claritate adnotatis, affirmamus quae sequuntur:

913. Omnia *vota* Religiosorum, quae *statum non constituunt,* quamvis cum observantia regulari compatibilia, possunt a Superioribus Regularibus IRRITARI: nam *nullum votum Religiosi* (ita S. Thomas, 2. 2. q. 88 ad 3) *est firmum, nisi sit de consensu Praelati.* Ratio est, quia Religiosus *ob votum obedientiae* in omnibus est subiectus Praelato suo, in quem transtulit suum *velle et nolle.* Et haec quidem doctrina communis est penes omnes Doctores.

914. Ab hac generali regula excipiuntur:

1° *Vota constituentia statum religiosum,* sive sint simplicia sive solemnia: nam quoad haec vota Religiosus non Praelato, sed Summo Pontifici subiectus est. Accedit, quod *ab huiusmodi praecise votis* potestas irritativa Praelato regulari provenit quoad proprios subditos.

2° Vota, quae in quibusdam Religionibus sunt adnexa tribus votis substantialibus, ut in Ordine Minimorum votum abstinentiae a carnibus.

3° Excipitur votum transeundi ad arctiorem Religionem, ex Cap. *Licet de Regul.*

Collige: *a)* Vota omnia Religiosorum, exclusis modo exceptis, irritari posse a Generali in toto Ordine, a Provincialibus in respectiva Provincia, a Guardianis seu Prioribus in suis respectivis Conventibus; item probabiliter ab Abbatissis, Priorissis etc. in propriis Monasteriis seu Domibus. Ratio est, quia hi omnes gaudent potestate *dominativa* in suos subditos; consequenter possunt eorum vota irritare (Vid. S. Alph. n. 233).

Collige: *b)* Praelatos Regulares non posse irritare vota *Novitiorum,* quippe qui nondum per votum obedientiae sunt subiecti potestati *dominativae* eorumdem Praelatorum: posse tamen eorumdem Novitiorum vota personalia suspendere (Videantur fusius dicta in tract. *de voto,* n. 154).

§ 31. *Potestas Praelatorum Regularium dispensandi in votis suorum subditorum.*

915. Praelati Regulares *respectu suorum subditorum* possunt *dispensare* in omnibus *votis,* exceptis reservatis Summo Pontifici. Nam Praelatis Regularibus exemptis incumbit onus pascendi, non secus ac Episcopis proprios dioecesanos, subditos suos Religiosos, in quos habent iurisdictionem quasi episcopalem non solum in foro interno, sed etiam externo. Est communis doctrina. Hinc S. Alphonsus, lib. III, n. 256, ex Busembaum haec docet:

916. Potestas dispensandi convenit omnibus Praelatis, qui habent iurisdictionem in foro externo vel privilegium, unde dispensare possunt sequentes:

I. Papa respectu omnium fidelium in omnibus votis.

II. Episcopus respectu suorum subditorum; non autem Parochus, quia tantum habet iurisdictionem fori interni.

III. Praelati Regulares exempti respectu *suorum Religiosorum* et Novitiorum: idque circa vota, quae vel in saeculo vel etiam in Novitiatu fecerunt: non autem Praelati non exempti, neque Abbatissae.

IV. Certum est etiam, quod omnes Praelati, qui iure ordinario habent facultatem dispensandi in votis, possunt eam etiam aliis delegare.

V. Demum ex eodem S. Doctore, loc. cit. n. 257, vota Novitiorum, si non sunt reservata, possunt dispensari tum a Praelatis Religionis, tum etiam ab Episcopis (Cf. Salmant. tom. IV, tract. 17, cap. III, n. 89).

917. Notentur etiam tradita a Salmanticensibus: « Praelati Regulares sicut ferre censuras possunt, et ab eis absolvere, quod pertinet ad dictam iurisdictionem *(spiritualem in foro externo)*, ita et omnia vota suorum Religiosorum dispensare, praeter illa, quae sunt specialiter reservata; sed ad haec inutilis esset talis iurisdictio, ut de voto *Castitatis* et *Religionis* constat, *cum ex vi suae professionis* ad illa teneatur Regularis; a quibus liberari nequit ab alio, praeterquam a Summo Pontifice... A votis *trium peregrinationum* superfluum esset in Praelatis facultas subditos absolvendi, cum *invalidum sit* modo in Religiosis tale votum peregrinationis, quibus *sanctius et melius est in claustris degere;* et si aliquando fuerit validum, est semper dependenter a licentia Superioris, quam ipso negante, voti obligatio omnino corrueret » (Tom. IV, tr. 17, cap. III, n. 88).

§ 32. *Potestas Praelatorum Regularium irritandi Iuramenta suorum subditorum.*

918. Superioribus ius esse *irritandi* seu annullandi *iuramenta* suorum subditorum, res est extra dubium posita, confirmata a consensu Doctorum. Et sane ob emissum *obedientiae votum*, Religiosorum voluntas remanet omnino subiecta proprio Superiori, nec proinde Religiosi subditi habent *velle et posse* sine consensu Superioris. Hinc Laymann, Lib. IV, tract. III, cap. IX, n. 1 sqq. docet: « Sicuti vota, ita et iuramenta per *dominativam potestatem* irrita reddi possunt, non solum per accidens seu ratione materiae promissae, quae alterius potestati subiecta sit, sed etiam per se et simpliciter dicta irritatione, si voluntas voventis aut iurantis, et consequenter obligatio... alterius potestati subiecta sit, sicut in *Re-*

ligioso et impubere accidit... Iuramentum promissorium, prosequitur laudatus Auctor, *soli Deo* praestitum de opere aliquo meliore, per dominativam potestatem patris, *Praelati*, domini, mariti, etc. similiter irritari potest, sicuti de voto dicturus sum... Iuramentum etiam *homini* praestitum, irritum reddi potest, si versetur circa materiam, quae liberae alterius dispositioni subiecta est, aut si versetur circa promissionem vel contractum, *qui dominativa potestate Praelati*, patris, domini, tutoris, infirmari potest».

919. Hinc etiam Salmanticenses, tr. 17, *De Voto ac Iuramento*, cap. 3, n. 5, scribunt: «Omnia pacta Religiosorum, et omnis promissio, etiam iuramento firmata possunt a suis Praelatis irritari: quia cum Religiosus omni voluntate *careat, nil firmum efficere potest absque Superioris consensu*» (Cf. etiam S. Alph. lib. III, n. 189. Elbel, pars tertia, n. 268, conf. X).

§ 33. *Potestas Praelatorum Regularium dispensandi in iuramentis suorum subditorum.*

920. Fere supervacaneum est in distincto articulo agere de potestate Praelatorum Regularium *dispensandi* in *iuramentis* Religiosorum subditorum; eo quod supra exposita de dispensatione *votorum*, pari modo generatim intelligenda sunt de dispensatione *iuramentorum*. Sequentia tantum addimus:

1° Praelati Regulares possunt nedum irritare, sed etiam dispensare iuramenta *promissoria in honorem Dei facta* a Religiosis subditis; haec enim iuramenta habent cum votis maximam convenientiam, praesertim quoad eorum relaxationem. Unde quoad hoc de iuramentis iudicandum est, sicut de votis.

2° Praelati Regulares dispensare etiam possunt in iuramentis, seu etiam votis iuratis a Religiosis subditis *in utilitatem tertii* quoad ea, in quibus Religiosi sunt subiecti Praelatis. Cum enim res huiusmodi sint sub dominio seu administratione Praelatorum, Religiosi subditi, nullo iure possunt, absque licentia Praelati, illa promittere; consequenter, promissiones, etiam iuramento firmatae, utpote nullae tolli possunt a respectivis Superioribus. Ratio patet ex dictis de voto: quia scilicet Religiosi subditi, cum omni volun-

tate careant, nihil firmum efficere possunt absque sui Superioris consensu.

3° Relate ad illa iuramenta vel vota iurata, facta a Religiosis subditis de illis rebus, de quibus ex facultate sibi concessa possunt disponere, non admittitur nec irritatio, nec dispensatio, nec commutatio ex parte Superiorum, quoties iuramenta fuerint in commodum alicuius tertii facta, et *ab eo acceptata*. Ratio patet: nam Superior Regularis auferre nequit ius alterius, ubi ius proprium non laeditur; ille autem, in cuius favorem factae sunt promissiones vel iuramenta, ius iam acquisivit per acceptationem (Cf. Laymann, loc. cit. cap. XI, n. 6; Lezana, tom. I, cap. 18, n. 53, et tom. IV, v. *Iuramentum*, n. 24 et 26; Salmant. tract. 17, cap. III, n. 83 sqq.).

§ 34. *Omnes facultates speciales a S. Sede habitualiter Superioribus Regularibus concessae, transeunt ad Successores.*

921. Die 3 Maii 1899 Sacra Congregatio Romanae Inquisitionis, approbante Summo Pontifice, declaravit: omnes facultates speciales a S. Sede habitualiter concessas Episcopis, aliorumque locorum Ordinariis, licet ad praefinitum tempus, ob eorum mortem vel a munere cessationem ad Successores transire (Vid. supr. n. 209).

Iam vero eadem S. Congregatio, ad dubium sibi propositum a quodam Superiore Generali Ordinis: *Utrum* scilicet *relatum Decretum se extendat ad omnes Superiores?* respondit: *Supplicandum SSmo* PRO EXTENSIONE *Decreti fer.* IV, 3 *Maii* 1899, *ad Superiores Generales Ordinum Religiosorum* (Die 20 Dec. 1899).

Et Summus Pontifex die 22 eiusdem mensis et anni, resolutionem Emorum Cardinalium approbavit, *ac extensionem praedictam benigne concessit* (*Acta S. Sed.* vol. 32, p. 503).

Ergo facultates omnes speciales *habitualiter* a S. Sede Generalibus Ordinum Regularium concessae, non suspenduntur vel desinunt ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad eorum Successores transeunt.

Et notandum: Sub illis verbis: *facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis, aliorumque locorum Ordinariis* (nec non Generalibus Ordinum Religiosorum) *concessas,* compre-

hendi facultates omnes speciales a S. Sede Ordinariis et Superioribus Generalibus concessas, quibus ipsi utuntur, quoties volnerint, *licet ad praefinitum tempus;* cuiusmodi sunt facultates *de Poenitentiaria* dictae, etc. (Cf. Decr. 3 Maii 1899, apud *Acta S. Sed.* vol. 32, pag. 60).

Facultates *habituales* dicuntur illae, quae delegantur *per modum habitus,* pro casibus scilicet indeterminatis, ad distinctionem facultatum particularium, quae delegantur *ad actum,* nempe pro casu determinato.

§ 35. *Professio religiosa extinguit omnia vota prius emissa.*

922. Veritas praemissi thematis patet ex cap. IV, *Scripturae,* nempe ex Decretali Alexandri III, universis Abbatibus Ordinis Cisterciensis per Angliam constitutis rescripta, ubi dicitur: *Reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.*

Et notandum, pro extinctione dictorum votorum minime requiri ex parte professionis intentionem, ut nonnulli opinati sunt; siquidem ad id sufficit ipse professionis actus. Ratio est, quia omnia alia opera Deo promissa, sunt particularia, *eminenter contenta in professione religiosa,* per quam professus se et omnia sua divino dedicat obsequio, et nihil, ne propriam quidem vitam, sibi reservat (Vid. Giraldi, tom. I, pag. 356, sect. 548; Ferraris, v. *Regularis professio,* n. 99; et cf. dicta in Lib. I, pag. 57, n. 92).

§ 36. *Facultas Confessariorum Regularium commutandi vota Christifidelium.*

923. Paulus III per Breve incip. *Cum inter cunctas,* die 3 Iul. 1545, Confessariis Societatis Iesu concessit facultatem vota quaecumque Christifidelium (exceptis Summo Pontifici reservatis) in alia pietatis opera *commutandi.* Quam facultatem Gregorius XIII extendit postea ad vota etiam *iurata* per Constitutionem incip. *Decet Romanum Pontificem.* Iamvero huiusmodi facultate gaudent etiam ceteri Regulares, maxime Mendicantes, vi communicationis

privilegiorum cum praelaudata Societate, prout omnes Auctores fatentur. Videatur haec materia fusius discussa in tract. de *Iuramentis et votis.*

§ 37. *Praelati Regulares possunt benedicere paramenta, vasa sacra et alia ad divinum cultum pertinentia, in quibus sacra Unctio non est adhibenda, sed pro suis tantum Ecclesiis.*

924. Sacra Rituum Congregatio ad dubium sibi propositum: An Regularium Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii Superiores possint explere Benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur? Die 16 Maii 1744 respondit: *Posse pro suis Ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio* (N. 2377 ad 3; et vid. etiam N. 1340).

925. Porro privilegium huiusmodi habent a S. Sede Regulares. Nam Leo X in Const. incip. *Religionis suadet,* favore Ordinis Minorum de Observantia haec statuit atque concessit:

Nos igitur, qui Religiosarum personarum vota, per quae eorum dispendiis obviatur, ac commodis et profectibus providetur, studio charitatis libenter prosequimur, huiusmodi supplicationibus inclinati etc. ac vestri Ordinis *Generalibus, Provincialibus, Vicariis, et Custodibus, ac Guardianis* pro tempore existentibus praefatis, ut omnia et singula eiusdem Ordinis de Observantia Ecclesias, Coemeteria, et Capitula, et Oratoria ubicumque existentia receptas et recepta, recipiendas seu recipienda, *ac paramenta et ornamenta, ac alia quaecumque ad divinum cultum et usum vestrum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit,* pro vestro usu tantum, *solemni benedictione,* ac etiam per Vicarium, seu Guardianos, *aut alios ad hoc a vobis in vestris Capitulis Generalibus provide deputandos* benedicere, ac illos seu illa, et eorum qualibet sanguinis, seu seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos (praesertim in locis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis) benedicta, reconciliare libere et licite valeatis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus; non obstantibus etc. (Vid. Ca-

sarubius, *Compend. Privilegiorum,* verb. *Benedicere Ecclesiastica;* Miranda, tom. II, quaest. 40, art. 1 sq.; Lezana, tom. III, verb. *Benedictio,* n. 8; Ferraris, verb. *Benedictio,* Art. V, n. 7; Aloys. a Carpo, *Caeremoniale,* part. 3, cap. XI, n, 248).

Quare Superiores Regulares possunt benedicere nedum sacra paramenta seu suppellectilia, sed etiam sacras Imagines D. N. Iesu Christi, B. M. Virginis aliorumque Sanctorum, sacrum Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, Pyxidem, et generatim omnia, in quibus sacra Unctio non adhibetur. Videatur Decretum S. R. C. diei 17 Maii 1760. N. 2457.

§ 38. *Praelati Regulares possunt benedicere ac reconciliare suas ecclesias et coemeteria.*

926. Praelati Regulares, seu alii Sacerdotes in Capitulis generalibus deputati, possunt *benedicere* necnon *reconciliare Ecclesias, Coemeteria, Capitula et Oratoria.* Ita ex Const. Leonis X superiori numero allata. Qua de re clarissimus Canonista Reiffenstuel (*Lib. III, tit.* 40, *n.* 9) scribit: «Quamvis nemo praeter Episcopum consecrare possit Ecclesiam, possunt tamen Superiores Fratrum Minorum, *ac alii Regulares communicationem privilegiorum cum ipsis habentes,* proprias Ecclesias et Oratoria solemniter benedicere, et ad cultum divinum deputare, sicque facere, ut donec consecrentur eorum Ecclesiae, Missae et alia Divina in iis celebrentur, idque non vi iuris communis, sed ex speciali privilegio Summi Pontificis Leonis X, utpote qui in Bulla concessit *Generalibus, Provincialibus, ac Custodibus et Guardianis Fratrum Minorum pro tempore existentibus, ut omnia et singula eiusdem Ordinis, et Observantiae Ecclesias, Coemeteria, Capitula, et Oratoria ubicumque existentia, tam recepta, quam recipienda* etc. *solemni Benedictione benedicere valeant;* quod privilegium etiam allegat Barbosa *de Offic. et potest. Episc.* Alleg. 27, n. 44; Roderiquez, tom. I, q. 19. art. 2, et alii ». Ita laudatus Reiffenstuel; et cf. Lezana, loc. cit. n. 8, ubi ex Casarubio et Sorbo notat, etiam aliis Ordinibus similia privilegia fuisse concessa, quamvis non de omnibus constet, an concessio facta fuerit per Bullam, ut pro Ordine Mi-

norum, vel per oracula vivae vocis, quae essent abrogata. Nihilominus pro his Regularibus, speciatim Mendicantibus, semper remanet *communicatio privilegiorum,* in praesenti casu cum Ordine Minorum.

§ 39. *Facultas quaestuandi quoad Regulares Mendicantes.*

927. Religiosi Mendicantes iure seu privilegio *quaestuandi* gaudent; nec prohiberi possunt fideles, ne ipsis eleemosynas conferant. Id statuit, praeter alios Summos Pontifices, Sixtus IV Constit. incip. *Sacri.* Quoad Fratres Minores ita habetur in eorum regula, cap. VI: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, *vadant pro eleemosyna confidenter* ». Quae verba robur accipiunt a Summo Pontifice Nicolao III, Const. *Exiit* et a Clemente V, Const. *Exivi,* in quibus Constitutionibus habentur Declarationes super Regula Fratrum Minorum. S. Pius V sic etiam decrevit: « Quod vero de usu quaestum eleemosynarum auferendo loquitur Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 9, id *ad Mendicantium Ordines* nullo modo referri posse vel debere, etiam decernimus; quin potius, cum ex eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, *eis id facere liberum omnino esse declaramus* ». Const. *Etsi Mendicantium* circa fin. part. disposit.

928. Circa dictam quaestuationem haec sunt animadvertenda:

1. Non possunt Mendicantes quaestuare extra districtus consuetos et assignatos propriis Conventibus, ex declaratione S. C. Ep. et Reg. diei 22 Iun. 1674, relata a Ferraris, v. *Eleemosyna,* n. 32.

2° « Non tenentur Regulares, qui *ex institutione aut facultate* Sedis Apostolicae eleemosynas quaeritare aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam eleemosynas per Dioecesim quaerendi, cum in erectione Monasteriorum haec licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censeatur ». Verba sunt S. C. Ep. et Reg. Decr. 6 Oct. 1597 (Vid. alia plura penes Ferraris, loc. cit. n. 33).

3° Sacra Congregatio Concilii declaravit: « Fratres Ordinum Mendicantium *nequaquam posse ab Episcopis prohiberi,* quominus *per*

seipsos in Dioecesibus, *ubi habent Conventus*, eleemosynas quaerant, sed tantum si *extra loca*, ubi Monasteria existunt, quaeritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere; at si *extra Dioecesim*, teneri etiam illius consensum obtinere; ceterum nullatenus esse permittendum, ut eleemosynas quaerant per alios, quam per sui Ordinis Fratres » (Lezana, tom. I, cap. VI, n. 44; Ferraris, loc. cit. n. 36 et 37; et vid. Breve *Exponi Nobis* Clementis XI de die 8 Iulii 1717 apud *Chronolog. Ord. Min.* vol. I, pag. 559 sq., quo confirmantur privilegia Mendicantium pro quaeritandis eleemosynis sensu explicato).

4° Regulares Mendicantes possunt quidem, ut constat ex dictis, quaestuare per seipsos et ad suam utilitatem: per saeculares autem non possunt, *nisi de licentia Episcopi* (S. C. Ep. et Reg. die 17 Ian. 1692; Ferraris, ibid. n. 38).

5° Quoad Fratres Mendicantes, qui ex facultate concessa a Tridentino, *sess.* 25, *cap.* 4, bona immobilia possidere possunt, non tenentur ipsi ex mendicato vivere, ne quasi obligentur ad superflua quaerenda vel tenenda, quae nullatenus habere possunt. Legatur Lezana, Summa Quaest. tom. I, cap. VI, n. 43; tom. II, cap. I, n. 2 sq.

Quoad facultatem eleemosynas colligendi habes disceptationem penes *Acta S. Sedis* vol. 24, pag. 677, ac etiam decisionem S. C. Ep. et Reg. de die 11 Mart. 1892, ubi supra expositis omnia conformia reperies.

§ 40. *Privilegium Cannarum quoad distantiam in fundatione novi Conventus.*

929. Clemens IV prohibuit ceteris Ordinibus in paupertate fundatis... ne aliquod Monasterium, Ecclesiam aut Oratorium aedificare seu construere praesumant infra spatium *trecentarum Cannarum ab Ecclesiis Fratrum Minorum* mensurandarum per aerem, etiam ubi alias recte mensurari loci dispositio non permittit. — Nulli quoque saeculari vel Religioso cuiuscumque professionis voluit licere, Ecclesiam, vel Monasterium, seu Oratorium iam aedificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra spatium

praedictarum trecentarum Cannarum. — Et quamlibet istarum Cannarum voluit octo palmarum longitudinem continere, non obstante varia locorum longitudine, sive privilegiis et litteris quibuscumque a Sede Apostolica sub quacumque verborum forma concessis seu etiam concedendis (Casarubius, Compend. Privileg. v. *Aedificare,* pag. 310, n. I).

Iulius II expositum privilegium confirmavit et approbavit, et quatenus opus esset, praedictarum trecentarum Cannarum privilegium, Auctoritate Apostolica eisdem Fratribus Minoribus de novo concessit; ita loco cit. n. 9, et quidem per Bullam.

De hoc privilegio Fratrum Minorum mentio fit in *Collectanea* Emi Bizzarri, pag. 680, edit. 1ª, ubi dicitur: « Fratres Minores a Clemente IV Const. « *Ad consequendam* » diei 18 Novemb. 1265 privilegium obtinuerunt, ne alii Religiosi Conventus, Ecclesias, Oratoria erigerent, nisi saltem Cannis trecentis ab illorum Conventu distarent ». Virtute huius privilegii, simul cum aliis rationum momentis, quaedam causa de re praesenti, die 12 Aug. 1853, resoluta fuit favore Fratrum Minorum, ut quisque videre potest in dicta *Collectanea* Emi Bizzarri, loc. cit. pag. 681 in fine.

Nota: Privilegium *Cannarum* concessum fuit plus vel minus ample, ceteris Ordinibus in paupertate fundatis, ut videre est penes Casarubium, loc. cit.; Lezanam, verb. *Monasteria Regularium,* n. 19; Salmant. tr. 18, n. 137; maxime vero penes Mirandam, *Manuale,* tom. I, quaest. 33, art. 4.

§ 41. *Declarationes Summi Pontificis Leonis XIII in Constitutione* Romanos Pontifices *diei* 8 *Maii* 1881 *quoad erectionem et mutationem Conventuum.*

930. I. *Quoad erectionem* novorum Conventuum, Collegiorum, Scholarum etc. Summus Pontifex decrevit ac declaravit: *Sodalibus Religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendo coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae,* non licere.

II. Quoad *mutationes* vel *translationes.* « Fieri solet, ita Pontifex, subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non

prorsus novum opus Regularis Familia molialur; sed ea, quae sunt instituta, velit *in alios usus* convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae *pietatis religionisque causa instituta sunt,* liceat in usus a religione et pietate alienos convertere?

« Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat *dimovere de loco* instituta alioque transferre: aut *immutare in usum consentaneum,* qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, *priore usu retento, novam causam sive usum inducere* ».

« Iam vero quominus *duo illa prima,* privata ipsorum auctoritate, Religiosi Sodales efficiant, obstat Decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « *ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare* ». Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam. « Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, et aliorum Regularium locorum huiusmodi »? Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Const. *Romanus Pontifex* nisi « servata in omnibus et per omnia sacrorum Canonum et Concilii Tridentini forma ».

« Sic unum superest de quo contendebatur; num *priore usu retento,* nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut Collegium studiorum causa *iunioribus Sodalibus* in Coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium, *quod pateat etiam alienis.* Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro libito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifeste colligitur:

Religiosis Sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae

et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem ».

Non obstantibus... privilegiis, indultis, et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis... Quibus omnibus... derogatum esse volumus.

§ 42. *Indulgentia plenaria a Summo Pontifice Paulo V concessa pro articulo mortis omnibus Religiosis et Monialibus.*

931. *In cuiuslibet Religiosi* (et Religiosae) *mortis articulo,* ita Pontifex in Const. ROMANUS PONTIFEX die 23 Maii 1606, *si poenitens et confessus ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit,* plenariam indulgentiam concedimus.

Iuxta communem Doctorum sententiam praefatam Indulgentiam a Paulo V concessam lucrari etiam possunt *Novitii in mortis articulo constituti,* quia et ipsi in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum.

Notandum est, Indulgentiam plenariam in articulo mortis *ex aliis titulis* sine Sacerdotis ministerio posse ab ipsis moribundis sive Religiosis, sive saecularibus obtineri, ex. gr.

1° Si possideant ac *secum habeant* aliquod *obiectum pium,* puta, crucem, crucifixum, numisma, coronam, etc. apostolicis indulgentiis ditatum.

2° Si gestent aliquod scapulare approbatum, cui fuerit applicata indulgentia plenaria in articulo mortis.

3° Si sint Sodales non solum alicuius Ordinis Religiosi, ut diximus ex concessione Pauli V, sed etiam alicuius Confraternitatis, v. gr. SS. Rosarii, vel B. M. V. de Monte Carmelo.

4° *Si frequenter in vita* elicuerint actus virtutum theologalium, nempe fidei, spei et charitatis (*Raccolta,* pag. 19-20, edit. 1898), vel SS. Nomen Iesu invocaverint (*Raccolta,* p. 54), vel in honorem S. Angeli Custodis saepe recitaverint precem *Angeli Dei* (*Raccolta,* p. 386).

Postrema Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari potest *cunctis petentibus* per Benedictionem Apostolicam a Sacerdote facultatem habente impertitam (in Ordinibus Religiosis a Superioribus), adhibendo formulam a Benedicto XIV in Constit. *Pia Mater* praescriptam. — De Indulgentia plenaria in articulo mortis videatur nostra *Collectio Indulgentiarum* p. 256 ad 273.

§ 43. *Privilegium Monialibus Novitiis Ordinis Praedicatorum concessum.*

932. S. Pius V Constit. *Summi Sacerdotii* 23 Aug. 1570, Monialibus novitiis Ordinis S. Dominici indulsit, ut in articulo mortis constitutae possint *pro consolatione animae suae* professionem emittere, licet annum probationis non compleverint; dummodo tamen sint aetatis a Tridentino praescriptae, hac addita clausula « *ita tamen, ut sic decedentes, indulgentiam et alias gratias, quas Moniales vere professae consequuntur, consequi possint* ». Integra Constitutio refertur a Roderico, tom. III, quaest. XV, art. VI; et vid. Reiff. lib. III, tit. 31, n. 182; Miranda, tom. I, quaest. 22, art. 10.

Ex hac Constitutione nonnullae inter Auctores excitatae sunt quaestiones, id est:

1. An ipsa Constitutio complectatur *puellas educationis causa* in monasteriis Ordinis S. Dominici commorantes?

2. An Indulto Piano uti possint *Novitii* eiusdem Ordinis Praedicatorum?

3. An propter privilegiorum communicationem, *ad ceterorum quoque Regularium Ordinum Novitios atque Novitias* eadem Constitutio protendi valeat?

4. An hoc privilegium S. Pii V sublatum censeri debeat, ex quo Gregorius XIII, edita Constitutione incip. *In tanta negotiorum mole*, ad sacrorum Canonum atque sacri Concilii Tridentini praescriptum *revocavit quidquid amplius S. Pius V in Regularium favorem constituerat?*

5. Posita Pianae Constitutionis efficacia, cui nihil a Gregorio XIII derogatum fuerit, quinam sunt effectus professionis Novitiae, praesertim si convalescat?

Descriptas quaestiones etiam Benedictus XIV, *De Syn. dioec. lib. XIII, cap.* 12, *n.* 3, commemorat, quin tamen resolvat, sed remittit lectores ad Rodericum, Pelizzarium et Dianam. Nec nos intendimus pro hoc privilegio nimis decertare, sed tantum communiorem Auctorum sententiam referre. Sequenti ergo modo ad praemissa dubia respondemus:

Ad 1. Puellae *educationis causa* in monasteriis Ordinis S. Dominici commorantes, in privilegio, de quo agitur, non comprehenduntur (S. Congr. die 14 Mart. 1705 in causa *Neapol.* apud Bened. XIV, loc. cit.).

Ad 2. Concessione S. Pii V gaudent non solum Novitiae, sed etiam Novitii Ordinis Praedicatorum. Nulla enim ratio probabilis conspicitur, quod gratia Pontificis Summi frui nequeant *pro consolatione animae suae* Novitii in articulo mortis constituti, etsi *praesertim* seu *principaliter* gratia hujusmodi facta fuerit favore Sanctimonialium.

Ad 3. Propter privilegiorum communicationem, gratia a S. Pio V concessa iure extenditur ad Novitios et Novitias ceterorum Ordinum Regularium, qui cum eodem Ordine Praedicatorum communicant in privilegiis. Nulla enim etiam in praesenti casu est ratio, quae dictam communicationem impedire possit (Vid. responsum S. C. Ep. et Regul. diei 20 Sept. 1840 penes Bizzarri *Collectanea*, pag. 500).

Ad 4. Indubium est, Gregorium XIII plures Constitutiones S. Pii V reduxisse ad terminos sacrorum Canonum et Concilii Tridentini. Utrum vero sublatum etiam fuerit privilegium supradictae professionis et simul beneficium Indulgentiae plenariae in articulo mortis, hoc est punctum controversum. Nobis videtur privilegium cum indulgentia plenaria in articulo mortis non fuisse sublatum; nam Gregorius XIII videtur ea tantum revocasse, quae S. Pius V concesserat *super statu et regimine* Monialium, non autem super professione in articulo mortis emittenda cum lucro gratiarum spiritualium, cum id minime pertineat neque ad statum neque ad regimen Monialium. Praeterea hic agitur de simplici gratia seu favore spirituali, concesso *pro consolatione animae suae,* scilicet Novitiarum morientium, quae gratia dum proficit morienti, nullius iura laedit.

Ad 5. Professio religiosa ante annum probationis non expletum a Novitia emissa hoc solum operatur, ut Novitia sic professa capax sit indulgentiarum et aliarum gratiarum, quas in articulo mortis regulariter professae et professi consequuntur (Vid. Auctores cit. Ferraris, v. *Annus probationis,* n. 49).

933. Hinc si Monialis convalescat, ut cetera iura professis competentia participare possit, annum probationis complere debet, et denuo professionem emittendo prius editam ratam habere.

934. *Doctrina Fagnani circa dictum privilegium.* Sententia est ut sequitur: Moniales Novitiae Ordinis S. Dominici, in articulo mortis constitutae, dummodo sint legitimae aetatis, ex Indulto S. Pii V emittere possunt professionem ante annum probationis expletum; ita tamen, ut sic decedentes consequi possint indulgentiam et alias gratias, quas Moniales vere professae decedentes consequuntur... Verum huiusmodi Indultum, quatenus adversatur Decreto *Conc. Trid.* in *cap.* 15, *sess.* 25, *de Regul.,* videtur redactum ad illius terminos a Gregorio XIII in Const., quae incipit *In tanta.* Ac proinde, si Monialis sic professa ex tali infirmitate decederet, *Monasterium non succederet* in bonis illius... Quod si ex morbo convalesceret, *non censeretur Religioni alligata,* nisi transacto probationis anno iterum profiteretur, licet *quoad indulgentiam et gratias spirituales forte sustineri possit, indultum S. Pii V non fuisse a Gregorio revocatum,* prout tenuerunt multi ex recentioribus (Lib. III, cap. *Ad Apostolicam, de Regul.* n. 32 sq.).

Sententiam Fagnani, prout refert Giraldi, tom. I, Sect. 170, pag. 1049, amplexa est etiam S. Congregatio Concilii in *Narnien.* 25 Ian. 1744.

935. Ex deductis colligitur: *a)* Indultum S. Pii V quoad *professionem* et *indulgentiam* non fuisse revocatum.

b) Fuisse tamen redactum quoad *effectus huiusmodi professionis* ad terminos Concilii Tridentini, quod *professio antea facta* (id est ante integrum annum probationis) *sit nulla, nullamque inducat obligationem.*

c) Hinc si Novitia sic professa *decederet,* Monasterium non succederet in bonis illius.

d) Si vero Novitia ex morbo convalesceret, non censeretur Religioni alligata, nisi expleto probationis anno, iterum profiteretur.

e) Quoad indulgentiam *in articulo mortis,* indultum S. Pii V probabiliter perdurat. Verum sententia contraria sua probabilitate non caret. Nam etsi a Gregorio XIII non fuerit revocata, dubium manet, an fuerit revocata a Paulo V in Const. *Romanus Pontifex,* qua omnes et singulas indulgentias quibuslibet personis Regularibus antea concessas *revocavit, cassavit et annullavit;* et quoad indulgentiam plenariam in articulo mortis, *aliam concessit,* ut patet ex ipsa Constitutione (Vid. nostra *Collectio Indulg.* n. 1280 sq.).

f) Ad omne removendum dubium relate ad indulgentiam, praesto sunt alii tituli, qui ius tribuunt moribundis ad dictam indulgentiam lucrandam, quosque supra recensuimus.

§ 44. *Dispensatio super irregularitatibus quoad religiosos.*

936. *Praelati Regulares* possunt cum suis subditis dispensare in omni ferme irregularitate, excepta illa, quae orta est *ex homicidio voluntario, bigamia et mutilatione.* Ita Reiff. *Theologia mor.* tr. 13, dist. 3, n. 73; Elbel, part. X, n. 882; Rodriguez (seu Rodericus) *Quaest. Regul.* tom. I, quaest. 24; Miranda, *Manuale,* tom. II, quaest. 8, art. 7 sqq. Lezana, tom. I, cap. 18, n. 40; Salmant. tom. 4, tr. 18, cap. 4, n. 24, et alii quamplurimi.

Sententia Auctorum innititur praecipue privilegio concesso a Sixto IV per Bullas *Maris Magni* nuncupatas, incip. *Regimini universalis* ann. 1474, quarum una ad Praedicatorum, altera ad Minorum Ordinem data fuit, ubi laudatus Pontifex concessit Generali et Provincialibus Ministris et eorum Vicariis auctoritatem dispensandi cum Fratribus dicti Ordinis Minorum (vel Praedicatorum) patientibus defectum natalium... nec non cum iis, qui *ex quavis causa,* praeterquam *homicidii voluntarii, bigamiae* et *mutilationis membrorum,* irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint. Et huic quidem Sixtinae Constitutioni *stari quidem potest, ut nos arbitramur.*

Ex qua amplissima concessione citati Auctores inferunt, quod *Praelati Regulares,* communicationem privilegiorum habentes, possint *cum suis subditis* dispensare in irregularitatibus fere omnibus,

exceptis tribus mox relatis. Hinc Schmalzgrueber *(Pars IV, tit.* 37, *n.* 112, *de Poenis)* scribit, quod si privilegia Religionibus concessa spectentur, potestatem concedunt irregularitates relaxandi; et ita in Societate Iesu Praeposito Generali pro foro conscientiae conceditur facultas relaxandi quamlibet irregularitatem, etiam bigamiae et homicidii, ut constat ex *Compend. privileg.* Societatis; quin imo, ut Palao notat, *omnibus Religionibus Mendicantibus* concessum est privilegium relaxandi irregularitatem homicidii etiam voluntarii, dummodo notoria non sit, ex privilegio Martini V. (Videatur etiam Felix Potestas, *Examen Confessariorum*, n. 3376, et 3380 sqq.; et cf. Vermeersch, *de Religiosis Institutis*, n. 420, pag. 251).

Animadversiones circa praedicta privilegia.

Diximus supra n. 936 Auctores in asserendis privilegiis Regularium quoad dispensationes in irregularitatibus, *praecipue* niti Bulla Sixti IV incip. *Regimini universalis Ecclesiae.* At notandum est, plures alias concessiones a non paucis Auctoribus in medium afferri ad memorata privilegia tuenda, ex quibus sequentes indicamus:

I. *Privilegium Martini V,* concessum Monachis S. Benedicti Vallis Oliveti, et deinde extensum ad omnes Priores Congregationis Hispaniae, dispensandi dictos Monachos super omni irregularitate... Sed scias, privilegium hoc fuisse concessum *vivae vocis oraculo,* ut notat Casarubius, v. *Dispensatio,* n. 24, et advertit Lezana, tom. I, cap. 18, n. 44. Oracula autem vivae vocis, utpote revocata, his temporibus nihil valent.

II. *Privilegium Eugenii IV,* concessum Monachis S. Benedicti Observantiae Italiae. Verum hoc privilegium, licet per Bullam concessum, vix in usum deduci potest, ob adiectas conditiones. Nam Praelatis, Abbatibus, Prioribus etc. facultatem quidem dispensandi indulsit, sed *de licentia et consensu Capituli generalis, aut Praesidentis cum maiori parte Visitatorum.* Frustra ergo hoc privilegium invocatur *simpliciter* sine ulla conditione pro omnibus Regularibus.

III. *Privilegium S. Pii V,* concessum Ordini Praedicatorum per Constitutionem incip. *Romani Pontificis;* vi cuius praelati laudati Ordinis, cum quibus communicant ceteri Regulares, possunt in Fratres et Moniales *sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates...* Sed advertendum, hanc Constitutionem a Gregorio XIII per Bullam incip. *In tanta rerum* fuisse redactam ad terminos iuris communis et Decretorum Concilii Tridentini. Ideo concessionibus ibi a Sancto Pontifice factis *caute utendum est* hodiernis temporibus, saltem quoad aliquas.

IV. *Privilegium eiusdem sancti Pontificis Pii* V, concessum per Constitutionem incip. *Dum ad Congregationem Cassinensem,* 13 Iun. 1571. In huiusmodi Constitutione Sanctus Pontifex concedit Praelatis et Abbatibus praedictae Congregationis Cassinensis, cum qua communicant alii Regulares, ut possint *suos subditos, etiam Novitios* in Religione perseverantes, ab omnibus casibus et censuris *etiam in Bulla Coenae* contentis, absolvere, *cum eisdem dispensare in omnibus irregularitatibus* quomodocumque contractis, et pro foro conscientiae, etiam in irregularitate contracta *ex homicidio voluntario,* dummodo non sit commissum post ingressum in Religionem, et eos habilitare, ut possint ad quascumque Praelaturas suae Congregationis eligi et assumi... Verum de ista Constitutione idem dicendum est ac de superiori favore Ordinum Praedicatorum edita; siquidem Gregorius XIII in citata sua Constitutione *In tanta rerum mole,* hanc etiam Constitutionem Pianam comprehendit, imo omnes Constitutiones S. Pii V *pro Regularibus* latas, quas ad terminos iuris communis et Concilii Tridentini reduxit his verbis: « Statuimus et ordinamus, de praedictis et aliis omnibus Litteris et Constitutionibus, quae ab eodem Praedecessore eisdem de rebus, pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium, Ordinibus et Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus et quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem *pro subiecta materia* futuram esse, quae sive ex iure veteri, sive ex sacris dicti Concilii decretis, sive alias legitime ante dictarum Litterarum et Constitutionum editionem erat, et, *si ipsae non emanassent, futura fuisset, ad quam disposi-*

tionem et decisionem suumque pristinum et integrum statum ac terminum illa omnia reducimus ».

V. *Privilegium Benedicti* XIII. Hic Pontifex, pluribus editis Constitutionibus, ut illa quae incipit *Pretiosus,* et illa quae incipit *Paterna,* plura Regularibus contulit privilegia. At advertendum, Clementem XII per Constitutionem *Romanus Pontifex* diei 29 Mart. 1732, dictas Constitutiones ad terminos Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum reduxisse, *antequam eaedem Litterae et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent.* Quare etiam ab ipsis concessionibus nempe a Benedicto XIII factis, prudenter cavendum est.

Decretum S. Congregationis Concilii quoad praesentem materiam.

937. Doctissimus Giraldi scribit: Lectorem remitto ad sequens Congr. Conc. responsum, *a me recognitum,* quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in Regestis eiusdem S. Congr. *lib. Decret.* 35, *pag.* 145: « *Dubia facultatis absolvendi et dispensandi,* 14 Apr. 1685 ».

En supplex libellus seu supplica. Omnibus et singulis Congr. S. Mauri Ordinis S. Benedicti personis concessum est a fel. rec. Summis Pontificibus Gregorio PP. XV, Bulla data ann. 1621, et Urbano PP. VIII, ann. 1628, uti, frui, potiri et gaudere omnibus et singulis privilegiis, gratiis et libertatibus concessis Congregationi Cassinensi, S. Victorii, et omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, Militiarum et Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, et dispensandi super censuris, irregularitatibus, et inhabilitatibus *Monachos suos,* qui ante Religionis ingressum homicidiis voluntariis, aliisque patratis facinoribus, irregularitates et censuras incurrerunt, ut patet ex Brevibus Eugenii IV, Romae kalend. Aprilis, Pontificatus XI; Innocenti VIII kal. Nov. Pontificatus ann. III; Pii PP. V idib. Iul. ann. 1571 datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congr. Montis Oliveti a Pio IV, Bulla data anno 1560 die 24 Maii, Pontificatus ann. primo.

Sed et PP. Praedicatoribus Dominicanis, Bulla Iulii PP. II, data ann. 1510 Pontif. ann. VII.

Nec non et PP. Societatis Iesu, Bullis Pauli III, ann. 1549, 15 kal. Nov. Pontif. ann. XV, et Gregorii XIV anno 1591 datis.

Cum itaque PP. Congr. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano PP. VIII utendi, gaudendi et fruendi omnibus privilegiis aliis Congr. et Ordinibus concessis, non solum per participationem et extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congr. concessa essent, Procurator Generalis eiusdem Congr. humiliter instat declarari:

Primum. An Superiores dictae Congr. licite valideque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus et censuris suorum Monachorum per homicidia, vel in bello, vel in iurgiis, aliisque motibus, quasi indeliberatis, contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, Dignitatum et Prioratuum, seu Capellaniarum regularium?

Sacra Congregatio ad utrumque respondit: *Negative.* Haec omnia vide apud laudatum Giraldum, *Expositio Iuris Pontificii,* tom. III, sect. 49, pag. 862, col. 2ª, §. *Quia vero;* vel etiam apud P. Thesaurum, *de poenis ecclesiasticis,* parte 2ª pag. 205, cum adnotationibus eiusdem P. Giraldi.

Occasione allati responsi, quaeri potest, cur S. Congregatio Concilii negativam declarationem protulerit, non obstantibus tot Constitutionibus Pontificiis in supplici libello adductis, quibus ipsa Congregatio sine auctoritate Summi Pontificis derogare non potest. Submisse arbitramur id contingere potuisse vel quia huiusmodi privilegia in casu proposito, utpote difficilis concessionis, non sunt ceteris Religionibus communicabilia, vel quia praedicta S. Congregatio censuerit, talia privilegia fuisse revocata.

Notamus insuper *a)* Regularium privilegia non deberi ad indebita extendi, sed intra limites concessionis contineri, cuius tenor *semper speciatim et attente inspiciendus est.*

b) Plura privilegia fuisse Regularibus concessa per *oracula vivae vocis.* At haec oracula pluries fuisse a Summis Pontificibus revocata, demonstravimus supra.

c) Cum de privilegiis agitur, cavendum ab affirmationibus Auctorum plus minusve antiquorum, ex quibus non pauci simpliciter asserunt, quin documenta afferant et expendant.

d) Ad tuenda Regularium privilegia non sufficere demonstrare ea fuisse concessa et etiam confirmata post Concilium Tridentinum, sed necessarium quoque esse examinare et probare non fuisse revocata.

e) Cum de privilegiis sermo est *parum notis*, simplex assertio ex testimonio unius alteriusve Auctoris, ut plurimum fere nihil obtinet.

f) Animadvertendum est etiam, Constitutiones, quae *Concilium Tridentinum praecedunt*, ut illas Iulii II, Pauli III etc. supra citatas, ad tramitem eiusdem sacri Concilii esse intelligendas et exponendas ex Const. Pii IV. *In Principis Apostolorum Sede.*

g) Ex dictis non esse inferendum, sententiam nostram de irregularitatibus, excludere favore Regularium quamcumque facultatem seu privilegium. Nam nemo ignorat principium ab omnibus admissum, *Praelatos regulares* habere in suos subditos iurisdictionem quasi episcopalem. Hinc cum Religiosi propter privilegium exemptionis non subdantur Episcopis, sed immediate Summo Pontifici, loco Episcoporum succedunt *Praelati Regulares* quoad regimen suorum subditorum. Ex quo sequitur, *Praelatos Regulares* posse cum propriis subditis dispensare in *illis irregularitatibus*, in quibus dispensare possunt Episcopi cum suis dioecesanis, *nisi alias in aliquo casu constet oppositum*. Si secus foret, Regulares essent notabiliter inferioris conditionis, quam saeculares.

938. Ad rem Doctor Suarez (*De Religione*, tom. 4, tr. 8, lib. 2, cap. 1, n. 6): « Eo ipso, quod Religio a iurisdictione Episcoporum eximitur, manet immediate subiecta solius Pontificis iurisdictioni. Non poterat autem convenienter gubernari immediate per solum Summum Pontificem, aut per Commissarios vel Delegatos ab ipso, quia in omni Congregatione *necessarii sunt Pastores ordinarii*, quibus eius cura ex officio incumbat. Ergo si huiusmodi Pastores proximi non sunt Episcopi, necessarium est, ut sint *Praelati proprii* uniuscuiusque Religionis ».

939. Hinc fere unanimiter inferunt Doctores, ut supra notatum est, *Praelatos Regulares* dispensare posse *cum suis subditis* in omnibus *irregularitatibus*, in quibus dispensare possunt Episcopi cum suis Dioecesanis. Porro potestas Episcoporum quoad hoc prae-

finitur a Tridentino sess. 24, cap. 6, his verbis: « *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare* ».

940. Non descendimus ad particularia, ne tractatio in materia tam diffusa ac disputata, cum modico profectu plus nimio excrescat. Inferius aliquid in particulari dicemus ex auctoritate quorumdam Auctorum. Hoc in loco sequentia tantum notamus:

a) Possunt *Superiores Regulares,* modo in subsequenti articulo explicando, dispensare *super defectu natalium.* Quinimo hic defectus per se cessat per professionem religiosam *quoad susceptionem Ordinum.*

b) In defectu animi, puta in amentia, si agatur *de iam promoto ad Ordines,* dummodo constiterit per notabile tempus ad mentem rediisse, ita ut cessasse putetur eiusdem periculum.

c) Possunt *Superiores Regulares* dispensare cum *epilepticis,* seu morbo caduco laborantibus, dummodo, ut supra in *b),* agatur de iam promoto ad Ordines, et absit periculum lapsus, ac adhibeantur debitae cautelae, ex. gr. assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi etc.

d) Item *Praelati Regulares* dispensare possunt, ut nos opinamur, super defectu Sacerdotis subditi, qui ex infirmitate factus est *claudus,* si tamen hic defectus non sit deformis, et Sacerdos non indigeat baculo vel alterius auxilio ad ambulandum vel ad se sustentandum.

e) Pariter opinamur, *Praelatos Regulares* posse cum Sacerdote sibi subdito dispensare super defectu *superveniente* in sinistro oculo quoad facultatem visivam; praesertim si Canonem memoriter legere possit, et deformitas seu indecentia absit. Quo in casu tenere potest Canonem in medio Altaris (Cf. Bizz. *Collectanea,* pag. 241).

f) Praelati Regulares dispensare possunt cum suis subditis *in foro conscientiae* in omnibus inhabilitatibus et poenis contractis ratione delicti, ut sunt inhabilitationes ad Officia, Beneficia, Dignitates, vocis activae et passivae etc., dummodo tamen huiusmodi inhabilitates vel poenae non sint specialiter reservatae Summo Pontifici; quamvis ceteroquin, iuxta sententiam plurium Auctorum, etiam in his Praelati Regulares possint dispensare (S. Alph. Moral.

de Privileg. n. 105; Lezana, tom. I, cap. 18, n. 46; Salmant. tr. 18, cap. IV, n. 29).

g) Praelati Regulares possunt dispensare cum suis subditis in irregularitatibus *dubiis,* seu declarare defectum non obstare, quominus Ordinem susceptum exerceant, vel etiam ad maiorem promoveantur (Cf. S. Alph. loc. cit.).

941. Facultas *dispensandi,* seu potius *declarandi* in casibus supra descriptis, fere necessaria videtur in *Praelatis Regularibus* pro expedito regimine et quiete suorum subditorum. Agitur enim de casibus, qui non raro accidere possunt, et potestas Praelatorum non stricte dispensationem super irregularitate, sed potius declarationem, uti iam innuimus, de eius inexistentia respicit.

942. Nota. Ne quis plus nimio privilegiis Regularium indulgeat cum detrimento veritatis, meminerit, Clementem XII Constit. *Romanus Pontifex,* inter alias facultates omnino revocatas, recensere etiam facultatem seu indultum: « Dispensandi cum quibusvis personis saecularibus pariter vel regularibus super qualibet irregularitate et inhabilitate quomodocumque ex delicto vel defectu, etiam prorsus occultis proveniente, tam pro exercendis susceptis, quam pro suscipiendis quibusvis Ordinibus, ac retinendis et assequendis quibuscumque Beneficiis ecclesiasticis ».

Excipit Pontifex ab huiusmodi revocatione facultates concessas *a)* vel per Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis; *b)* vel per Rescripta SS. Congregationum a Summo Pontifice approbata; *c)* vel per officium Poenitentiariae (Videatur Const. a nobis relata cum adiectis adnotationibus).

943. Si quaeras, quinam veniant sub nomine *Praelatorum Regularium,* respondetur sub tali appellatione certo comprehendi *Generalem et Provincialem;* an etiam Superiorem *localem,* ita ut hic etiam possit dispensare subditos a dicta irregularitate, controvertitur; sed quoad hoc inspiciendae sunt propriae Constitutiones.

§ 45. *Moderatio circa usum facultatis dispensandi super irregularitatibus.*

944. Quoad usum facultatis dispensandi in irregularitatibus, Lezana, tom. I, cap. 18, n. 42, ita monet: Circa dispensationem in

irregularitatibus specialiter animadvertendum est, illam *sine legitima causa* concedi non posse, *nec licite, nec valide,* etiam si talis causa in indulto concesso non exprimatur ut necessaria ad dispensationem.

Ratio sumitur ex natura dispensationis, quae sine causa irrita est et invalida... Unde peccatum Praelati dispensantis sine rationabili causa est abusus propriae potestatis ei datae non ad destructionem, sed ad aedificationem ».

945. « Secundo animadvertendum est, quod quamvis in aliquibus privilegiis Religionum concessa videatur facultas dispensandi in omni irregularitate, semper tamen intelligi debent exceptae illae tres *bigamiae, occisionis voluntariae, et abscissionis membrorum.* Ratio est, quia casus speciales sine specifica expressione non reputantur concessi... Immo etiam semper debent intelligi exclusae ab generali facultate dispensandi illae irregularitates, quae procedunt *ex aliquo enormi corporis vel etiam animae vitio,* quod posset scandalum generare fidelibus videntibus celebrare illud habentem, ut si aliquis sit lepra infectus, vel morbum caducum patiatur, aut sit convictus de peccato indicibili etc. Ratio est iam adducta, quia cum casus isti sint specialissimi, non est existimandum Pontifices voluisse illos includere in generalibus concessionibus ».

946. Idem docet Lucius Ferraris, v. *Irregularitas,* art. III, n. 20, inquiens: « Verum tamen est, quod illae tam amplae facultates non sunt de facili deducendae ad praxim. Immo per graves Doctores, nequeunt Praelati Regulares dispensare cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, cum abstemiis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, et gallico morbo affectis, cum habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum, et similibus... Tanto magis, quod in similibus irregularitatibus quotidie videmus ab omnibus fieri recursum ad Sedem Apostolicam, a qua etiam non tam de facili omnibus tales dispensationes conceduntur ».

Relate ad modernam praxim in Curia Romana quoad dispensationem in irregularitatibus, legi possunt exempla penes Bizzarri, *Collectanea,* edit. 1863, pag. 241, et 491; *Acta S. Sed.* vol. I, pag. 89; vol. III, pag. 527; vol. 25, p. 561; vol. 31, p. 187;

vol. 32, p. 97 ad 102, et p. 617, ibid. pag. 746 et 748; vol. 33, p. 498; ibid. p. 507.

Hic duo tantum casus dispensationis subnectuntur:

Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.

Beatissime Pater,

Fr. Aegidius sacerdos professus Ordinis Minorum Capuccinorum in Belgio Brugis commorans, ad Pedes S. V. humillime provolutus exponit, quod a pluribus iam mensibus nequit se pedibus sustinere ob infirmitatem. At magno animi affectu cupiens S. Missae sacrificium celebrare, enixe rogat ut Sanctitas Vestra dignetur ipsi concedere quod Missam sedens, non excepto Canonis et Consecrationis tempore, celebrare valeat, quemadmodum nonnullis ab Apostolica Sede indultum fuisse legitur.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII, referente me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, attentis expositis et praesertim commendationis officio tam Rmi Dni Episcopi Brugensis, quam P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capulatorum, preces remisit prudenti arbitrio ipsius Rmi Ordinarii Brugensis, qui, praevio experimento, num infirmus Orator Sacrum faciens a Canone usque ad consummationem, fulcro innixus, vel alicui sacerdoti superpelliceo induto, stare possit, eidem nomine et auctoritate S. Sedis, de speciali gratia concedere valeat eiusmodi Missae celebrationem in privato tamen Oratorio, facta quoque potestate interdum extra Altare considendi, excepto Canone, uti supra. Si autem stare nequeat, idem Rmus Ordinarius, de specialissima gratia, permittat, ut Orator integre sedens Sacrosanctum Missae Sacrificium privatim celebret, cum adsistentia alterius sacerdotis superpelliceo induti atque onerata super his omnibus conscientia P. Superioris seu Custodis Coenobii, ubi degit Orator. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Aprilis 1896.

Card. Aloisi-Masella, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. Tripepi, *Secretarius.*

Ex S. Congregatione Concilii.

947. Compendium facti. Emus Archiepiscopus Mechlinien. die 20 Sept. 1900 has litteras dabat: « Arthur Bamps, aetatis 22 annorum, Dioecesis Mechliniensis subditus, expletis iam humanarum litterarum et philosophiae studiis, ad disciplinas theologicas gressum facere et opportuno tempore ad sacros ordines promoveri ardentissime cupit ».

« At vero quominus protinus votis eius annuam, obstat defectus corporalis, quo laborat. Claudicat enim non mediocriter, ita ut absque baculo deambulare non valeat. Attamen, instituto experimento constitit, quod absque fulcro missam celebrare poterit, et ritus omnes et caeremonias sufficienter observare, excepto tantum ad terram usque dextrum genus aegerrime flectere valebit ».

« Gratiam autem dispensationis in favorem praedicti adolescentis, ut ad sacrum etiam presbyteratus ordinem promoveri possit, a Sanctitate Tua supplicandi sequentes me movent rationes »:

« 1. Quod adolescens est optimae indolis et eximiae pietatis, cui in Sacris Deo servire summum, immo unicum vitae bonum est ».

« 2. Quod ingenii est non communis, quum in stadio philosophiae inter septuaginta duos concurrentes quartum locum obtinuerit. Licet sacri ministerii externis laboribus impar sit, excultus scientiis, scripto tamen et verbo Ecclesiae se utilem praestare poterit ».

« 3. Parentes habet honestissimos et rerum temporalium copia pollentes, qui filio suo necessaria ad honestam vitae sustentationem pro nunc et pro futuro procurare spondent, Ordinarium ab onere quocumque eximentes ». Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita, sub die 15 Decembris 1900 censuit respondere: *Pro gratia dispensationis arbitrio et conscientia Archiepiscopi, facto verbo cum SSmo.*

§ 46. *Praelati Regulares concedere possunt Benefactoribus insignibus Litteras Filiationis.*

948. Urbanus V, refert Casarubius, concessit, ut Generalis et Provinciales totius Ordinis Minorum possint communicare suffragia,

indulgentias, orationes et bona spiritualia benefactoribus Ordinis (Compend. Privilegiorum, verb. *Indulgentia quoad Saeculares*, c. 4, n. 6).

P. Ferraris rem confirmat pro omnibus Praelatis cuiuscumque Religionis, dicens: Praelati regulares concedere possunt specialibus benefactoribus suae respectivae Religionis *Filiantias* seu *Litteras Filiationis*, eis communicando suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia, tamquam filiis propriae Religionis, ex concessione Urbani V facta Praelatis totius Ordinis Minorum (*Regularis Praelatus*, n. 74).

Idem affirmat Lezana (v. *Indulgentia quoad Regulares*, n. 15) inquiens: «Notandum etiam Urbanum V concessisse Generalibus et Provincialibus Minorum, ut possent Benefactoribus Ordinis communicare suffragia, *indulgentias*, orationes et bona spiritualia, ut refert Casarubius... Quo privilegio dixi gaudere *Mendicantes* ».

949. Quoad communicationem *indulgentiarum* praedictis Benefactoribus Ordinum Regularium, ita scribit laudatus Lezana loco citato: « Possunt autem dicti Praelati communicare suis benefactoribus indulgentias (intellige sui Ordinis) multipliciter. Primo quidem praecipiendo suis subditis, ut pro illis indulgentias lucrentur. Quod fieri potest, supposita sententia Suarez (*supra disp.* 52, *sect.* 7, *n.* 6), Bonacinae (*supra punct.* 6. *n.* 12), et aliorum asserentium, posse unum hominem viventem pro alio etiam vivente lucrari indulgentias, *si Pontifex concedat*, prout contingere videtur in hoc casu. — Secundo, uniendo et aggregando praedictos benefactores cum suis Religiosis, ac ita faciendo, quod quemadmodum Religiosi dictas indulgentias consequuntur, faciendo opus a Papa praescriptum, ita et illi benefactores, si illud fecerint. Quo casu Praelati nihilominus non dicuntur concedere indulgentias, *sed solum Papa*. Hoc enim modo intelligunt hoc privilegium Suarez (*supra disput.* 55, *sect.* 5, *n.* 13 etc.) et Peyrinus (*tom.* II. *de Prael. quaest.* 3, *c.* 6, *n.* 9), qui etiam addit id fieri posse, applicando fructum dictarum indulgentiarum modo, quo applicantur defunctis. Quod tamen coincidere videtur cum primo modo assignato ».

950. Verum primus modus communicandi benefactoribus indulgentias non videtur verus, sed simpliciter *hypotheticus*, quia

Ecclesia numquam solet elargiri indulgentias, quae sint pro aliis *viventibus* applicabiles. Quoad secundum modum, facile intelligitur, benefactores, si per litteras Filiationis aggregati et incorporati fuerint Ordini, *posse* eos quoque frui indulgentiis ipsi Ordini concessis, *dummodo tamen Summus Pontifex id concedat.* Haec extensio indulgentiarum ad praedictos benefactores per litteras Filiationis Ordini religioso aggregatos, concessa est, iuxta Suarez. *Mendicantibus.* Tunc autem, subiungit eximius Doctor, non Praelatus Religionis, sed ipsemet Summus Pontifex indulgentias concedit; *atque ita indulgentiarum lucrum numquam ab his Praelatis Religionum manat* (Suarez, *disp.* 55, *sect.* 5, n. 13).

Haec ultima verba exprimunt conclusionem thesis, quam laudatus Doctor in citata Disputatione et Sectione defendendam suscepit, quod scilicet Praelati Religionum, *iure divino vel ordinario, seu ex vi muneris nullam habent potestatem concedendi indulgentiam.* Ideo antea arguerat: « Breviter dicendum est, quidquid in hoc genere Praelati Religiosorum aut possint aut faciant, solum esse *suffragiorum oblationes seu donationes,* non vero esse indulgentiarum concessiones ».

951. Deinde refutata ut omnino falsa sententia illorum, qui asserunt, quamlibet fidelium congregationem, ut puta Ordines regulares, Dioeceses etc., particularem habere thesaurum sub eorum respective dominio positum, cuiusque dispensatio ad eamdem congregationem seu ad eius Praelatum pertineat, Suarez infert: Ex his ergo satis constat, quando aliqua Religio vel Praelatus eius aliquem admittit ad consortium seu participationem operum talis Religionis, non admittere illos ad participationem alicuius thesauri cum illo communicandi, neque applicare illis aliquas satisfactiones ad remissionem peccatorum, quae commiserant, et consequenter in ea communicatione *nec rationem nec concessionem indulgentiae intervenire.* Admittunt ergo illos ad applicationem seu participationem suorum meritorum et operum, *praecipue per modum impetrationis.* Nam, quia propter pia opera totius Religionis *Deus specialiter benefacit membris eius, ideo omnibus etiam cum tali Religione specialiter coniunctis specialia beneficia confert propter eadem opera.*

Possunt etiam aliquos admittere ad participationem suffragii *satisfactorii,* si velint satisfactiones suas eis applicare, quando eas faciunt. In hoc tamen advertere oportet, huiusmodi applicationem semper requirere particularem voluntatem et intentionem singularum personarum operantium. Itaque non satis est, quod Praelatus unius domus v. gr. sua intentione et voluntate applicet pro benefactoribus opus satisfactorium, quod ab aliquo sibi subdito efficitur, sed necesse est, ut etiam ipse subditus sua voluntate illud offerat, vel expresse et directe, vel intentionem suam ad Superioris intentionem referendo. Ratio est, quia voluntas Superioris non sufficit ad dirigendum moraliter alienum opus, cum non sit directe et immediate sub dominio illius (Suarez, *disp.* 55, *sect.* 5).

952. Ad clariorem intelligentiam huius materiae iuvat animadvertere, quibus verbis utatur Pius VI Pontifex Maximus in communicandis bonis spiritualibus Benefactoribus Terrae Sanctae. In Litteris Apostolicis incip. *Inter cetera divinorum Iudiciorum abdita* anni 1778 pridie kalendas Augusti ita Pontifex loquitur et decernit: *Nos enim inexhausti Ecclesiae thesauri Dispensatores a Deo constituti cunctos fideles, qui temporalium partem bonorum superna providentia eis traditorum, in pium illud sanctumque Christianae charitatis Opus* (Terrae Sanctae) *relicturi erunt, omnium spiritualium fructuum et meritorum ex sacrosanctis sacrificiis, orationibus, ieiuniis, poenitentiis, laboribus, peregrinationibus, aliisque religiosis operibus, quae non modo eiusdem Ordinis* (Minorum) *professores, sed etiam Christifideles ipsa Sacra Loca incolentes, aliique ad ea accedentes et illa venerantes, benedicente Domino, peragent et facient, provenientium in eorum reatuum expiationem et aeternae gloriae praemium, speciali quo possumus modo, Auctoritatis Nostrae plenitudine participes et consortes in Domino facimus, atque ad eorumdem fructuum et meritorum consortium et communionem aggregamus* ».

953. Ad tramitem relati documenti Apostolici confectae sunt *Filiantiae* seu *Litterae Filiationis* in Ordine Minorum. « Tenore praesentium, ita in Diplomate, Vos admittimus et accipimus inter Confratres nostros, quatenus tam in vita, quam in morte, et post mortem plenariam participationem obtinere possitis *omnium meri-*

torum, quae suffragiis, Missis, ieiuniis, meditationibus, praedicationibus, missionibus, aliisque piis operibus in universo nostro Ordine per Fratres... et Moniales S. Clarae, aliosque nostrae iurisdictioni subiectos, die noctuque acquiruntur ».

954. Hic tamen advertendum est, quod cum dicitur Praelatos applicare posse bona opera suorum subditorum pro aliis, non debet intelligi de illis, quatenus sunt stricto sensu *meritoria*, seu, ut dicunt Theologi, meritoria *de condigno gratiae et gloriae;* hoc enim modo pia opera sunt personalia et *omnino incommunicabilia aliis;* sed intelligi debet de praedictis operibus, quatenus sunt *impetratoria* apud Deum et *satisfactoria* pro poena temporali. (Vide quae diximus in nostra *Collect. Indulg.* n. 17 sqq.).

955. Notandum est etiam, Praelatos non posse communicare, saltem iuxta probabiliorem sententiam, ea bona, quae subditus in particulari facit pro satisfactione suorum peccatorum, si talis subditus ipsis egeat, nisi ad hoc aliquo modo consentiat. Nam cum ipsum opus fiat determinate ab ipso subdito pro satisfactione suorum peccatorum, iam non est bonum commune religiosae familiae, sed particulare ipsius personae operantis.

956. Quibus litterae Filiationis concedendae sint, satis constat ex dictis, sed pro Superiorum nostri Ordinis norma placet adiicere quae de iisdem statuta sunt in nonnullis Capitulis Generalibus. In Constitutionibus Generalibus conditis in Capitulo Generali Romae in Conventu S. Mariae de Aracoeli celebrato anno 1700, haec super litteris Filiationis seu Confraternitatis (vulgo *Fratellanza*) fuerunt decreta:

Cum in Capitulo Lugdunensi 1518 inter cetera confirmata a Leone X emanarit statutum sequentis tenoris: *Ordinatur, quod de cetero suffragiorum Confraternitates nulli dentur, nisi his quos Minister Provincialis, aut Custos, aut Guardianus in suis administrationibus nominaverint; nec nominare debent, nisi personas dignas et benemeritas, alias ipsae litterae ipso facto sint nullius valoris;* item in Lavallensi 1505, *quod nullus Commissarius possit dare huiusmodi litteras in albo, sed solum ubi sunt nomina expressa;* nimia autem facilitas dandi huiusmodi litteras absque delectu quibuscumque personis, aestimatio-

nem diminuat thesauri meritorum nostrae Religionis; Capitulum Generale instanter commendat Praelatis Generalibus, praecipitque Provincialibus, quatenus se conformando praedictis statutis, nulli deinceps litteras Confraternitatis seu Filiationis concedant, nisi illis solummodo, qui iudicio Praelatorum fuerint *benefactores insignes;* nec eas unquam pro libitu Fratribus distribuendas committant, sed illis dumtaxat, quorum iudicaverint nomina exprimenda in eis, atque expresserint (Vid. *Chronolog. Ord.* Perusini, tom. I, pag. 467, n. 32: et cf. Miranda, *Manuale,* tom. II, quaest. 50 per totum, ubi late agitur de hac materia, nec non nostra *Collectio Indulg.* n. 1387).

§ 47. *Facultas in Ordinibus Regularibus admittendi ad Ordinem filios illegitimos.*

957. Praemittenda. Generatim sub appellatione filiorum illegitimorum veniunt, qui non ex iustis nuptiis orti sunt. Pro varietate tamen concubinatus, variae illegitimorum species distinguuntur:

a) Illegitimi *naturales,* qui nati sunt ex parentibus, inter quos vel tempore conceptionis vel saltem nativitatis consistere poterat matrimonium christianum. Sed advertendum, quod iuxta *ius civile* ille dicitur filius *naturalis,* qui natus est ex concubina, quae domi loco uxoris detinetur.

b) Illegitimi, qui dicuntur *spurii,* vel *nothi,* vel *quaesiti,* aut *manseres,* qui scilicet nati sunt ex matre certa, sed incerto patre, eo quod mater commercium carnale cum pluribus habuit.

c) Illegitimi *adulterini,* qui nati sunt ex adulterio, videlicet ex duobus, quorum unus vel ambo tempore generationis et nativitatis filii coniuncti erant legitimo matrimonio cum alia persona.

d) Incestuosi, qui nati sunt ex personis, inter quas, ob impedimentum dirimens cognationis vel affinitatis matrimonium consistere non poterat.

e) Sacrilegi, qui orti sunt ex commercio carnali Religiosi vel Monialis, aut Clerici in sacris constituti.

f) Nefarii, et sunt illi, qui ex patre et filia, aliorumque vel ascendentium et descendentium copula procreantur. Plura videantur apud Reiff. lib. IV, tit. 17, § II, n. 24 sqq.; et cfr. Santi, lib. I, tit. 17, n. 2.

958. Defectus natalium sanari potest quatuor modis: 1° *per subsequens matrimonium;* sed hoc fieri tantum potest pro filiis illegitimis *naturalibus,* non vero pro adulterinis, sacrilegis, aliisque illegitime natis. 2° *Per legitimationem Principis;* qui si fuerit Princeps laicus, legitimatio vim habet quoad effectus civiles dumtaxat, non vero quoad spiritualia et beneficia. 3° *Per dispensationem* legitimi Superioris. 4° *Per ingressum et professionem votorum solemnium* in Religione approbata; et etiam per professionem votorum simplicium quoad Religiosos Societatis Iesu, ex Bulla Gregorii XIII *Ascendente.*

Adverte tamen, hanc ultimam legitimationem valere tantummodo ad Ordines suscipiendos, non vero ad Praelaturas, ex cap. I, *Ut filii,* hoc tit., cuius haec sunt verba: Ut filii Presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, *nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes: Praelationes vero nullatenus habeant* (Vid. Giraldi, *Expositio Iuris Pontificii,* tom. I, sect. 115, p. 76).

959. *Dispositiones Sixti PP. V de filiis illegitimis.* Sixtus V per Constitutionem *Cum de omnibus,* 26 Nov. 1587, et per alteram praecedentis declaratoriam, incip. *Ad Romanum Pontificem,* 21 Octob. 1588 statuit, 1° ut illegitimi, nati *ex incestu* intra tertium gradum, vel *ex sacrilegio,* propter votum solemne, non possint recipi ad habitum vel professionem religiosam, etiamsi essent legitimati a Papa vel Imperatore; et si contra fieret, statuit, professionem nullam esse, et Superiores admittentes incurrere excommunicationem Papae reservatam.

2° Ad habitum tamen *Conversorum,* idest famulorum seu Oblatorum, pro humilioribus ministeriis recipi permisit.

3° Alios autem illegitimos concessit, recipi posse, praecedente scrutinio seu informatione, seu testimonio de vita et moribus, in Capitulo generali vel provinciali, approbatione intercedente; ita tamen, ut remaneant inhabiles ad gradus et dignitates sui Ordinis.

4° Si contra hanc formam huiusmodi illegitimi recipiantur, decrevit professionem esse nullam, et recipientes incurrere excommunicationem Papae reservatam.

5° In altera Constitutione iam cit. *Ad Romanum Pontificem*, Summus Pontifex Sixtus V excepit ab hac prohibitione legitimatos *per subsequens matrimonium* secundum ius commune, et declaravit, contra haec decreta irritantia non intrare tacitam professionem.

6° Derogavit omnibus privilegiis Ordinum legitimandi ad dignitates et gradus Religionis.

Haec omnia a Sixto V fuerunt disposita ac statuta super filiis illegitimis. Verum Constitutiones Sixtinae partim moderatae sunt a Clemente VIII, prout in sequentibus.

960. *Moderatio Constitutionum Sixti V facta a Gregorio XIV quoad illegitimos.* Gregorius XIV, Constitutione *Circumspecta*, 15 Martii 1591, quoad illegitimos haec statuit:

I. Restituit privilegia Religionibus, olim concessa, legitimandi, etiam ad honores, gradus et dignitates.

II. Sustulit nullitatem professionis in omnibus praedictis casibus.

III. Concessit, ut illegitimi quicumque, etiam licite recipi possint praecedente scrutinio supradicto, dummodo filius illegitimus, in Religione, in qua pater sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente, non admittatur.

IV. Statuit, ut illegitimi non admittantur, nisi cum consensu Generalis vel Provincialis, et quod scrutinium et approbatio fiat in Capitulo generali vel provinciali. At in Religionibus, in quibus receptio pertinet ad particularia monasteria, quae habent ius filiationis, debeant et possint recipi cum scrutinio talis Capituli localis seu Conventus, et Superioris localis; et quod non recipiantur ad professionem, nisi plena inquisitio fiat de his, et in Capitulo eodem referantur et approbentur.

Reductio ad terminos iuris communis Constitutionum Sixti V quoad illegitimos facta a Clemente VIII.

A Clemente PP. VIII Const. incip. *In suprema*, 2 Apr. 1602, Sixti V Constitutiones quoad illegitimos redactae fuerunt ad terminos iuris communis, auferendo *inhabilitatem illegitimorum ad habitum et professionem, et nullitatem professionis*, sive ob dictam inhabilitatem, sive ob formam praedictam scrutinii, ut supra, non

servatam; salvis remanentibus poenis statutis a Sixto V contra Superiores admittentes ad habitum vel professionem, non servata forma illa, scilicet scrutinii praecedentis.

Poenae, quae remanent, inflictae a Sixto V in Const. *Cum de omnibus,* sunt ut sequitur:

« Et insuper quoscumque Religiosos, eorumque Superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum privamus, et tam illis privatos, quam ad illa quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus et declaramus ». Vid. Roder. *Quaestiones Regulares,* t. III, Quaest. X, art. 4 sqq., ubi invenies Pontificias Constit.; Miranda, *Manuale Praelatorum,* tom. II, quaest. II et quaest. VIII, art. VI; P. Carol. Anton. Thesaurum, *De poenis ecclesiast.* cum notis cl. Giraldi, part. 2ª, pag. 214, cap. IV, edit. Romae 1831; Giraldi, *Expositio Iur. Pontific.* tom. I, sect. 173, p. 1052, v. *Nota* I.

Ex expositis attente perpensis, lector ex se videt, quin nos iteremus dicta, quaenam hodie vigeat lex quoad illegitimos; videlicet standum est *quoad hoc* Constitutionibus supra relatis Gregorii XIV et Clementis VIII; respectu vero poenarum, remanent poenae a Sixto V statutae. Infertur interim adesse in Ordinibus Regularibus facultatem admittendi ad habitum et professionem filios illegitimos sine ulla necessitate recurrendi ad S. Sedem.

2° Attento *iure communi,* per solemnem professionem illegitimos habilitari solummodo ad Ordines suscipiendos, non vero ad Praelaturas, super quibus *inspecto iure communi* solus Papa dispensare potest.

3° Per *privilegia* autem, posse Praelatos Regulares dispensare cum illegitimis *ad recipiendas quascumque Praelaturas et Dignitates* iusta interveniente causa. Nam Gregorius XIV in cit. Const. *Circumspecta* edixit « licere Generali aut Provinciali singulorum Ordinum ac Congregationum... ad quos dicta dispensatio spectat, *iuxta tenorem privilegiorum et indultorum Apostolicorum* eis concessorum (quae dummodo usu recepta, nec alias sub ullis revo-

cationibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus) cum illegitimis, quos alias dictus Generalis aut Provincialis cum generali, provinciali seu *intermedio Capitulo*, et non alias, suffragantibus meritis dignos iudicaverint, ad honores, gradus et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi ita factas et inde sequuta quaecumque, ut antea valere ac tenere, perinde ac si dictae Constitutiones non emanassent ».

4° Regulares, nominatim Ordinem Minorum, potestate donatos esse dispensandi illegitimos ad dignitates et praelaturas, constat ex concessione facta a Sixto IV praefato Ordini Minorum per Bullam *Mare magnum* appellatam, incip. *Regiminis*, editam anno 1474, qua Pontifex concessit Generali et Provincialibus Ministris et eorum Vicariis auctoritatem dispensandi *cum fratribus dicti Ordinis Minorum* patientibus defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem. Necnon cum iis, qui ex quavis causa (praeterquam *homicidii voluntarii, bigamiae,* et *mutilationis membrorum*) irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, dispensare, ut defectu et irregularitate huiusmodi non obstantibus, irregulares ipsi ad quoscumque, etiam Sacros Ordines promoveri, et in illis et etiam in Altaris ministerio ministrare, et quod tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes praedicti, *ad quascumque administrationes et Officia dicti Ordinis* eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere libere et licite valeant.

961. Eadem facultas et sub eisdem verbis ab eodem Sixto IV concessa fuit Magistro Generali et Prioribus Provincialibus et Conventualibus Ordinis Praedicatorum, ac eorum Vicariis (Vid. Casarub. verb. *Dispensatio*, n. 12 et 13; Miranda, *Manuale*, tom. II, quaest. I, art. II; Lezana, tom. I, cap. 18, n. 60; Salmant. tr. X, *de Censuris*, cap. IX n. 57; Ferraris, v. *Irregularitas*, art. III, n. 18).

962. Notandum est, praedictis Constitutionibus Sixti IV uti Fagnanum in V, cap. *Tuarum*, n. 19, in defensionem quorumdam privilegiorum Regularium, quod ostendit, clarissimum Canonistam illas habere pro authenticis et minime revocatis, saltem in materia, de qua agimus.

Advertendum est etiam, quod qui laborat publico defectu natalium non potest habilitari *ad Generalatum* (Bened. XIV, Const. 95, *Pastor bonus,* § 31).

963. Tandem duo sunt ponderanda quoad praesentem materiam: 1° Quod ex saepius citata Constitutione Gregorii XIV, dispensatio cum illegitimis ut ad dignitates promoveri possint, fieri debet a Generali vel Provincialibus in Capitulo Generali, seu Provinciali, vel in *Capitulo intermedio.* Porro, Ludovicus Miranda, *Manuale Praelatorum,* tom. II, quaest. II, art. III, demonstrat, praefatam dispensationem fieri etiam posse in *Congregatione intermedia,* ad quam intervenire solent et debent Provincialis et Patres Definitorii pro electionibus Guardianorum et pro tractandis aliis Provinciae negotiis.

2° Cum Summus Pontifex Pius IX per suum Decretum incip. *Regulari disciplinae,* novam legem *(pro Italia)* praescripserit, *servandam in probandis postulantibus religiosum habitum,* observantia huius novae legis satis esse videtur pro recipiendis et promovendis illegitimis; fieri enim debent duo scrutinia, unum in Provinciis, et alterum Romae, seu in loco, ubi residet Generalis.

§ 48. *Potestas Regularium quoad censuras seu casus reservatos.*

964. I. *Quoad censuras Romano Pontifici reservatas,* Regulares omnes post Constitutionem *Apostolicae Sedis* nulla potiuntur facultate absolvendi sive saeculares sive subditos Religiosos seu Consodales, a casibus papalibus, tam speciali modo, quam simpliciter reservatis cum censura. Id constat ex ipsa Constitutione, et ex declaratione S. Poenitentiariae, die 5 Dec. 1873. Excipitur casus, iuxta nostram sententiam, excommunicationis ob *Clerici percussionem,* a qua Praelatus regularis absolvere potest *proprium subditum,* praefati delicti reum.

II. *Quoad casus Episcopo reservatos.*

a) Regulares absolvere nequeunt *saeculares* a casibus, quos locorum Ordinarii *sibi reservant* (Clemens VIII per Decreta S. C. Ep. et Reg. 1601 et 1602; Clemens X, Constit. *Superna*).

b) Regulares, seu Praelati Regulares absolvere possunt *suos subditos* a casibus sive censuris, quos Episcopi *sibi reservant.* Nam Religiosi exempti non subsunt reservationi Episcopi, nec eorum Novitii neque eorum familiares, uti habetur ex citata Bulla *Superna.*

c) Praelati Regulares absolvere possunt *suos subditos* a casibus seu censuris *a Iure* Ordinariis reservatis. Revera sub appellatione *Ordinariorum* veniunt etiam Praelati Regulares relate *ad proprios subditos;* siquidem utpote exempti a iurisdictione Episcoporum, alios Ordinarios non habent, nisi suos Praelatos. Ergo sicut *locorum Ordinarii* absolvere possunt *suos dioecesanos* a praedictis censuris, ita et Praelati Regulares, seu *Ordinarii Religiosorum,* ab iisdem censuris absolvere eos possunt. Recole latius supra tradita; cf. Decret. S. O. diei 22 Mart. 1881 apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. 26, pag. 318.

Quinam sint casus seu censurae *iure communi* Ordinariis reservatae, diximus sub n. 427. Hic ad confirmandam sententiam nostram, quae quidem habet contrarios Auctores, sed quae tamen etiam auctoritate Doctorum praevalere videtur (S. Alph. lib. VII, n. 99), advertimus, inter *undecim casus,* quos Praelati Regulares vi Decreti Clementis VIII inc. *Sanctissimus,* 26 Maii 1593, reservare sibi possunt in respectivo Ordine vel Provincia, adnumeratur etiam: *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.* Iam vero si dicti Praelati Regulares tale crimen reservare sibi possunt, et etiam, ut expresse dicitur in eodem Decreto, facultatem, ab eodem crimine absolvendi, Sacerdotibus subditis delegare, consequi videtur, praefatos Praelatos potestate frui *proprios subditos* absolvendi a memorato crimine, si, quod Deus avertat, committatur (Vide alia superius tractata).

d) An Regulares absolvere possint *saeculares* a praedictis casibus seu censuris *iure communi* Episcopis reservatis, controvertitur inter Doctores. Nonnulli negant, quia, inquiunt, Paulus V sustulit Regularibus facultatem absolvendi a censuris *Ordinariis reservatis.* Alii quamplurimi Auctores cum Doctore S. Alphonso (lib. VII, n. 99) probabilius affirmant, quia licet in Decreto Pauli V et Urbani VIII Regularibus prohibeatur absolvere a casibus Or-

dinariis reservatis, attamen hoc *verius* intelligitur de casibus tantum ab Ordinariis *sibi reservatis* sive per sententiam particularem sive iure dioecesano. Videatur etiam idem S. Doctor, *Moral.* tom. I, *de Privilegiis,* n. 100.

e) Regulares confessarii, ceterique Sacerdotes legitime approbati ad excipiendas Fidelium Confessiones, absolvere possunt eosdem Fideles *a censuris nemini reservatis.* Quod cum id per se pateat, superfluum est aliud adiicere.

§ 49. *Praelati Regulares, vel ab eis delegati, absolvere possunt suos subditos ab excommunicatione incursa ob percussionem etiam gravem Clerico vel Monacho inflictam.*

965. Revera Constitutio *Apostolicae Sedis* permittit huius censurae absolutionem etiam *aliis,* quibus antea *iure* vel *privilegio* talis facultas competebat. At Regularibus, seu eorum Superioribus, competebat, ut constat ex antiqua consuetudine et praxi, huiusmodi facultas saltem relate *ad suos subditos,* praedicti criminis reos. Ergo adhuc in suo robore permanet.

Accedit, quod ex Decreto Clementis VIII, 26 Maii 1593, incip. *Sanctissimus,* Superiores Regulares reservare sibi possunt undecim casus, inter quos recensetur *occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.* Porro si Praelati Regulares dictum casum reservare sibi possunt, et etiam eiusdem absolutionem aliis Sacerdotibus sibi subditis committere, clare patet, nisi fallimur, ipsos Praelatos gaudere facultate suos subditos a dicta excommunicatione absolvendi.

§ 50. *Regulares, prout ceteri omnes Ecclesiastici, gaudent privilegio Canonis.*

966. Summus Pontifex Pius IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* plectit excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservata « *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio*

permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat ». Id sufficiat hoc in loco de huiusmodi notissimo privilegio; nam de eo late egimus in themate *de privilegio Canonis.*

§ 51. *Regulares prout ceteri Ecclesiastici, gaudent privilegio Fori.*

967. Privilegium Fori in hoc consistit, quod personae ecclesiasticae, sub quo nomine veniunt etiam Religiosi et Religiosae, non apud iudices laicos, sed apud tribunal (*forum*) ecclesiasticum conveniri possunt et debent. Ex Constitutione *Apostolicae Sedis* incurrunt excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatam *Cogentes, sive directe sive indirecte, iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.* Alia de hac materia videantur in Lib. *de Immunitate ecclesiastica.*

§ 52. *Regulares, prout ceterae personae ecclesiasticae, ac eorum bona, gaudent immunitate ecclesiastica.*

968. Personae ecclesiasticae *iure Canonum* exemptae sunt a personalibus oneribus, quae componi nequeunt cum sanctitate status, cum obligationibus et officiis clericalibus, sive ea sint onerosa, sive honorifica. Hinc immunes esse debent ab exercendis operibus vilibus, a servitio militari etc.

Nomine *personae ecclesiasticae* veniunt etiam Regulares utriusque sexus, tam professi, quam Novitii vel Novitiae, de quo nulla controversia.

Res, quae immunitate gaudent, sunt Ecclesiae materiales, coemeteria, vasa sacra, sacra paramenta, et alia huiusmodi ad divinum cultum deputata; item ipsarum Ecclesiarum bona temporalia a Fundatoribus aut aliis Fidelibus propter Dei honorem pro dote Ecclesiae oblata. Consequenter res huiusmodi ad personas ecclesiasticas, vel ad Ecclesiam aliquam pertinentes, sunt immunes ac exemptae a iurisdictione cuiusvis potestatis *laicalis,* atque ab exactionibus et oneribus cuiuslibet personae laicalis. Id omne verum est *iure*

Canonum: siquidem modernis temporibus, attendenda sunt Concordata inter Apostolicam Sedem et Principes saeculares (Recolantur fusius dicta in Lib. XVI.

§ 53. *Potestas Superiorum Regularium respectu suorum subditorum quoad praecepta ecclesiastica.*

969. Praelati Regulares dispensare possunt cum suis subditis *in praeceptis ecclesiasticis* eo modo, quo possunt Episcopi cum suis dioecesanis; etenim habent ipsi, ut pluries dictum est ex communi sententia Doctorum, iurisdictionem quasi-episcopalem in ipsos. Cum enim Religiosi a iurisdictione Episcoporum sint exempti, loco istorum succedunt Praelati Regulares. Unde hi possunt dispensare 1° in dubio, utrum res dispensatione indigeat; 2° quando viget consuetudo legitime praescripta in aliquo casu dispensandi; 3° quando non potest facile recurri ad Summum Pontificem; 4° quando agitur de rebus parvi momenti, quae non obligant sub gravi; aut quae frequenter accidunt, ut ieiunia, abstinentia a carnibus, festorum observantia, recitatio divini Officii, etc. (S. Alph., *Moral. tom.* I, *de Privil. n.* 106; Lezana, *tom.* I, *cap.* 18, *n.* 55; Salm. *tract.* 18, *cap.* IV, *n.* 31).

Adverte tamen *a)* quod dispensatio fieri debet ex *iusta causa;* secus non dispensatio, sed dissipatio erit; *b)* quod dispensatio in lege Superioris sine iusta causa non solum est iniusta, sed etiam *invalida; c)* quod ii qui dispensant in lege Superioris *sine iusta causa,* peccant graviter, nisi levitas materiae excuset (Cf. Reiff. *lib.* I, *Decretal. tit.* II, *n.* 450 sqq.; Ferraris, *v. Dispensatio,* n. 9 sqq.; *d)* quod dispensatio *non multitudini,* sed *habentibus iustam causam concedi* potest. Hinc Benedictus XIV, Const. *Libentissime, de Ieiunii disciplina,* die 10 Iun. 1745, § 13, monet Episcopos: « ut omnibus notum faciatis et annuntietis, *nemini* quidem *sine legitima causa,* et de utriusque medici consilio; *multitudini* vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per Sacra Canonum Statuta praescriptis, cum debita Apostolicae huius Sanctae Sedis reverentia, a Quadragesimali ieiunio dispensationem... esse postulandam ».

§ 54. *Potestas Superiorum Regularium respectu suorum subditorum relate ad Officium divinum.*

970. Praelati Regulares possunt cum suis subditis dispensare super recitatione divini Officii, sed nonnisi *ex iusta causa, cum aliquo in particulari, et ad breve tempus.* Inter iustas causas dispensandi sequentes recensentur a Doctoribus:

1. Quando dubitatur *de morali impotentia* Religiosi.

2. Quando recursus ad Summum Pontificem difficilis est, vel casus non patitur moram.

3. Quando dispensatio petitur ob motivum, quod *frequenter occurrit,* ut in casu infirmitatis vel gravis occupationis.

971. Adverte tamen, facultatem dispensandi non spectare *per se* nec ad Episcopos quoad dioecesanos, nec ad Praelatos Regulares quoad Religiosos subditos; nam *per se* nonnisi Papa dispensare potest *in lege sua,* sed ex *consuetudine* vel *tacita delegatione.* Ceterum haec facultas Praelatorum, potiusquam facultas dispensandi, rectius dici potest facultas *declarandi,* quod in quibusdam casibus vel adiunctis Religiosus subditus non tenetur ad recitationem divini Officii (Vid. fusius dicta *de Officio divino*).

§ 55. *Regulares quoad portionem canonicam seu quartam funeralem.*

972. Summus Pontifex Benedictus XIII per Constitutionem *Romanus Pontifex* anni 1725, ad arcendas ab Ecclesia Dei contentiones et lites inter Parochos et Regulares, revocavit omnia privilegia antea concessa Regularibus, *intra Italiam et Insulas adiacentes existentibus, de non solvenda quarta funerali.*

Hinc statuit ac mandavit, ut Parochis defunctorum, qui in ecclesiis Regularium tumulabuntur, persolvatur quarta pars *omnium intortitiorum et candelarum,* quibus defuncti cadaver *in itinere* ad Ecclesiam tumulantem associabitur; nec non *omnium intortitiorum et candelarum,* quae in eadem Ecclesia *circa cadaver,* vel etiam *in Altaribus* in die funeris accendentur.

A praedicta tamen quarta funerali excipiuntur candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres, funus associantes, *manualiter per viam accensas deferent.*

Item sub quarta funerali non comprehenduntur, immo Pontifex expresse ab ea excipit *legata Missarum et Anniversariorum,* hisque similia relicta ad favorem Ecclesiae tumulantis.

Si alicubi vigerent legitimae consuetudines, conventiones, vel concordiae, quae Parochis magis faverent, eas in locis, ubi vigent, inconcusse ab omnibus observari vult Pontifex.

973. *Extra vero Italiam,* eique adiacentes Insulas, servari debet dispositio Concilii Tridentini (*sess.* 25. *c.* 13, *de Ref.*), ubi statuitur, ut Regulares non aliter sint exempti a solutione quartae funeralis, quam si per quadraginta annos ante ipsum Concilium eam non solverint; ita ut Conventus, qui eam solvere consueverunt Cathedrali aut Parochiali Ecclesiae ante annos quadraginta ante ipsum Concilium, integro iure eam persolvere tenerentur in posterum; exempti vero forent Conventus posthac aedificati.

Verum hic quoque attendere oportet ad legitimas consuetudines, quae maxime in materia funerum multum operantur (Vid. dicta de funeribus).

§ 56. *Regulares quoad nonnulla officia et iura.*

974. *a)* Superiores Regulares non sunt intelligendi *nomine Ordinariorum locorum* (Die 22 Ian. 1701. N. 2067 ad 8).

b) Superiores Regulares non sunt nominandi in canone Missae *nomine Antistitis* (Die 13 Febr. 1666. N. 1333 ad 9. N. 1827 ad 1).

c) Superiores Regulares, etiam locales, *non possunt ordinare Collectam* dicendam in Missa a subditis suis, tam pro necessitate Ordinis, quam pro necessitate communi, *sine licentia Episcopi* (Die 27 Mart. 1779. N. 2514 ad 6).

d) Superior Regularis, aut alius pro eo, in recipiendo Episcopo Ordinario ad ingressum Ecclesiae suae et in porrigendo aspersorio, praeter superpelliceum, *stolam deferre nequit* (Die 5 Dec. 1868. N. 3191 ad 1).

e) Superior localis dispensare nequit, ut *Officium divinum* recitetur extra Ecclesiam in Oratorio Conventus vel in Sacristia;

nisi sit locus decens et cum Ecclesia communicet, et ab Episcopo tamquam *Sedis Apostolicae Delegato* visitatum sit (Die 12 Dec. 1879. N. 3506 ad 3).

f) Superiores Regulares, Rectores, Priores, Guardiani possunt benedicere supellectilem, pro qua sacrum Chrisma non requiritur, *pro suis Ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio* (Die 16 Maii 1744. N. 2377 ad 3; et cf. Bened. XIV, Institut. 21, n. 13 sqq.).

g) Dubium. Num Regulares, qui ad tramitem Constitutionis Ordinis proprii assecuti sunt gradum Doctoris in Sacra Theologia, valeant, legitime dimisso Religionis habitu, honoribus titulo Doctoris adnexis gaudere?

S. R. C. die 23 Maii 1846 respondit: *Inter Regulares tantum* (N. 2907 ad 4). Ergo non amplius huius tituli honoribus gaudent, qui Religionis habitum, etsi legitime, dimiserint.

h) Nec Regularibus nec Saecularibus etiam exemptis licet *Parochum impedire,* quominus in casibus necessitatis in eorum Ecclesiis SS. Sacramentum extrahat ad infirmos reficiendos cum Viatico (Die 22 Aug. 1705. N. 2159 ad 1).

i) Non possunt Religiosi ministrare Sacramenta in domibus Tertiariorum seu Cincturatorum aggregatorum, praeterquam Sacramentum Poenitentiae; administratio vero ceterorum Sacramentorum pertinet ad Curatum (Die 20 Iun. 1609. N. 271 ad 1).

k) Non possunt Religiosi in articulo mortis facere Tertiarios seu Cincturatos, eosque aggregare eorum Religioni (Decr. eod. ad 2).

l) Possunt Regulares in eorum Ecclesiis sepelire, absque Parochi interventu, viros huiusmodi (nempe *aggregatos Tertiarios* seu *Cincturatos defunctos*) collegialiter viventes aut cum claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, vel caelibem, aut castam vidualem, expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes. Quodsi Tertiarii vel Tertiariae his carent qualitatibus, non sunt sepeliendi in Ecclesia Regularium, nisi ipsi dum vixerint, in ea elegerint sepulturam, et tunc Parochus etiam est adhibendus (Decr. eod. ad 3).

m) Regularibus licet Feria V in Coena Domini et biduo sequenti, etiam contradicente Parocho, convocare terrae populum ope tabulae, quae dicitur vulgo *la troccola* (Die 21 Mart. 1716. N. 2234).

n) Praelati Regulares, non utentes Pontificalibus, nequeunt praecedere suo subdito celebranti Feria VI in Parasceve in adoratione Crucis (Die 18 Dec. 1779. N. 2515 ad 4).

o) Regularibus licet in eorum Ecclesiis 1° benedicere Cineres, illosque populo distribuere in die prima Quadragesimae; 2° benedicere in Dominica Palmarum Palmas, illarumque distributionem facere; 3° benedicere Candelas, easque populo distribuere in Festo Purificationis B. M. V. (Die 8 Apr. 1702. N. 2098).

p) Quoad benedictionem mulieris post partum. Declaratum est, prout alibi diximus, benedictionem mulieris post partum fieri debere a Parocho, si expetitus ipse fuerit; *posse* autem fieri *a quocumque Sacerdote,* si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiae (S. C. R. 13 Iun. 1893 et S. C. C. 17 Ian. 1896).

§ 57. *An Confessarii Regulares facultatem habeant dispensandi ad petendum debitum.*

975. Praemittendum est, coniugem amittere ius petendi debitum, tum *ob incestum* commissum cum consanguinea (vel consanguineo) alterius partis in primo vel secundo gradu; tum *ob votum simplex castitatis* post contractum matrimonium emissum.

Modo quaeritur: *quis potest dispensare in huiusmodi impedimento?* Respondetur: 1° Summus Pontifex; 2° Episcopus, idque si non ex dispositione iuris, vi saltem consuetudinis (*S. Alph.*, lib. VI, n. 1076; *Fillíucius*, tr. X, p. 2ª, n. 308; *Laymann*, lib. V, tr. X, p. III, c. 1, n. 15, *et Auctores mox citandi*).

976. *An in praefato impedimento dispensare etiam possint Confessarii Regulares?* Valde de hac quaestione controvertitur inter Doctores, et longum esset singulorum opiniones exponere et expendere. Sequentia tantum notamus:

a) Ex Auctoribus de hac controversia loquentibus, alii dubitant, alii facultatem Regularibus negant, alii, et sunt plures, privilegium defendunt. Isti proinde dicunt, in memorato impedimento dispensare etiam posse omnes Confessarios Regulares Ordinum praesertim Mendicantium (quoad impedimentum ob incestum) a Provin-

ciali *ad hoc munus deputatos,* ex pluribus privilegiis, praesertim Martini V cum Declaratione Iulii II, et ex privilegio S. Pii V vivae vocis oraculo. Hanc sententiam tenent S. Alphonsus, lib. VI, n. 1076; et *de Privilegiis,* tom. I, n. 108 et 109; Reiff. lib. IV Decret. post tit. 21, Append. n. 567 sqq.: Elbel, pars X, conferent. X, n. 234; Wigandt, tr. 16, n. 100; Salmant., tr. IX, cap. 14, n. 14; Ferraris, v. *Matrimonium,* art. III, n. 12; et vide alios Auctores allegatos a S. Alphonso in cit. n. 1076.

b) De privilegio Martini V et S. Pii V haec referuntur in Compendio Privilegiorum, v. *Dispensatio* in Annotationibus P. Sorbi Capuccini:

Iulius II anno Domini 1503 pro Congregatione S. Benedicti Hispaniae declaravit, quod virtute cuiusdam facultatis Martini V concessae Monasterio B. Mariae de Monserrato, in qua illi concesserat facultatem absolvendi et dispensandi cum saecularibus in casibus et votis Episcopis reservatis, *possit etiam inter coniugatos, quorum alter eorum cum alterius consanguinea adulterium perpetravit, dispensare in foro conscientiae.* « Idipsum ad eumdem effectum possunt facere Confessores, in foro conscientiae, cum iis, *qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxerint,* prout ita eis (Minoribus) concessit S. Pius V, ut in Compendio Privileg. Societatis Iesu, § 4 ».

977. *Animadversio.* Super enunciatis privilegiis repeti possunt quae supra diximus de *dispensatione* votorum; quod scilicet non constat, an huiusmodi privilegium concessum fuerit per Bullam vel per vivae vocis oraculum. Quoad autem concessionem factam a S. Pio V, omnes fatentur, ipsam fuisse vivae vocis oraculum. Oracula autem vivae vocis fuisse revocata a Gregorio XV, Urbano VIII et Clemente XII omnibus in comperto est et nos fuse diximus in Lib. XV.

978. Lezana ob huiusmodi incertitudines ita concludit: Securius est huiusmodi concessionibus non uti, ut consuluit Corduba in annotationibus ad *Collect. Privileg.* (*Summa Quaest.* tom. I, cap. 19, n. 25 et 26).

Securius est, nos addimus, obtinere, si placet, a S. Poenitentiaria pagellam facultatum, ubi sub n. X et XI recensetur facultas

dispensandi ad petendum debitum coniugale. Quae facultas, simul cum aliis, peti etiam potest ab Episcopo, qui, hisce temporibus, habere etiam solent potestatem delegandi, et Regulares possunt pro eadem facultate obtinenda recurrere ad Superiorem Generalem, cui concedi solet facultas subdelegandi Religiosos subditos.

§ 58. *Privilegium Regularium quoad pulsationem campanarum et functiones extraordinarias.*

979. Non potest Episcopus seu Ordinarius vetare Regularibus *campanarum pulsationem* ante vel tempore Missae parochialis, excepto Sabbato Sancto (S. C. Ep. et Regul. die 14 Mart. 1899; vid. integrum Decret. in Lib. XXI, pag. 617).

Regula generalis est, quod *prima pulsatio* campanarum in Sabbato Sancto spectat ad ecclesiam *digniorem* ad formam Constitutionis Leonis X, n. 22, § 14.

Superiores Regulares possunt absque praevia Ordinarii licentia *introducere functiones extraordinarias, alterare consuetas* in respectivis ecclesiis, exceptis processionibus extra ecclesiae ambitum, salvis, pro aliquibus processionibus, specialibus privilegiis (S. C. Ep. et Regul. sup. cit.).

§ 59. *Prohibentur Regulares admittere ad celebrandam Missam vagos seu peregrinos, nisi prius exhibuerint infrascripta documenta.*

980. Superiores Religionum mandent suis subditis monasteriorum et conventuum Superioribus, *ne admittant ad celebrandum* in eorum ecclesiis, eorum vel alterius Religionis exteros, vagos seu peregrinos, *nisi examinatis diligenter litteris obedientiae* seu assignationis eorum Superiorum et testimonialibus promotionis ad Sacerdotium, quo vero ad Sacerdotes saeculares, nisi visis litteris testimonialibus, subscriptis a Vicario Generali seu Foraneo Episcopi loci (S. O. die 11 Aug. 1649; Bened. XIV, Bulla *Quam grave,* § 12, ordine 70; S. C. Ep. et Reg. Decr. cit.).

§ 60. *Superiores Regulares nullo modo immiscere se possunt in causis S. Officii.*

981. Congregatio Sacrae Universalis inquisitionis sequens tulit Decretum:

«Uti pluries a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. Officium spectantibus nullo modo ad Superiores Regulares pertinere subditorum suorum causas agnoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato de his inquirere, denuntiationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel manus apponere; sed quos Religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam superioribus huiusmodi criminum, (praesertim quod ad abusum Sacramentalis Confessionis spectat) reos vel suspectos noverint, strictim teneri, absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denunciare.

Ne vero sanctissimae hae leges ex ignorantia vel malitia (quod Deus avertat) negligi aut infringi contingat, Superioribus grave onus incumbere eas, quo opportuniori putaverint, modo, ad subditorum certam et distinctam identidem deferre notitiam earumque ab eis plenam observantiam urgere» *(Decr. 15 Maii 1901, appr. a Summo Pontifice).*

§ 61. *Decretum, quo Romae prohibetur Superioribus Religiosorum audire confessiones sacramentales subditorum suorum.*

982. Suprema S. Officii Congregatio, die 5 Iulii 1899 de expresso Summi Pontificis Leonis XIII mandato, *districte prohibet,* ne ullus cuiusquam Religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in Alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales Con-

fessiones audire ullo pacto audeat (Apud *Acta S. Sed.* vol. 32; pag. 64, ubi integrum affertur decretum).

Edito praefato decreto, dubitatum est, an per illud derogatum fuerit Apostolicis Constitutionibus, quae *Regulares Ordines* respiciunt? Cui dubio Congregatio S. Officii die 23 Aug. 1899 respondit: *Per decretum S. Officii* Fer. IV d. d. 5 Iul. 1889, *nihil derogatum fuisse Constitutionibus Apostolicis quoad Ordines Regulares* (*Act. S. Sed.* vol. 32, p. 253).

Quid super re statuunt Constitutiones Apostolicae? Statuunt ut sequitur:

« Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire » (Clem. VIII, 19 Mar. 1593).

« Non licet Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint » (Clem. VIII, 26 Maii 1593).

§ 62. *Regulares quoad Absolutionem in articulo mortis et Benedictionem papalem.*

983. Summus Pontifex Leo XIII in Brevi *Quo universi,* die 7 Iul. 1882 sic decrevit:

I. Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione s. m. Benedicti Papae XIV: *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii fundatoris.

II. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem s. m. Benedicti XIV: *Exemplis Praedecessorum,* sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat (*Decreta auth.* S. R. C. N. 3550; et cf. nostra *Collectio,* n. 577 et 585, ubi plura de hac materia invenies).

III. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis...

Ex duabus praedictis formulis prima pro Regularibus incipit « *Ne reminiscaris Domine* »; altera pro Tertiariis incipit « *Intret oratio mea* ». Has formulas transcribere omittimus, cum facile videri possint in praefato Brevi *Quo universi* penes *Decreta auth.* S. R. C. citato N. 3550, in recentiori Rituali Romano, in Diurnalibus circa finem, etc.

§ 63. *Dispositiones speciales pro Abbatibus.*

984. Sacra Rituum Congregatio die 27 Sept. 1659 Decretum edidit circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, approbatum a Summo Pontifice Alexandro VII, in quo Decreto sequentes dispositiones adhuc vigentes continentur:

1. Super Altari, in quo Sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponant Candelabrum.

2. Cathedram seu Sedem *fixam et permanentem* in eorum ecclesiis ne *detineant, sed* tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis *tantummodo* Pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili Sede seu Cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, aut basilico opere exornato.

3. Baldachinum adhibere supra Sedem poterunt non pretiosum aut aureum, sed simplex et eo quod Altari superimponitur, materia et opere inferius; ad ipsum autem *per duos tantum gradus* in Presbyterii superficie stratos ascendatur.

4. Non abacum alium praeter parvam mensam, et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, nec non mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur: prope vero mensam eamdem parieti haerens baculus pastoralis aptetur.

5. Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi, vel alii in quibus ab ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicationis ecclesiae. Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis *Defunctorum* quocumque die etiam festivo et de praecepto.

6. Ad ecclesiam accedentes, licet pontificaliter Divina peracturi, iisdemque absolutis ab Altari recessuri, a suis Canonicis vel Monachis (ut mos est Episcoporum) *ne associari* se sinant.

7. Praeter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Evangelii et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis, et unicus Presbyter cum pluviali iis assistant. Duo insuper Cappellani, qui de mitra et baculo, ac totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici vel Monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis, situ congruo accommodatis, moxque illico removendis, consideant.

8. Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum pastoralem albo velo appenso deferant, ab iisque et aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra ecclesias sibi subiectas prorsus abstineant, et neque in Processionibus, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum vel Parochiam ducuntur, insignibus praedictis utantur, vel penes se perferri faciant.

9. Regulares rochettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat.

10. Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant; nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui vel benedicti in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus vel alias benedictis indulto.

11. Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi pontificaliter Divinis vacaturi.

12. Indulgentias impertiri vel publicare non audeant, absque expresso S. Sedis indulto.

13. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum pontificalibus, necnon Vesperis et Matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno iure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non praesumant.

14. Praesente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

15. Si Episcopus aderit, ipsius Sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior Abbatiali est erigenda, haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolae collocetur, et latere Episcopi Canonici Cathedrales, prope Abbatem Canonici vel Monachi Monasterii Abbatialis Ecclesiae consideant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat; Episcopus praeterea trino ductu, et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici vel Monachi Abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

16. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti huiusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

17. In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in vestitionibus Monialium et emissione professionis earumdem, etiam pleno iure sibi subiectarum, in benedictione sacrae supellectilis caeterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinorum solemniis ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis quam privatis, quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno iure subiectis mitram, baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione adhibeant.

18. Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant.

19. Reliqua pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro sacristia alienae Ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant: puta campanarum

benedictionem, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum Ordinum collationes.

20. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus ius huiusmodi privative competit, omnino dimittant.

21. In Missis privatis quoad indumenta, caerimonias, ministros, Altaris ornatum, et benedictionis largitionem, a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altare adhibeant.

985. Ad observantiam relati Decreti idem Pontifex Alexander VII arctat omnes et singulos usu Pontificalium gaudentes, cum Saeculares tum Regulares, quamvis exemptos et speciali expressione indigentes, indulsitque praeterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, immo debeant, praefatos etiam per censuras compellere (N. 1131).

986. *Dubiorum resolutiones quoad Titulares Abbatiae destructae vel extinctae.*

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. An Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate etiam regia titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praepositurae iampridem destructae, aut penitus extinctae, functiones pontificales celebrare possint?

II. An saltem iidem Abbates vel Praepositi titulares insignia, quibus utuntur Abbates mitrati, sive pontificalium usum habentes, uti sunt crux pectoralis, mitra et baculus, gestare unquam possint?

III. An iidem, qua tales, benedictionem ullam recipere possint et praesertim illam, quae invenitur in Pontificali Romano?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc labente anno ad Vaticanum coactis, exquisita prius sententia Commissionis Liturgicae, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit: « *Negative* in omnibus ».

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

987. *Sequitur materia de officiis, iuribus et privilegiis Abbatum.*

a) Abbas Regularis potest permittere alteri Abbati sui Ordinis, ut in sua ecclesia agat Pontificalia (S. R. C. N. 2080).

b) Abbates usum mitrae et baculi habentes nequeunt uti paramentis pontificalibus *extra proprias ecclesias* sine Indulto Apostolico; nec Ordinarii locorum possunt impertiri hanc facultatem (S. R. C. pluries, N. 577, 803, 1815, 1131 ad 19).

c) Abbas Regularis potest facere Processiones cum suis Monachis sine Episcopi licentia, *sed non extra proprios limites* (N. 168 ad 1). Pontificalia peragens in propria ecclesia, *potest populo benedicere,* dummodo non adsit Episcopus (Ibid. ad 2). Extra propriam ecclesiam *nequit uti baculo* et *mitra* (Ibid. ad 3; vid. etiam N. 768, 873, 1131 ad 8).

d) Abbates regulares in functionibus, quae fiunt in ambitu monasterii Dominica Palmarum, in coemeterio die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum etc., nequeunt uti mitra (N. 2060).

e) Abbas Regularis incedere debet cum suo Clero in publicis Processionibus ante Abbatem saecularem cum huius Clero (N. 298).

f) Abbas Regularis *nequit* in suae iurisdictionis locis *privatim sibi subditis benedicere,* quod tantum potest inter Divinorum solemnia (N. 274).

g) Abbates regulares non comprehenduntur in Caeremoniali Episcoporum *associationem iubente;* et Canonici regulares seu Monachi *non sunt associandi* a domo ad Chorum, ubi id non est in more positum (N. 315).

h) Abbas regularis in Processionibus nequit sibi facere anteferre intortitium per Conversum (N. 789).

i) Abbas regularis nequit *extra Pontificalia* triplicem benedictionem impertiri (Die 1 Oct. 1701. N. 2080 ad 6); nec etiam cum SSmo Sacramento (Die 13 Iun. 1693. N. 1897).

j) Abbatibus Regularibus celebrantibus in Pontificalibus genuflexiones debentur in suae iurisdictionis ecclesiis tantum (Die 12 Sept. 1857. N. 3059 ad XX).

k) Abbates Regulares coercendi sunt ad observantiam Decretorum circa usum Pontificalium. Et si quis Abbas *indultum* obtinuit celebrandi Pontificalia *extra propriam ecclesiam,* ei tamen non licet hoc privilegio uti, nisi de *expresso Rmi Ordinarii*

consensu (Die 18 Dec. 1846. N. 2923; et vid. N. 2000, 2183, 2376).

Haec quae scripsimus referuntur ad Abbates *universim*. At sunt quidam Ordines vel particularia Monasteria Monachorum seu Canonicorum Regularium, quorum Abbates aliqua alia praerogativa fruuntur, quas tamen enumerare praetermittimus.

988. *Abbates Titulares conferre nequeunt sacram Tonsuram et Ordines minores.*

Archiepiscopus N. Summo Pontifici sequentia exposuit:

Prior quidam Ordinis Cisterciensium, *Abbas Titularis*, Tonsuram et Ordines minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta in casu ab Archiepiscopo oratore opportuna delegatione. Nunc vero sibi innotuit non posse Abbatem Titularem gaudere praedicta facultate, et proinde implorat benigne sanationem.

Sacra Congregatio Univ. Inquisitionis, re mature perpensa, attentis omnibus tum iuris tum facti momentis decrevit:

Repetendam in casu Ordinationem ex integro a collatione sacrae Tonsurae inclusive (Die 15 Iul. 1903, approb. Summo Pont. Leone XIII; apud *Act. S. Sed.* vol. 36, pag. 167).

PARS TERTIA.

Speciales gratiae et iura seu privilegia Ordini Minorum ab Apostolica Sede benigne concessa.

Nota. Quilibet Ordo regularis speciales gratias vel iura aut privilegia a S. Sede concessa habet, unde etiam Ordo Fratrum Minorum, qui in Ecclesia Dei tanta antiquitate pollet, praerogativis et privilegiis suis ab ipsa Apostolica Sede peramanter elargitis gaudet. Istiusmodi gratias, favores seu privilegia in hac tertia Libri parte collegimus eo quippe intentu, ut Religiosus Minorita iura Ordinis sui in promptu habeat et probe cognoscat. Meminerit autem, Ordinem Minorum non iis tantum frui gratiis, quae in hac tertia parte recensentur, sed etiam iis quae in secunda parte descriptae sunt, eo vel magis quod plura privilegia seu facultates ibi memo-

ratae Ordini Minorum directe concessae sunt. Lectori proinde Franciscali haud satis foret perlegere contenta in hac tertia parte, sed ea quoque, immo praecipue, percurrere, quae enumerata sunt tam in prima quam in secunda parte, ut sic de privilegiis Regularium ampliorem plenioremque cognitionem sibi acquirat.

§ 1. *Indulgentia plenaria concessa Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum pro variis sacris peregrinationibus, in aliud pium exercitium commutatis.*

989. Rmus P. Clemens de Panormo, Minister Generalis Ordinis Minorum petiit a Summo Pontifice Benedicto XIV, quatenus Fratres et Moniales suae obedientiae subiecti lucrari possint indulgentias adnexas visitationi sacrorum locorum Romae, Laureti, Montis Varalli, Assisii et Alverniae, *mediante devota quadam peregrinatione per sua respective claustra et successiva propriarum ecclesiarum visitatione,* videlicet:

Pro septem ecclesiis Romae, eundo per claustrum septem vicibus, et visitando in fine sanctissimum Sacramentum.

Pro Sanctuario Laureti, eundo ter per claustrum, et semel visitando altare aut imaginem beatissimae Virginis.

Pro sacro Monte Varalli, eundo pariter ter per claustrum, et visitando altare aut imaginem Crucifixi.

Et demum *pro Sanctuario Assisii et Alverniae,* eundo similiter ter per claustrum, et visitando altare aut imaginem S. Patris Francisci, orando semper in dictis circuitibus aut peregrinationibus, et respective sacris visitationibus pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, exstirpatione haeresum, conservatione Summi Pontificis et pro christianorum principum pace et concordia.

Ex audientia Sanctissimi die 28 Aprilis 1758.

« *Sanctissimus attentis expositis, Ministri Generalis oratoris precibus annuendo, omnibus et singulis Religiosis Viris atque Monialibus Ordinis Minorum S. Francisci, eidem Ministro Generali subiectis, unumquodque ex infra scriptis piis exercitiis devote peragentibus, semel in anno, eo nimirum respective die, quo praemissa sacramentali Confessione, sumptaque SS. Eucha-*

ristia, et pias ad Deum preces, ut in supplici libello enuntiatur, fundendo, huiusmodi exercitium peregerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta benigne concessit » (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 82; Minderer, part. I, pag. 341; *Chronolog. Ord. Min.* tom. IV, pag. 297).

990. Rmus P. Erhardus a Radkerspurgo, Minister Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum *eamdem gratiam* petiit *eamque in omnibus similem* obtinuit a Summo Pontifice Pio VI per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 25 Sept. 1779 (Vid. *Rescr. auth. S. C. Indulg.* N. 317, pag. 243).

991. *Ratio praedictae petitionis* ex supplici libello Summo Pontifici porrecto innotescit. Uterque Minister Generalis exponit, qualiter ipse a multis sui Ordinis Religiosis continuo et instantissime rogetur pro concedenda licentia visitandi loca sancta Romae, Laureti, Montis Varalli, Assisii et Alverniae, ita ut denegata licentia ad evitandam Fratrum evagationem, aut ob alia iusta motiva, ipsi novas faciant instantias, interponendo etiam recommendationes, et Superiorem saepius in angustias reducendo. Idcirco Oratores similia inconvenientia, quantum fieri potest, impediri cupientes quadam cum recompensatione, qua et ex una parte Religiosi lucrarentur thesaurum indulgentiarum visitationi memoratorum Sanctuariorum annexarum, et ne ex altera parte se a propriis removeant Conventibus, Summo Pontifici supplicarunt, quatenus omnes utriusque sexus Religiosi respectivae obedientiae subiecti, lucrari possent praefatas indulgentias mediante quadam devota peregrinatione per sua respectiva claustra et successiva propriarum ecclesiarum visitatione, eo nempe modo, quo supra expositum est (Vid. loc. cit.).

§ 2. *Concessiones altaris privilegiati ecclesiis et in favorem Fratrum et Monialium Ordinis Minorum, nec non Ministri Generalis.*

992. Omnes et singulae ecclesiae Fratrum Ministro Generali totius Ordinis Minorum subiectorum, gaudent *altari privilegiato quotidiano perpetuo* ex benigna concessione Benedicti XIV « *pro Missis tamen, quae a Fratribus Minoribus S. Francisci in al-*

taribus per Ordinarios respective designandis celebrabuntur ». — « Voluit etiam Sanctitas Sua, gratiam huiusmodi per hoc praesens Rescriptum perinde valere, ac si *per Apostolicas Litteras* in forma Brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset » (Rescriptum diei 17 Dec. 1748).

993. Cum autem in citato indulto altaris privilegiati non videantur comprehensae *ecclesiae Sanctimonialium* Ministri Generalis Ordinis Minorum iurisdictioni subiectae, laudato Pontifici Benedicto XIV supplicatum fuit, ut declarare dignaretur, *etiam antedictas Monialium ecclesias in relato indulto esse comprehensas.*

Summus Pontifex porrectis precibus benigne annuit, ac ideo *gratiam altaris privilegiati etiam ad ecclesias Monialium* Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium iurisdictioni subiectarum *extendit,* pro Missis tamen in praedictis ecclesiis *a Fratribus eiusdem Ordinis Minorum celebrandis* (Rescriptum 22 Sept. 1755).

994. Idem privilegium altaribus *in oratoriis valetudinariorum* respective existentibus, *pro Religiosis senibus, infirmis atque imbecillibus inibi celebrantibus* clementissime concessit (Rescripto eodem).

995. Doctissimus Pontifex supra laudatus dignatus est per Breve Apostolicum solemniter confirmare Rescripta citata, sequenti formula: *Tenore praesentium Apostolica Auctoritate confirmamus, et quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem Rescriptis contenta et concessa iterum concedimus, et perpetuo Apostolicae firmitatis robore munimus* (Bened. XIV, Breve 21 Ian. 1756).

996. *Concessio altaris privilegiati pro defunctis Fratribus et Monialibus.* Idem Pontifex per Breve *Cum sicut* die 24 Martii 1741 clementer indulsit, ut Missae, quae *a Sacerdotibus Ordinis Minorum* celebrantur *pro Religiosis eiusdem Ordinis* ad nuntium eorum mortis, *vel in die obitus vel aliis diebus,* ad quodcumque altare ecclesiarum dicti Ordinis celebrentur, Missae huiusmodi animae, pro qua celebrabuntur, perinde suffragentur, *ac si ad altare privilegiatum* celebratae fuissent (Ferraris, loc. cit. n. 78; Minderer, part. II, pag. 244; *Acta Ord. Min. ann.* VII, pag. 34).

997. Eadem prorsus gratia gaudent *Moniales* sub iurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes, ita ut quandocumque in earum ecclesiis SACERDOS QUILIBET SIVE SAECULARIS SIVE ALTERIUS ORDINIS in die obitus vel alio die, *ad quodcumque altare* Missam celebrabit, talis Missa animae, pro qua celebrabitur, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset (Idem Pontifex, eodem Brevi).

998. In documentis Apostolicis supra citatis, et in aliis etiam quae citari possent, cum agitur de *Monialibus,* habetur semper clausula restrictiva: *Moniales sub iurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes.* Ad hanc clausulam pro participatione privilegiorum et indulgentiarum non est amplius attendendum; Sacra enim Congregatio Indulg. pluries declaravit:

Monasteria omnia Monialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam iurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum aliqua ratione transferri contigerit, *non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore;* sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere. ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent. Quam sententiam Summus Pontifex die 22 Aprilis 1711 approbavit (Decr. auth. S. C. Indulg. N. 36; 59; 118; 143).

999. *Missae, quae celebrantur a Ministris Generalibus Ordinis Minorum pro tempore existentibus, gaudent Apostolico indulto altaris privilegiati.* Benedictus PP. XIV ad preces Rmi P. Caietani a Laurino Ministri Generalis Ordinis Minorum, per Breve *Cum sicut* diei 26 Aprilis 1741, concessit Ministris Generalibus praefati Ordinis pro tempore existentibus, « ut ipsi quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro genitorum, consanguineorum, affinium et propinquorum, nec non dicti Ordinis et benefactorum suorum animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, ad altare *cuiuscumque ecclesiae, vel capellae, seu oratorii publici vel privati celebraverint,* Sacrificium huiusmodi animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum celebrassent » (*Chronolog. Ord.* Perusini, tom. II, pag. 256).

§ 3. *Gratiae Missionariis Ordinis Minorum concessae.*

1000. Cum in nonnullis Indiarum orientalium Missionibus laudabilis vigeat consuetudo, ut in obitu Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, Missionum Praefectorum, vel simplicium Missionariorum tam Cleri saecularis quam regularis, una vel plures Missae pro eorum expiatione a singulis Missionariis celebrentur; Clemens XIV declaravit Missas huiusmodi, vel alias, quae in suffragium illorum, qui in imperiis Sinarum, Magni Mogoris, et Persidis, nec non in regnis Tunkini, Cochinchinae, Siami, Ciampae, Cambodiae, Thibet, Avae, Pegu, et in Oris Malabaricis, sacris Missionibus, dum viverent, operam dederunt, et in actuali Missionum exercitio decedunt, a quocumque Sacerdote, quocumque titulo, loco, aut tempore, celebrabuntur, *esse et fore privilegiatas* (S. C. de Prop. Fid. 27 Iun. 1773, apud *Collectanea S. Sedis*, N. 653, *edit. Parisiis, typis Georges Chamerot* 1880).

1001. Quoad indultum autem altaris privilegiati personalis, *generatim ter in hebdomada* Operariis evangelicis tribuitur. Attamen peculiariter ab Apostolica Sede *Seminario Parisiensi Missionum ad Exteros, eiusque Operariis,* ubivis commorantibus, *quotidianum ac perpetuum* eiusmodi indultum tributum est (Ibid. n. 667).

1002. Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, supplicavit SSmo D. N. PP. Leoni XIII, ut Missionariis sui Ordinis, exercentibus ministerium apostolicum in Sinis, et Sacerdotibus saecularibus Sinensibus eorum coadiutoribus, *participare dignaretur favorem altaris privilegiati, personalis, quotidiani, perpetui,* iamdudum a saeculo et amplius concessum Presbyteris Seminarii Missionum exterarum Parisiensium, in Sinis Missionariis, a s. m. Summo Pontifice Pio VI per Rescripta Apostolica S. Congregationis de Propaganda Fide die 28 Martii 1775 et 16 Febr. 1795. — SSmus Dominus *benigne annuit* pro gratia iuxta petita (Ex Aud. SSmi, die 19 Ian. 1882; *vid. Acta Ord. Min.* ann. I, pag. 20).

1003. *Intuitu privilegii altaris,* sive localis sive personalis, *severe vetitum est Missionariis,* prout etiam ceteris omnibus Sa-

cerdotibus, *pro Missae eleemosyna plus recipere, quam taxam synodalem,* vel illam, quam consuetudo regionum firmaverit; *alias ad restitutionem teneri.* Quinimmo, si privilegium personale sit, in perpetuum amittere, nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum Sacrum faciant (S. C.-de Prop. Fid. Decr. 13 Aug. 1774, Collect. N. 654).

1004. Cum ex parte R. P. D. Vicarii Apostolici provinciarum Chen-si et Chan-si, nec non Administratoris provinciae Hu-kuang in Sinis, exposita fuerint aliquot dubia circa indulgentias, quibus gaudent Patres Missionarii Ordinis Minorum S. Francisci iisdem in partibus commorantes, Summus Pontifex Pius VI, ad removendam in eiusmodi re quamlibet ambigendi occasionem, sequentia concessit et declaravit:

1° Praedicti Regulares Ordinis Minorum, quocumque in loco versentur, eas omnes et singulas indulgentias consequi valent, quae *universo eorum Ordini concessae sunt,* dummodo tam in plenariis quam in partialibus iniuncta opera fideliter adimpleant, et in plenariis sacramentalem peccatorum Confessionem, *saltem triduo ante, praemittant.*

2° Fideles omnes, qui in praedictis degunt provinciis Chen-si, Chansi, et Hu-kuang, absque ulla proprii oratorii seu ecclesiae oblatione, *indulgentias omnes* lucrari possint, quas Ordo Minorum habet ex pia liberalitate Sedis Apostolicae, quatenus tamen praescriptis operibus pari modo satisfaciant.

3° Quia vero nonnunquam accidit, ut ob locorum longinquitatem, vel altera iusta de causa impediti, tam Regulares quam reliqui fideles oratoria seu ecclesias pro indulgentiis designatas visitare nequeant, vel eas visitare plerumque contingat, in quibus sanctissimae Eucharistiae Sacramentum non asservatur; ideirco Sanctitas Sua benigne indulsit, ut in eiusmodi casibus, *commutata oratorii seu ecclesiae visitatione, et sanctissimae Eucharistiae Sacramenti adoratione, in orationem Dominicalem et in actus fidei, spei, charitatis et contritionis,* easdem indulgentias lucrari valeant.

4° Cum autem *plenariae indulgentiae* non semper ab iisdem Missionariis et fidelibus acquiri possint *ob Confessariorum defectum,* idem Summus Pontifex, ne ideirco Ecclesiae thesauris prorsus

destituantur, christianis omnibus in praefatis provinciis exsistentibus benigne concessit, ut iis diebus, in quibus plenaria aliqua indulgentia recurrit, quam ob dictam causam lucrari nequeunt, *quatenus corde saltem contriti*, ferventes ad Deum pro S. Fidei propagatione preces effuderint, *partialem septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam*, applicabilem quoque per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis, consequi valeant, perpetuis valituram temporibus (S. C. de Prop. Fid. 18 Ian. 1778, apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 84).

1005. Summus Pontifex Pius PP. IX, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, concedere dignatus est *Missionariis praefati Ordinis*, qui in locis Missionum publicas ecclesias non habent, aut propter exercitium proprii ministerii degunt extra Conventum seu Hospitia, ut lucrari possint indulgentias concessas ecclesiis Franciscalibus *sive visitando privatum oratorium, sive quamcumque sacramentalem ecclesiam Ordini extraneam* (Ex Aud. SSmi die 3 Nov. 1876, apud *Acta Ord. Min.* ann. I, pag. 21).

1006. Quia missionarii tum Sacerdotes tum Laici primi et tertii Ordinis S. Francisci, *qui Missionibus Sinensibus inserviunt*, raro possunt lucrari indulgentias plenarias, absolutiones et benedictiones Ordinis recipere, quia propter locorum distantiam adimplere nequeunt conditionem praeviae Confessionis, SSmus D. N. Leo PP. XIII, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, dignatus est eos *super praefata conditione praeviae Confessionis dispensare*, ipsis concedendo (praesenti *in perpetuum* valituro), *ut ad lucrandas indulgentias, et absolutiones ac benedictiones Ordinis recipiendas*, sufficiat prima Confessio, quam post diem in Ordinis kalendario statutam peragere poterunt (Ex Aud. SSmi die 7 Martii 1888; vid. *Acta Ord. Min.* ann. VII, pag. 66).

§ 4. *Benedictio Apostolica et indulgentia plenaria Missionariis Franciscalibus et fidelibus Missionibus interessentibus.*

1007. « Omnibus et singulis Fratribus Ordinis S. Francisci (de Observantia) ad Missiones *in quibusvis locis* de Ordinariorum

licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, *Nostram et Apostolicam Benedictionem* per praesentes impartimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis, et sacra Communione refectis, qui pro sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum exstirpatione, prout unicuique suggesserit devotio, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam*... pro unica vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinariorum licentia respective facienda concedimus et elargimur » (Innoc. XI, Brevi *Coelestium munerum,* die 12 Martii 1688; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 18; *Chronolog. Ord. Min.* Perusini, tom. I, pag. 184).

1008. Haec singularis gratia, nempe *indulgentia plenaria cum Benedictione papali* reperitur etiam concessa in Summario Indulgentiarum Societatis Iesu; ubi n. 9 dicitur: Religiosis Societatis missis a Superioribus ad Missiones peragendas, et quibuscumque fidelibus ad eos accedentibus in qualibet Missione et durante illa, semel *indulgentiam plenariam* cum *Benedictione papali,* quam illis *mittit Summus Pontifex,* si confessi et sacra Communione refecti oraverint iuxta consuetas intentiones, concessit Paulus V etc. (*Rescr. auth.* Summ. 74, pag. 613).

1009. *Facultas Patribus Minoriticae Provinciae S. Crucis Saxoniae concessa impertiendi fidelibus post missiones, exercitia spiritualia aliasque conciones Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria.*

Summus Pontifex Pius X per Breve incip. *Benigne* de die 11 Oct. 1904, indulgere dignatus est Fratribus Minoribus Praedicatoribus Provinciae Saxoniae S. Crucis spirituales favores in praecitato Brevi descriptos, ut sequitur:

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Benigne annuentes oblatis Nobis precibus a dilecto filio hodierno ministro Provinciae Saxoniae Fratrum Ordinis Minorum in Germania, ad augendam fidelium in audiendo Dei verbo pietatem ac frequen-

tiam, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, per praesentes concedimus, ut omnes et singuli fideles ex utroque sexu, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum, sive spiritualium exercitiorum, quae habeantur nunc et in posterum a religiosis viris Ordinis Minorum ex supradicta Saxoniae Provincia rite approbatis, saltem ultra dimidium temporis quo respective perduraverint, intersint, ac benedictioni cum Cruce in postrema concione huiusmodi ab iisdem religiosis respective, servatis servandis, impertiendae devote aderint, simulque vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, Ecclesiam, ubi conciones habitae fuerint, vel sacellum aut Ecclesiam piarum domorum, in quibus spiritualia exercitia peragentur, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem consequi licite possint ac valeant. Insuper fidelibus iisdem, quoties contrito saltem corde piis hisce concionibus adfuerint, et Ecclesiam sive sacellum respectivum, ut supra orantes, visitaverint, toties in forma Ecclesiae solita de numero dierum poenalium ducentos expungimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Item per Breve *Ad augendam* die 17 Martii 1905 concessae sunt indulgentiae fidelibus, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum ac spiritualium Exercitiorum a Fratribus Minoribus Provinciae Franciae habendis intererunt.

Simili modo iidem spirituales favores per Breve incip. *Benigne* diei 27 Mart. 1905 concessi sunt fidelibus, qui, ut supra, concionibus Quadragesimae etc. Patrum Provinciae Thuringiae S. Elisabeth intererunt (Vide citata Brevia apud *Acta Ord. Min.* Ann. XXIV p. 198 et 200).

§ 5. *Indulgentia plenaria pro renovatione religiosae professionis.*

1010. Regulares Ordinis Minorum, qui die 16 Aprilis (Festum S. Raphaëlis Archangeli apud eos), qua die S. P. Franciscus cum

suis sociis professionem in manibus Innocentii III emisit, suam professionem annuatim renovant, poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, et effundentes ad Deum preces ad mentem Summi Pontificis, lucrantur *indulgentiam plenariam* a Clemente XII die 30 Martii 1735 concessam. Quam quidem indulgentiam lucrari etiam possunt Moniales nostri Ordinis, adimpletis praedictis conditionibus (Vid. Breve *Cum sicut* apud Minderer, part. II, post n. 438, pag. 339, vel in *Chronol.* Perusini, tom. II, pag. 202).

§ 6. *Indulgentiae adnexae recitationi Coronae Franciscanae seu septem Gaudiorum B. Mariae Virginis.*

1011. Corona Franciscana a Pio Papa X pluribus ditata est indulgentiis, prout exhibet Breve quod sequitur:

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilectus filius Bonaventura Marrani Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis impense cupiens ut erga Deiparam Immaculatam magis magisque Fidelium cultus augeatur, retulit ad Nos inter multiplices cultus ac pietatis significationes in eamdem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum obtinere laudabilem eam praxim, ut peculiari Corona Septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipsius Divinae Matris in coelum Assumptione in Deo Salutari suo mirabiliter exsultavit. Hinc factum esse, ut decessores Nostri Romani Pontifices, non modo speciale Festum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis cum officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint, verum etiam Fratribus et Sororibus Ordinum Seraphici Francisci Assisiensis, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, Indulgentiam Plenariam, pluries vel eadem die lucrandam, benigne concesserint. Verum idem dilectus filius Procurator Generalis Minorum Fratrum animo perpendens devotionem erga Septem Beatae Mariae Virginis Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis Fi-

delibus communi esse exornatam; probe autem noscens eamdem Gaudiorum Coronam publice in ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum Fidelium interventu recitari, Nos enixis precibus flagitavit, ut huic Septem Gaudiorum Virginis Coronae, prouti iam concessum fuit Coronae Septem Virginis eiusdem Dolorum, Plenarias nonnullas ac partiales Indulgentias vel ob omnibus Fidelibus rite lucrandas adiungere de Apostolica Nostra benignitate dignaremur. Nos autem quibus antiquius nihil est neque magis gratum, quam ut per universum orbem Fidelium pietas erga Virginem Immaculatam latius propagetur, et Divina Mater in Gaudio non minus quam in Dolore admirabilis, pari a christiano populo recolatur obsequio, votis hisce piis ultro libenterque annuendum existimavimus.

Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Fidelibus ex utroque sexu, qui publicae recitationi Coronae Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis apud Ecclesias ubique terrarum exsistentes trium Ordinum Seraphici Patris habendae, adstiterint, easdem tribuimus Indulgentias, quas Fratres et Sorores eiusdem Ordinis, quibuscum sunt in recitatione sociati, promerentur. Insuper iisdem Fidelibus admissorum confessione rite expiatis et Angelorum pane refectis, qui Coronam eamdem quotannis tum Festis cuiusque e Septem Gaudiis, cum potioribus Beatae Mariae Virginis Festivitatibus, vel quovis die intra respectivi Festi octiduum, ad cuiusque eorum lubitum eligendo pie recitent, quo ex iis die id agant, Plenariam; et iis, qui singulis anni Sabbatis Coronam eamdem recitare consueverint uno cuiusque mensis die, ad lubitum pariter eligendo, dummodo vere ut supra poenitentes et confessi ad Sacram Synaxim accedant, etiam Plenariam; tandem iis qui memoratam Coronam retineant, illamque frequenter in vita percurrerint, in cuiuslibet eorum mortis articulo si vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo acceperint, similiter Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ipsis Fideli-

bus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui contrito saltem corde, aliis per annum Beatae Mariae Virginis festis diebus Coronam eamdem recitent, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita trecentos annos; et iis qui id agant diebus de praecepto festivis, ducentos annos; quoties vero Coronam ipsam quocumque alio anni die persolverint, toties illis septuaginta annos totidemque quadragenas; iis tandem Fidelibus qui Coronam memoratam Septem Virginis Gaudiorum apud se fideliter retinentes, eamque frequenter recitantes, quodvis pietatis opus in Dei honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximorum utilitatem item contrito corde exercuerint, sive in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint, de numero similiter poenalium in forma Ecclesiae solita, quoties id agant decem annos expungimus. Porro largimur, ut excepta Plenaria Indulgentia in mortis articulo lucranda, Fidelibus ipsis, si malint, liceat Plenariis supradictis ac partialibus Indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Verum praecipimus, ut in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis Coronae Gaudiorum Virginis a Fidelibus adhibendae, sint a Ministro Generali pro tempore Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio Sacerdote sive saeculari, sive regulari, per ipsum deputando, in forma Ecclesiae solita, servatisque servandis, benedictae.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium Litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Indulgentiarum Congregationis Secretariam, alioquin praesentes nullae sint: utque item praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMV, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Pro Dno Card. Macchi.
Nicolaus Marini, *Subst.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 18 Septembris 1905.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

§ 7. *Ordo Minorum quoad Stationem SS. Sacramenti.*

1012. Fratres et Moniales Ordinis Minorum recitantes sive in communi sive seorsim *sex Pater, Ave et Gloria* ad intentionem Summi Pontificis, lucrantur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Iacobi Galiciae et Portiunculae. Complexus huiusmodi precum et indulgentiarum eisdem adnexarum dicitur *Statio;* et quia precum recitatio fieri debet, *saltem ex primaevis concessionibus,* ante sanctissimum Altaris Sacramentum, ideo vocari solet *Statio SS. Sacramenti.*

1013. Haec Statio indulgentiae, dicendo supradicta *Pater Noster* etc. ante Altare SS. Sacramenti, acquiri potest *saepius in die* (seu *toties quoties*) eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret Ecclesias Romae, Hierosolymorum, Compostellae et Portiunculae. Ita in authentico Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici, penes *Rescripta auth. S. C. Ind.,* pag. 386, 387; et vid. nostra *Collectio Indulg.* pag. 348, ubi de re latius.

1014. Eadem gratia seu privilegio gaudent Tertiarii saeculares Franciscales ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII per Breve incip. *Qui multa,* die 7 Sept. 1901: «Idem Tertiarii, ita in novo Summario pro dictis Tertiariis n. V, recitando *Pater Ave,* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianae, et semel ad mentem Summi Pontificis, eas omnes indulgentias *toties quoties* consequuntur, quas lucrantur fideles, qui Stationes Urbis, Portiunculam, Hierosolymitana loca, aedem S. Iacobi Ap. Compostellanam visitant...» (Vid. *Acta Ord. Min.* ann. 20, pag. 155).

§ 8. *Ordo Minorum quoad Absolutionem Generalem.*

1015. Fratres Minores et Moniales S. Clarae gaudent privilegio *Absolutionis Generalis* cum Indulgentia plenaria, idque ex concessione Leonis X, Bulla *Cum sicut Nobis.* Dies et Festivitates, in quibus eam recipere possunt, sunt:

I. In solemnitatibus Domini, id est: in Nativitate, Circumcisione, Epiphania, Paschate, Ascensione, Pentecoste, et etiam in festo SS. Trinitatis et SS. Corporis Christi.

II. In festivitatibus B. Mariae Virginis, nempe in festo Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Conceptionis.

III. In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

IV. In festo S. P. N. Francisci, S. Clarae, S. Catharinae V. et M. et Omnium Sanctorum.

V. Per totam Hebdomadam Sanctam (Vid. *Rescr. auth.* S. C. Indulg. collecta a P. Iosepho Schneider S. I.; in Summario Indulg. Ord. Seraph. pag. 397; *Decreta auth.* eiusd. S. C. pag. 430-432; nostra *Collectio Indulg.* pag. 659 sq., ubi plura de re).

1016. Possunt insuper Fratres et Moniales Ordinis S. P. Francisci recipere Absolutionem Generalem cum Indulgentia plenaria *quater in anno,* diebus, quibus maluerint (Loc. cit.).

Verum circa hanc absolutionem generalem quater in anno, attendenda est declaratio S. C. Indulg. facta ex mandato Summi Pontificis Leonis XIII, et est sequens:

Beatissime Pater,

Fr. Mauritius a Venetiis Confessarius Monialium S. Clarae ad pedes S. V. provolutus, exponit: Ex concessione Summi Pontificis Leonis X Clarissae possunt consequi plenariam indulgentiam ac insuper papalem benedictionem quater in anno diebus, quibus maluerint. Unde quaeritur: Ad impertiendam praefatam benedictionem papalem quaenam formula sit adhibenda?

Pro qua gratia etc.

SS. D. N. Leo Pp. XIII in audientia habita die 26 Maii 1898 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae audita relatione introscriptarum precum, declarare mandavit, concessionem factam, uti asseritur Sanctimonialibus Ordinis S. Francisci, quae Clarissae nuncupantur, a Leone Pp. X, non ita esse intelligendam acsi quater in anno praedictae Sanctimoniales accipere simul valeant eodem die generalem absolutionem seu benedictionem cum plenaria indulgentia, itemque benedictionem papalem, cui adnexa sit plenaria indulgentia, nec pariter ita intelligendam esse acsi quater in anno generalem absolutionem et quatuor aliis infra annum diebus papalem benedictionem cum plenaria indulgentia assequi possent. Quapropter non est locus novae formulae componendae, sed in absolutionibus generalibus quater in anno elargiendis, si de tali concessione constiterit, utendum erit formula iam approbata per Litteras Apostolicas in forma Brevis datas sub die 7 Iulii 1882 absque ullo addito.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 26 Maii 1898.

Fr. Hieron. M. Card. Gotti, *Praef.*

A. Archiep. Antinoën, *Secret.*

Cf. nostra *Collectio* Indulg. n. 1430 sqq., ubi de re, ante editam praemissam declarationem, plura scripsimus.

1017. Notandum, Indulgentiam plenariam Absolutioni generali adnexam, *animabus tantum Purgatorii* (pro dictis Fratribus et Monialibus) *esse applicabilem* (Vid. cit. *Decreta auth.* S. C. Ind. et nostra *Collectio Indulg.*).

1018. Praedicta Absolutio generalis impertiri etiam potest in pervigilio festi, cui adnexa est (S. C. Ind. die 18 Aug. 1895, apud nostram *Collectionem,* loc. cit. pag. 663, n. 1427).

1019. Possunt etiam Praelati regulares dictam absolutionem generalem impertire Fratribus in fine visitationis canonicae, ut revera est in more, cuius formula prostat in Breviariis, Diurnis, in Rituali *Romano Seraphico*, et *in nova Collectione Decretorum* S. R. C. N. 3550.

1021. *Formulae Absolutionis Generalis.* Formula servanda a *Regularibus* cuiuscumque Ordinis privilegio Absolutionis generalis

fruentibus, est illa approbata a Summo Pontifice Leone XIII, Brevi *Quo universi,* die 7 Maii 1882, quae incipit: *Ne reminiscaris, Domine;* abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis (*Decr. auth.* S. C. Ind. pag. 412 et 491 et S. R. C. N. 3550).

Formula vero Absolutionis generalis, seu Benedictionis cum indulgentia plenaria *pro Tertiariis saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus,* est illa, quae in *Decreta authentica,* loco citato, iacet secundo loco, approbata pariter a laudato Summo Pontifice in memorato Brevi: *Quo universi,* quaeque incipit ab antiphona: *Intret oratio mea* etc.

De formula exhibenda pro Tertiariis vota simplicia emittentibus et in Congregatione degentibus, vide dicta in Lib. XIX, ubi de istiusmodi Tertiariis seu Institutis novissima dispositio refertur.

1021. *Circa delegationem Presbyterorum pro impertienda Monialibus Tertiariis absolutione generali* quaesitum est:

Utrum Ordinarius, sub cuius iurisdictione Moniales Tertiariae degunt, ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas eisdem Monialibus impertiendas delegare possit Sacerdotem sibi benevisum, *ad audiendas Monialium confessiones non approbatum?*

Et S. Congregatio Indulg. die 27 Maii 1903 respondit: *Affirmative* (Apud *Acta Ord. Min.* ann. XX, pag. 141).

Declaratum est etiam, quod « Confessarius *ordinarius* vel *extraordinarius* Sororum Tertii Ordinis S. Francisci, quae in Congregatione coadunatae vivunt et Episcopi iurisdictioni subiectae sunt, *censendus est delegatus* pro impertienda benedictione cum Indulgentia plenaria » (S. C. Ind. die 13 Iul. 1898).

1022. Hoc loco congruum esse videtur ponere duas decisiones hoc anno factas.

1. *Superior impertiens subditis absolutionem generalem, ipse eadem fruitur.*

E S. CONGR. INDULGENTIARUM.

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Fr. Iucundus a Montonio, Ord. Min. Cap. Procurator Generalis, S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia solvenda proposuit:

I. Quaenam sit formula adhibenda ad impertiendam absolutionem generalem Regularibus modo privato, id est, immediate post sacramentalem confessionem?

II. Utrum Superior regularis aut eius delegatus, cum absolutionem generalem propriae communitati impertit, et ipsemet eamdem recipiat, an alius sacerdos ei impertire debeat?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, respondendum censuit:

Ad I. Ad S. Rituum Congregationem.

Ad II. *Affirmative* ad 1^am^ partem; *Negative* ad 2^am^.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr. die 1. Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst.*

2. *Pro absolutione generali post sacramentalem absolutionem formulam breviorem adhiberi posse conceditur.*

E S. CONGR. RITUUM.

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens humillimis precibus Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in Absolutione Generali modo privato, id est immediate post sacramentalem Absolutionem a Regularibus impertienda, adhiberi valeat formula brevior, quae pro Tertiariis Saecularibus concessa fuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

§ 9. *Ordo Minorum quoad Indulgentiam Portiunculae.*

1023. Compertum est omnibus, Indulgentiam plenariam, primitus pro sola Ecclesia Portiunculae a primis Vesperis kalendarum

Augusti usque ad Vesperas seu usque ad occasum solis sequentis diei (die 2ª Augusti) concessam, fuisse deinde extensam *in perpetuum* ad omnes Ecclesias Ordinis Seraphici. Specialis praerogativa huius indulgentiae, in toto Orbe celeberrimae, illa est, ut possit acquiri pluries eadem die, seu *toties quoties*. Hanc Indulgentiam, utpote notissimam, innuisse sufficiat (Videatur *Raccolta*, pag. 556, edit. 1898; nostra *Collectio Indulg.*, ubi ex professo de ea tractatur).

Indulgentia *toties quoties* ad instar Portiunculae concessa est etiam aliquibus Confraternitatibus, ut in sequentibus notis dicitur.

Nota prima. Indulgentia ad instar Portiunculae, *toties quoties* acquirenda, ex indulto Gregorii XIII concessa est, confirmata a Leone PP. XIII, *Sodalibus Cincturatis* S. Augustini pro die Nativitatis B. M. V., et pro Dominica sequente festum S. Nicolai de Tolentino, visitantibus *capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis* (*Decr. auth.* S. C. I. n. 446; *Collect. Indulg.* pag. 445 sq.).

Nota secunda. Indulgentia *toties quoties* concessa est *omnibus Christifidelibus*, visitantibus in festo SS. Rosarii *capellam vel effigiem B. M. V. in ecclesia expositam.* Quae indulgentia acquiri potest non solum in ecclesiis Ordinis Praedicatorum, sed etiam in omnibus aliis ecclesiis, *in quibus Confraternitas SS. Rosarii canonice erecta est* (S. C. Ind. die 5 Apr. 1869; 7 Iul. 1885; Leo XIII, 29 Aug. 1899; *Acta S. Sed.* vol. 32, pag. 337, 62; *Collect. Indulg.* pag. 971, n. 2015).

Nota tertia. Indulgentia *toties quoties* ad instar Portiunculae, a Summo Pontifice Leone XIII per decretum S. Congregationis Indulg. diei 27 Ian. 1888 concessa est *omnibus Christifidelibus*, visitantibus in Dominica tertia Septembris (quo die celebratur festum septem Dolorum B. M. V.) ecclesiam Ordinis Servitarum B. M. V., vel *Tertii Ordinis* praefati Ordinis, vel aliam ecclesiam, *ubi erecta sit Confraternitas septem Dolorum.*

In locis, ubi nulla adest ecclesia neque Ordinis, neque *Confraternitatis* septem Dolorum, fideles qui eidem Confraternitati sunt adscripti, lucrari possunt omnes indulgentias visitationi dictarum ecclesiarum adnexas, visitando *ecclesiam parochialem* (S. C. Indulg. Decr. 27 Apr. 1887 ad 8ᵐ et in fin.; *Acta S. Sed.* vol. 19, pag. 557: et vid. *Collect. Indulg.* pag. 952, n. 1946).

Nota quarta. Indulgentia *toties quoties* concessa est omnibus Christifidelibus, visitantibus die 16 Iulii aliquam ecclesiam vel publicum oratorium *Ordinis Carmelitici;* tacetur autem de ecclesiis Tertii Ordinis et Confraternitatum eiusdem Ordinis (Breve 16 Maii 1892, apud *Acta S. Sed.* vol. 24, pag. 741; et vid. *Collect. Indulg.* pag. 949, n. 1935).

Porro confratres et consorores, si in locis versantur, ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede eiusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, *respectivam parochialem ecclesiam* statis diebus visitando, ac reliqua pia opera iniuncta adimplendo (Pius IX, Breve 15 Ian. 1855; S. C. Indulg. 27 Apr. 1887 ad 8^m^ dub.; et vid. *Collect. Indulg.* loc. cit.).

Nota quinta. Postremo Indulgentia *Portiunculae* faciliori modo lucranda, indulta est etiam Tertio Ordini Saeculari Franciscali, uti videbimus infra in novissimo elencho Indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis.

§ 10. *Concessio facta Ordini Minorum quoad indulgentias in erectione novi Conventus.*

1024. Erectione *novi Conventus* canonice peracta, ecclesia sive oratorium publicum eidem adnexum, *statim ac fuerit benedictum vel consecratum, particeps fit indulgentiarum,* quae ceteris ecclesiis Ordinis concessae sunt. Sane Romani Pontifices in Bullis vel Brevibus, quibus elargiuntur indulgentias *omnibus Christifidelibus* ecclesias Ordinis Minorum statuta die visitantibus, non solent coarctare gratiam ad ecclesias *erectas* tantum, sed etiam ad ecclesias *in posterum erigendas,* idque vel *implicite* aut *explicite.* Benedictus XIII, ex. gr., in concessione indulgentiae plenariae pro festo SS. Martyrum Gorcomiensium die 9 Iulii, et Clemens XII pro festo SS. Stigmatum S. P. Francisci die 17 Septembris, his utuntur verbis « ... omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus... qui aliquam ex ecclesiis tam Fratrum quam Monialium Ordinis Minorum *ubicumque existentium...* singulis annis devote visitaverint... plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam... concedimus » (Vid. Brevia *apud Chronol. Ord.* P. Perusini, tom. II, pag. 108 et 155).

Idem Benedictus XIII pro festo S. Iacobi Piceni die 28 Novembris et idem Clemens XII pro festo BB. (nunc SS.) Martyrum Iaponensium die 5 Februarii, plenariam indulgentiam concesserunt omnibus Christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque Conventuum (vel Domorum) et Monasteriorum *hactenus erectis et imposterum quomodocumque erigendis,* et ubicumque locorum existentibus... visitaverint (Vid. Brevia loc. cit. pag. 99 et 222).

Similiter Benedictus XIV in Brevi *Redemptoris* die 23 Aug. 1746, pro festo S. Petri Regalati, die 13 Maii, concessit indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus « qui aliquam ex ecclesiis *quorumcumque Conventuum, Monasteriorum et Domorum Regularium tam Fratrum quam Monialium praedicti Ordinis* (Minorum)... *hactenus erectis et imposterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus... visitaverint* » (Vid. Breve loc. cit. pag. 371).

Praelaudatis Romanis Pontificibus iam praeiverat in enunciato concessionis modo, praeter alios, Sixtus V, qui plenariam indulgentiam concessit, tam omnibus et singulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, et de Observantia nuncupatorum Fratribus et Monialibus, quam ceteris utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sanctissima Communione refecti, diebus festis Sanctorum Francisci, Antonii de Padua, Bonaventurae, Ludovici Episcopi et Confessoris, ac Bernardini praedictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capuccinorum et de Observantia; nec non die festivitatis S. Clarae Monialium dicti Ordinis Monasteriorum ubilibet constitutorum ecclesias, *tam erectas, quam erigendas,* vel earum aliquam, a primis vesperis usque ad occasum solis eorumdem dierum, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia... pias ad Deum preces effuderint » (Vid. Breve penes Lantuscam verb. *Indulg.*).

Brevia Apostolica nunc relata et alia quae omittuntur, evincunt, indulgentias Ecclesiis Ordinis Minorum concessas, illico absque nova concessione intelligi extensas ad novas ecclesias vel publica oratoria, quae novis Conventibus et etiam Hospitiis, idest parvis Conventibus, reperiuntur adnexa, dummodo rite et canonice erecta

fuerint, *cum licentia* nempe *Episcopi et beneplacito Apostolicae Sedis.*

§ 11. *Privilegium Ordinis Minorum deserendi Conventus.*

1025. Sixtus IV, per Bullam concessit *Generali* Fratrum Minorum (Observantiae) licentiam et facultatem, ea loca, quae Fratribus suis minus commoda esse cognoverit, dimittendi in manibus *Ordinariorum locorum,* et illa licite deserendi, prout ei visum fuerit expedire. Super quo eiusdem Generalis conscientiam onerat. Et hoc voluit, non obstante Constitutione Bonifacii VIII, prohibente loca semel recepta non deseri et aliis Apostolicis Constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quoad hoc tamen privilegium prae oculis haberi debet Constitutio *Romanos Pontifices* Summi Pontificis Leonis XIII, octavo Idus Maii 1881, in qua plures controversiae inter Episcopos Angliae et Regulares dirimuntur.

§ 12. *Privilegium in Ordine Minorum pro senibus et infirmis Religiosis Ordinis Minorum.*

1026. I. Benedictus XIV benigne concessit, « ut Fratres et Moniales Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium iurisdictioni subiecti, qui ex causis *senectutis, infirmitatis ac imbecillitatis* in valetudinariis diversantur, *visitato oratorio aut sacello* in eodem valetudinario existente, *indulgentias omnes* hactenus concessas et in posterum a Summis Pontificibus concedendas ecclesiis eiusdem Ordinis, lucrari possint et valeant, acsi ecclesiam eiusdem Ordinis visitarent; reliquis expletis iuxta praescriptum explendis » (Rescriptum 11 Sept. 1755, apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 81; Minderer, part. II, Cf. 7, pag. 340; *Chronolog. Ord. Min.* P. Augustini a Neapoli, pag. 193).

Similis gratia Religiosis Ordinis Minorum Capuccinorum fuerat iam pridem concessa a Benedicto XIII sub die 24 Aprilis 1725 (*Chronolog.* loc. cit.).

II. Immo Religiosi et Moniales *infirmi* et *convalescentes* in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere

non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria*, et orando pro exaltatione S. Matris Ecclesiae etc., lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrati fuissent, visitando propriam suam ecclesiam (Ex Summario Indulg. Ord. Seraph. apud *Resc. auth.* pag. 386, 4°).

III. Habetur insuper in citato loco n. 52: « Infirmi et decrepiti, qui non possunt adire ecclesiam, lucrantur indulgentias *in cella sua* ex concessione Sixti IV, Pauli V, et ex privilegio Clementis VIII ad instantiam Rmi P. Fr. Ioannis Baptistae de Molles, Commissarii Generalis, in infirmitorio. Fratres et Moniales, qui *opem ferunt curandis infirmis*, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut conventus, lucrantur indulgentias sicut alii Religiosi assistentes in eodem conventu ».

IV. Quoad onus *recitandi divinum Officium* dicitur (Ibid. n. 44): « Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco Officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a Confessario suo, et si infirmitas sit gravis, et medicus ita iudicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare ».

§ 13. *Fratres Minores quoad Tertium Ordinem saecularem S. P. Francisci.*

1027. Ex benigna concessione Apostolicae Sedis, *suprema directio* Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci pertinet ad Superiores Primi et Tertii Ordinis Regularis; ipsis proinde ius inest erigendi Congregationes Tertiariorum, eisque adscribendi Christifideles, eorumque professionem recipiendi, nec non Absolutionem generalem et Benedictionem papalem statutis diebus, iuxta Summorum Pontificum concessiones, eisdem impertiendi, et etiam ad praedicta omnia munia Episcopos ac Presbyteros saeculares delegandi; servato tamen iure Episcopi quoad consensum pro erectione novae Tertiariorum Congregationis (Leo PP. XIII, Const. *Misericors Dei Filius; Decr. S. C. Indulg.* 31 Ian. 1893; et cf. *Collectio Ind.* de Tertio Ord. pag. 724 sqq.).

§ 14. *Fratres Minores quoad erectionem Confraternitatis Chordigerorum.*

1028. *a)* Summus Pontifex Sixtus V, Constitutione, quae incipit: *Ex supremae dispositionis*, de dato 19 Novembris 1585 motu proprio et certa scientia erexit et instituit in ecclesia S. P. N. Francisci civitatis Assisii, ubi corpus Seraphici Patriarchae quiescit, Archiconfraternitatem Chordigerorum, *fidelium* nempe *utriusque sexus, qui chordam per eiusdem Ordinis* (Minorum) *Fratres geri solitam ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur sub invocatione eiusdem S. Francisci.* Sciebat enim Pontifex, Seraphicum Patrem tanta praestitisse sanctitate, tot tantisque claruisse signis et miraculis, *ut pene omnes ad sui devotionem et imitationem pertraxerit, multique ex ipsis Christifidelibus chordam similem ei, qua ipse, dum in hoc saeculo versaretur, cinctus erat, hodie deferant* (Cf. cit. Const. apud Waddingum, tom. XXII, pag. 354.).

b) Vigore memoratae Constitutionis ius erigendi ubique in ecclesiis Franciscalibus Confraternitatem Chordigerorum est penes Ordinem Minorum Conventualium, *privative quoad omnes, ubi ipsi existunt.* Omnes autem Chordigerorum Confraternitates in posterum erigendas laudatus Pontifex Sixtus V aggregavit *ex tunc* Archiconfraternitati Assisiensi. Quod confirmatur ex Constitutione Pauli V *Nuper Archiconfraternitati* sub dato 11 Martii 1607, ubi legitur: Quae quidem Confraternitates, si et postquam erectae et institutae fuerint, eidem Archiconfraternitati S. Francisci Assisiensis, iuxta praedictam Sixti V Constitutionem, *sint et esse intelligantur aggregatae.*

c) In locis vero, *in quibus non existunt Conventus Ordinis Minorum Conventualium,* praedictas Confraternitates erigere possunt *Minores de Observantia in suis ecclesiis,* ex concessione Sixti V, Constitutione *Divinae charitatis* diei 29 Augusti 1587; Pauli V, Constitutione *Nuper Archiconfraternitati* supra citata; et Clementis X, Constitutione *Dudum felicis* de die 13 Iulii 1673 (Cf. Ferraris, verb. *Confraternitas,* art. I, n. 22 et 23).

d) Unde Paulus V in citata sua Const. *Nuper* etc., edita pro Confraternitatibus erectis et erigendis a nostra Religione Minorum de Observantia, ait:

Cum autem ex concessione fel. rec. Sixti PP. V Praedecessoris Nostri, dilectis Filiis Ministro Generali et Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia *in ecclesiis eorum Ordinis,* in locis videlicet, in quibus *ecclesiae vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, huiusmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi et instituendi facultas impertita fuerit,* Nos eisdem Ministro Generali et Commissario Generali specialem gratiam facere, et *Christifidelium* spirituali consolationi prospicere volentes... tenore praesentium facultatem et auctoritatem *perpetuo duraturam* concedimus et impertimur, ut in ecclesiis eorum Ordinis tantum, ac in locis, in quibus non existunt Conventus, vel ecclesiae Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, *Confraternitates Chordigerorum* S. Francisci utriusque sexus *erigere* et *instituere,* illisque sic erectis et institutis indulgentias et gratias spirituales supradictas (nempe ipsis iam concessas) communicare libere et licite *possint et valeant,* servata tamen forma in praedictis Constitutionibus Sixti et Clementis tradita (Vid. Ferraris loc. cit., ubi ex integro refertur Pauli V Constit.).

e) In locis, ubi non existunt *Conventus Minorum Conventualium et Observantium,* Chordigerorum Confraternitates erigere potest in suis ecclesiis Minister Generalis Tertii Ordinis regularis, illasque sic erectas et institutas praefatae Archiconfraternitati Assisiensi cum omnibus et singulis indulgentiis aggregare; idque ex concessione Gregorii XV per suam Constitutionem incipientem *Alias a fel. rec. Sixto PP. V,* de die 27 Iunii 1622 (Vid. Bullam in lib. sup. cit. *De Chordigeris,* p. 32).

f) Die 14 Dec. 1904 concessit Pius X Superioribus Ordinis Capucinorum potestatem erigendi, de consensu Ordinariorum, confraternitatem Chordigerorum in ecclesiis locorum, ubi non exstant ecclesiae aut conventus Fratrum Minorum Conventualium.

g) Benedictus XIII per Constitutionem *Sacrosancti Apostolatus* die 30 Sept. 1724, Ministro Generali Ordinis Minorum Conventualium concessit, ut in locis, *in quibus ecclesiae dicti Ordinis*

non existunt, de Ordinariorum licentia *Confraternitates Chordigerorum erigere et instituere possit et valeat* cum omnibus privilegiis et indulgentiis (Cf. dicta Constit. apud lib. *De Chordigeris,* p. 76).

h) Receptio fidelium in dictas Confraternitates spectat, iuxta Pontificias Constitutiones, ad Superiores Ordinis Minorum, *intelligendo per Superiores,* ut declarat Sixtus V, *etiam Guardianos et Praesidentes.* Volumus, ait Pontifex in Const. *Divinae charitatis,* ut chordam Ordinis S. Francisci, quam confratres utriusque sexus gestare debent, *Superiores Ordinis Minorum benedicant.*

i) Idem Sixtus V et Paulus V concedunt *indulgentiam plenariam* omnibus Christifidelibus, qui in *memoriam et reverentiam S. Francisci* chordam benedictam ab eiusdem Ordinis Superioribus suscipientes, praedictas Confraternitates ingrediuntur. Ubi, ut vides, indicatur praecipuus finis huius piae Societatis, qui est *specialis honor* tam mirabili Sancto exhibendus.

j) Ex benigna Summi Pontificis Pii IX concessione per Rescr. 23 Apr. 1876, Guardiani et Praesidentes, *in casu legitimi impedimenti,* quemlibet Religiosum ex familia, qui sit Confessarius approbatus, subdelegare possunt tum ad benedicendam chordam, tum ad Absolutionem et Benedictionem Chordigeris in *articulo mortis* constitutis impertiendam (*Rescr. auth.* S. C. Ind. pag. 666; et vid. nostra *Collectio Indulg.* pag. 1026).

§ 15. *Fratres Minores quoad Piam Unionem S. Antonii Patavini in ecclesia S. Antonii de Urbe canonice erectam, et quoad alias concessiones in honorem eiusdem Sancti.*

1029. Approbante Rmo P. Ministro Generali Ordinis Minorum, eiusque Definitorio, in ecclesia S. Antonii de Urbe prope Lateranum instituta fuit Pia Unio universalis a S. Antonio Patavino nuncupata, et canonice erecta ab Eminentissimo Cardinali Lucido Maria Parocchi Vicario Sanctitatis Suae, qui eiusdem ecclesiae primarium lapidem posuit, ac deinceps templum, assistentibus decem ex Ordine nostro Praesulibus, solemni ritu consecravit. Mox a Sede Apostolica indulgentiis ditata, in universo terrarum orbe propagata fuit Unio, cuius statuta sequuntur:

Caput I.

Finis Piae Unionis.

Huius Piae Unionis finis duplex est:

Art. I. Gratias agere Deo munificentissimo, qui tot eximia gratiarum dona S. Antonio Patavino contulit, et non solum in coelis, sed et in toto terrarum orbe glorificat.

II. Rogare S. Antonium, ut omnes, qui rebus ad salutem animae et corporis necessariis destituti existunt, vel primum regnum Dei et iustitiam eius quaerunt, haec omnia, sancto Antonio intercedente, inveniant. Hinc:

a) Ut pagani, increduli, hebraei, haeretici et schismatici veram fidem inveniant, quam nunquam habuerunt vel misere perdiderunt.

b) Ut peccatores, quos tantopere adamavit S. Antonius, divinam gratiam, quam propria culpa amiserunt, recuperent, ad veram poenitentiam reducti.

c) Ut Fratres et Sorores trium Ordinum S. P. Francisci seraphici spiritus thesaurum, quem super omnia quaesivit S. Antonius, quaerant et ipsi indesinenter, secundum propriam Regulam et Constitutiones, ac tandem inveniant, vel inventum cum omni sollicitudine custodiant.

d) Ut panem quotidianum ad vitae sustentamentum necessarium pauperes inveniant.

e) Ut fortunae vel famae bona reperiant, qui tribulationibus vel calamitatibus oppressi illa amiserunt.

Caput II.

Obligationes.

III. Ad assequendos descriptos fines Christifideles adscripti debent:

Recitare quotidie tria *Gloria Patri* in gratiarum actionem SS. Trinitati, quae tantam intercessionis potentiam Thaumaturgo nostro impertire et elargiri dignata est.

IV. Singulis diebus recitare Responsorium *Si quaeris* in honorem S. Antonii, vel qui nesciunt, unum *Pater, Ave* et *Gloria.*

V. Aliquam eleemosynam pauperibus erogare, quoties S. Antonii intercessione ac patrocinio aliquam gratiam obtinuerint.

VI. P. Directori Piae Unionis, ut infra, communicare narrationem gratiarum et favorum, intercedente S. Antonio, obtentorum; quae quidem narratio, a proprio Confessario vel alia persona fide digna, in quantum fieri potest, subsignata in Archivo Conventus S. Antonii asservabitur.

VII. In festo S. Antonii vel infra Octavam eiusdem Sacramenta Confessionis et Communionis suscipere.

Caput III.

Conditiones pro admissione.

VIII. Omnes utriusque sexus fideles, qui admitti desiderant. Piae Unionis Directori a Ministro Generali instituto et Romae in Conventu S. Antonii, *Via Merulana* 124, commoranti tradere vel transmittere debent nomen, cognomen et nomen patriae ac residentiae.

IX. Fideliter supradictas obligationes adimplere.

Caput IV.

Fructus.

X. Omnes Christifideles cum vix adscripti fuerint, participes sunt fructuum unius Missae, quae pro ipsis ceterisque eiusdem ecclesiae benefactoribus qualibet feria tertia applicatur in praefata ecclesia, in qua ultra quinquaginta Missae quotidie celebrantur.

XI. Virtute communicationis a Rmo P. Generali Ordinis peractae, omnes adscripti participes sunt omnium orationum et bonorum operum, quae in Ordine Minorum S. Francisci, cui ipse praeest, quotidie fiunt.

Approbatio horum Statutorum.

Lucidus Maria, miseratione divina Episcopus Albanensis, S. R. E. Cardinalis Parocchi, SSmi Dni Nostri Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae eiusdem districtus Iudex Ordinarius, etc.

Piam Christifidelium Unionem a S. Antonio Patavino, cuius finis est excitare vel augere devotionem in eumdem S. Thauma-

turgum, eius privilegia recolere ac per eum obtinere a Deo O. M. quae animae et corpori sunt necessaria, Nos potestate nostra ordinaria erigimus in ecclesia illi dicata in via Merulana, prope Archibasilicam Lateranensem, et canonice erectam esse pronuntiamus eiusque Constitutionem quatuor hisce capitulis ac undecim articulis consignatam approbamus.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, die 13 Februarii A. D. 1894.

L. M. Card. Vicarius.
Petrus C. Checchi, *Secretarius.*

Concordat cum suo originali in Archivis Vicariatus adservato. Et fidem etc.

Romae ex Secretaria Vicariatus eiusdem, 14 Februarii 1894.

Petrus Checchi, *Secretarius.*

L. ✠ S.

A) Indulgentiae Piae Unionis sodalibus concessae (Ex Rescr. S. C. Indulg. 4 Maii 1894).

I. Plenariae. 1° Die adscriptionis vel die Dominico eamdem adscriptionem immediate sequenti;

2° Die festo S. Antonii Patavini Conf. Piae Unionis Patroni coelestis; nec non

3° Translationis eiusdem Reliquiarum, quae recolitur quotannis die 15 Februarii;

4° In tredecim feriis tertiis continuis quovis tempore, sed semel in anno tantum, iis sodalibus, qui memoratis feriis pium aliquod exercitium in honorem eiusdem Sancti devote peregerint; dummodo in singulis enuntiatis diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel etiam publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae aliquamdiu pie oraverint;

5° In mortis articulo, si item vere poenitentes, confessi sacraque suscepta Communione vel, si haec praestare nequiverint, saltem contriti semel SS. Iesu Nomen ore, sin minus corde, devote invocaverint;

II. Partiales. 1° *Septem annorum totidemque quadragenarum* in singulis novendialium precum diebus immediate praemittendarum ante festum eiusdem Sancti, quod die 13 Iunii celebratur;

2° *Centum dierum* semel in die devote recitantibus ter *Gloria Patri* in gratiarum actionem SSmae Trinitati ob mira dona eidem Sancto tributa;

3° Pariter *centum dierum,* item semel in die, aliquam precem effundentibus ad fines assequendos, quos sibi proponit Pia Unio. Quas omnes indulgentias eadem S. Congregatio declaravit fore etiam applicabiles animabus igne Purgatorii detentis.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praefectus.*
† Alexander Archiep. Nicopol., *Secretarius.*

B) Aliae indulgentiarum concessiones pro omnibus Christifidelibus. Universis Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitaverint in honorem S. Antonii Patavini responsorium *Si quaeris miracula* cum versu *Ora pro nobis* etc. et oratione *Ecclesiam tuam* etc., quod exstat in nostris Breviariis et Diurnalibus, Pontifex Pius IX benigne concessit *Indulgentiam centum dierum* qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense, in uno die ad arbitrium eligendo, iis omnibus, qui quotidie per mensem dictum Responsorium ut supra recitaverint, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique aliquo temporis spatio oraverint iuxta intentionem Sanctitatis Suae (Decr. 25 Ian. 1866; *Raccolta,* pag. 488).

C) Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 9 Iulii 1896, concedere dignatus est *omnibus Christifidelibus* recitantibus in honorem S. Antonii Patavini tredecim *Pater, Ave* et *Gloria Patri,* indulgentiam *centum dierum,* semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem.

D) Idem Pontifex, per aliud Rescriptum eiusdem S. Congregationis, die 13 Iulii 1896, adnectere dignatus est *indulgentiam centum* dierum sequenti orationi ad S. Antonium, italico ac latino idiomate exaratae ab Emo Card. Parocchi S. S. in Urbe Vicario. Rescriptum per extensum damus:

Beatissime Pater,

Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Vicarius Sanctitatis Tuae, ad thronum eiusdem Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, ad promovendum pium opus, quod *Panis pauperum* in honorem S. Antonii Patavini nomen habet, quamdam indulgentiam implorat a recitantibus sequentem orationem lucrandam.

Orazione a S. Antonio di Padova.

Glorioso Taumaturgo, padre dei poveri, voi che avete prodigiosamente scoperto il cuor di un avaro immerso nell' oro, per il gran dono ottenuto d' aver il cuor vostro nelle miserie degl' infelici, voi che, offerte al Signore suppliche, ne impetraste l' esaudimento, gradite in segno della nostra riconoscenza l' obolo che deponiamo a' vostri piedi in soccorso della sventura.

Torni a vantaggio de' sofferenti, come a nostro vantaggio: agli uni ed agli altri accorrete con l' usata benevolenza in aiuto delle necessità temporali. ma più ancora provvedete alle nostre spirituali necessità, adesso e nell' ora della nostra morte. Così sia.

(Latine): *Oratio ad S. Antonium Patavinum.*

Thaumaturge gloriosissime, pauperum pater, qui avari hominis cor, nummis aureis immersum, mirabiliter detexisti, eo quod divinitus sortitus fueris cor egenis solandis deditum; quique nostras Domino preces offerens, exauditione donatas dimisisti; accipe, grati animi pignus, denarium quod, levandis pauperibus, ante te sistimus. Ipsis insimul prosit et nobis: utrosque, ut soles, temporalis felicitatis auspice benevolentia prosequere, sed aeternam potissimum nobis impetra, nunc potius, ac in hora mortis nostrae. Amen.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus supra relatam orationem corde saltem contrito ac devote recitantibus benigne concessit indulgentiam *centum dierum* semel in die lucrandam, defunctis quo-

que applicabilem. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Iulii 1896.

A. Card. Steinhuber, *Praef.*
† A. Archiep. Nicopol., *Secret.*

E) Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum, quo facultas tribuitur Ministro Generali delegandi Sacerdotes tam regulares quam saeculares ad Christifideles adscribendos *piae Unioni S. Antonii,* itemque centra secundaria stabiliendi.

Beatissime Pater,

Fr. Aloysius a Parma, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, exponit, quod, ineunte anno 1894, ab Eminentissimo Cardinali Vicario Sanctitatis Tuae *Pia Unio S. Antonii Patavini* in ecclesia eidem Thaumaturgo dicata via Merulana prope Lateranum canonice erecta fuerit, et exinde adscriptorum Christifidelium numerus ex omnibus orbis partibus ad *centum millia* circiter excreverit. Quibus praemissis, a Sanctitate Tua enixe implorat orator, ut Sacerdotes tam regulares quam saeculares delegare possit ad effectum utriusque sexus Christifideles in singulis orbis regionibus praelaudatae Piae Unioni adscribendi, cum participatione indulgentiarum, quas Sanctitas Tua eidem Piae Unioni benigne elargiri dignata est; itemque, quoties opus fuerit, eiusdem Piae Unionis centra secundaria in cunctis nationibus constituere valeat.

Quam gratiam etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 6 Aprilis 1895.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*

L. ✠ S. † Alexander, Archiep. Nicopol., *Secret.*

F) Pium exercitium in tredecim feriis tertiis vel tredecim Dominicis.

Summus Pontifex Leo XIII, Brevi 1 Martii 1898, omnibus Christifidelibus, qui in tredecim feriis tertiis continuis vel in tredecim Dominicis pariter continuis, *quolibet intra annum tempore* semel piis meditationibus, vel supplicationibus, vel aliis pietatis exercitationibus ad Dei gloriam eiusdemque Sancti honorem vacaverint, confessis ac sacra Communione refectis, concessit *Indulgentiam plenariam* in qualibet ex dictis feriis vel Dominicis (*Raccolta*, nov. edit. pag. 492; et vid. Breve penes *Acta Ord. Min.* ann. XVII, pag. 69).

Praestat audire Summum Pontificem sic loquentem in cit. Brevi de Thaumaturgo Patavino:

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Iucundo animum Nostrum sensu perfuderunt Nostrisque plane responderunt optatis supplices litterae, quas modo Dilectus Filius Laurentius Caratelli Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Minister Generalis ad Nos dedit significans cupere se atque optare, ut S. Antonii Patavini cultus ubique gentium augeatur in dies singulos et provehatur. Verum catholici omnes propriam habent rationem, cur Beatum Antonium praecipuo prosequantur honore, excolant obsequio. Ille enim singulari Dei concessu et munere gratias et beneficia quotidiana populo christiano conferre ita solet, ut ipsa Ecclesia cohortetur quemlibet fidelem ad eum confugere, si quaerit miracula. Accedit etiam calamitosis hisce temporibus, quod Antonius Patavinus, quasi icto charitatis foedere cum S. Vincentio a Paulo, quodammodo consocietur, atque ambo amice coniurent ad levandas vel saltem deliniendas aerumnas miseriasque tenuioris plebis, ita ut beneficiis alter panem comparet, alter distribuat. Et multis quidem in templis ad stipem cogendam in alimentum egenorum posita est suavis imago S. Antonii in ulnis gestantis Puerum Deum, et quasi gratias ab Eo implorantis, quae imago invitare quodammodo Christifideles ac provocare videtur ad expetenda beneficia, quibus acceptis dant stipem obligatam, quae absumatur in emptio-

nem panis pro pauperculis. Ex quo fit, ut Vincentianae Sodalitates, quae proletariorum familiis necessaria vitae cibaria ex instituto dispensant, validum ab Antonio praesidium et columen sibi polliceantur. Quae cum ita sint, volenti lubentique animo Nos admotis precibus obsecundamus, et ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti *tredecim feriis tertiis continuis et non interpolatis, vel tredecim Dominicis continuis et non interpolatis, quolibet intra annum tempore,* ad cuiusque arbitrium eligendis, piis meditationibus vel supplicationibus vel aliis pietatis exercitationibus ad Dei gloriam et eiusdem Sancti honorem vacaverint, *qua ex his feriis tertiis vel Dominicis id praestiterint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem vel defunctis applicabilem misericorditer in Domino concedimus.* In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1 Martii MDCCCXCVIII Pontificatus nostri anno vigesimo.

G) Indulgentia plenaria in quatibet feria tertia (S. Antonio de Padua dicata) *in Ecclesiis Fratrum Minorum, exposito SS. Sacramento.*

Idem Pontifex Leo XIII Brevi *Ad augendam,* die 3 Iulii 1894, omnibus Christifidelibus *vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione* refectis, qui *expositioni SS. Sacramenti* in Ecclesiis Fratrum Minorum cuiusvis Orbis Provinciae, *singulis feriis tertiis* anni haberi solitae, *per aliquod temporis spatium* devote interfuerint, atque ibi ad mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint; *qua feria* praedictarum id egerint, *plenariam Indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem, benigne *in perpetuum* concessit (Vid. nostra *Collectio Indulg.* pag. 683).

§ 16. *Privilegium Ordinis Minorum erigendi Stationes Viae Crucis.*

1030. Auctoritas *ordinaria,* etsi Apostolicae Sedi subordinata, erigendi Stationes Viae Crucis, est penes Ordinem Minorum. Haec

auctoritas *primario* competit Superioribus; *secundario,* ex Superioris commissione, aliis Religiosis, qui tamen sint *vel Concionatores, vel saltem Confessarii.* De hoc notissimo privilegio abunde diximus in opere « *Collectio Indulgentiarum* » pag. 520 sqq.

Adduntur recentiores declarationes et recentior sanatio erectionum Viae Crucis.

I. *Declaratio circa methodum peragendi pium exercitium Viae Crucis in Oratoriis angustis.*

Dubium. Cum ex Decreto S. C. Indulg. diei 6 Aug. 1757 in tuto positum sit, pium exercitium Viae Crucis peragi aliquando posse absque motu locali de una statione ad aliam; sed iuxta methodum a S. Leonardo a Porto Mauritio praescriptam in publico exercitio, unoquoque de populo locum suum tenente, Sacerdos possit cum duobus Clericis sive Cantoribus circumire ac sistere in qualibet statione, ibique recitare consuetas preces; modo quaeritur:

I. An ista methodus item servari queat, *ob loci angustiam,* in Sacellis domorum Communitatum religiosarum?

Et quatenus *affirmative:*

II. An loco Sacerdotis cum duobus Clericis, *unus tantum e Fratribus non Sacerdos* circumire ac sistere in qualibet statione consuetasque preces recitare valeat?

S. C. die 27 Febr. 1901 respondit: *Affirmative ad utrumque.*

II. *De facultatibus Regularium propriis relate ad clausulam:* Dummodo in dicto loco nullus eorumdem Ordinum Conventus reperiatur.

DECRETUM.

Etsi anteactis temporibus vix unquam evenit, ut una eademque civitas ad duas diversas dioeceses, vel vicariatus, vel apostolicas praefecturas pertinuerit, hodiedum nihilominus id locum obtinet; exemplo sit civitas Londinensis, quae in duas dioeceses dividitur, Westmonasteriensem scilicet, et Southwarcensem. Id vero causae est cur a nonnullis dubitetur, utrum facultates, quae sunt Regularium propriae et quarum exercitium aliis minime conceditur, nisi pro iis locis, in quibus eorundem Conventus non existit, exerceri valeant ab iis, quibus ex speciali indulto fuerunt tributae, si ipsi

commorentur in ea parte civitatis, id est in ea dioecesi, in qua nullus extat Regularium Conventus, quamvis exstet in altera parte civitatis, id est in alia dioecesi. Quae causa dubitandi potissimum est aucta ex Decreto huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 14 Decembris 1857 in una Tornacensi, in qua dubium erat praepositum: « An per loca, in quibus Ordo Minorum Observantium S. Francisci Assisiensis non existit, intelligendum sit in casu civitas, oppidum, pagus, cum respectivis suburbiis, sive in locis eis adiacentibus? », cui responsum fuit: « Affirmative ».

Porro haec S. C. attenta casus novitate, ut omnis ambigendi ratio de medio tollatur, certaque agendi norma in posterum statuatur, sequens dubium dirimendum proposuit: « *An in civitatibus, et generatim locis, in quibus sunt constitutae duae dioeceses, vel vicariatus apostolici* etc., *eae facultates, quae sunt aliquorum Ordinum propriae, quaeque fuerunt concessae per speciale indultum, cum clausula:* dummodo in dicto loco nullus eorumdem Ordinum Conventus reperiatur, *exercere valeant in ea parte civitatis vel loci, in qua nullus adsit Conventus dictorum Ordinum, adsit vero in alia?* ».

Et Emi Patres, in generali Congregatione habita in Palatio Vaticano die 18 Augusti 1903, proposito dubio respondendum mandarunt: *Affirmative.*

De quibus relatione peracta SS. Domino Nostro PP. Pio X in Audientia habita die 28 eiusdem mensis et anni ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 28 Augusti 1903.

A. Card. Tripepi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

R. P. D. Franc. Sogaro Archiep. Amid. *Secr.*
Iosephus M. Can. Coselli *Substit.*

Recentior sanatio erectionis Viae Crucis.

Ab Adm. R. P. Procuratore Generali Ordinis Minorum expositum fuit Summo Pontifici, quod anno 1894 sub die 7 Aprilis S.

Congr. Indulgentiarum sanavit omnes defectus quibuslibet in locis incursos in erectione Stationum Viae Crucis.

Quia tamen, non obstantibus divulgatis opellis modum erigendi Viam Crucis respicientibus, hic illic non omnia observata fuerunt ad validitatem erectionis requisita; ne fideles absque eorum culpa Indulgentiis pio exercitio adnexis privarentur, Orator expostulavit, quatenus omnes Viae Crucis erectiones a die 7 Apr. 1894 hucusque ubique locorum ob quoscumque defectus invalide factas benigne sanarentur.

Et S. Congr. Indulg. utendo facultatibus a Summo Pontifice sibi specialiter tributis petitam sanationem benigne concessit. — Die 27 Maii 1902 (*Acta Ord. Min.* XXI, p. 90).

1031. *Conspectus rerum maioris momenti quoad stationes Viae Crucis in commodum lectorum et maxime eorum, quibus erectio ipsarum incumbit* (1).

1. Stationes Viae Crucis constituuntur ex parte materiae *crucibus,* quae debent esse numero quatuordecim.

2. Quatuordecim cruces debent esse *ex ligno* sub poena nullitatis.

3. Quatuordecim ligneis crucibus adiungi possunt, et laudabiliter adiunguntur, *tabulae* seu imagines sive pictae sive sculptae, quae tamen minime requiruntur ad validitatem stationum.

4. Cruces de necessitate *benedici* debent a Sacerdote, qui ad hoc legitimam habeat facultatem.

5. Imagines, si adsunt, *congruenter* benedicuntur; earum tamen benedictio non est necessaria.

6. Benedictio crucium tam valide quam licite fieri potest sive *ante* sive *post* earum affixionem. Idem dicendum de imaginibus, si hae quoque benedici velint.

7. Benedictio crucium fieri debet *ab erectore* non privatim in propria domo, sed in loco, ubi stationes sunt erigendae.

(1) Documenta authentica comprobantia assertiones, quae hic afferuntur videantur in nostra *Collectio Indulgentiarum* vel *Directorium S. Viae Crucis,* vel apud Sleutjes, *Instructio* de Stationibus S. Viae Crucis erigendis.

8. Erector tamen non tenetur *per seipsum* cruces et tabulas collocare; alter quicumque eas affigere et collocare potest privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore.

9. Quare Sacerdos erigens, benedictione tabularum et crucium facta, *potest in domum suam reverti,* quin exspectet, ut cruces parieti affigantur.

10. Exinde consequitur, erectorem non teneri stationes percurrere easque visitare, ut valida sit erectio.

11. Pro legitima Viae Crucis erectione in aliquo *Sanctimonialium* monasterio sufficit, ut cruces benedicantur ad crates.

12. Ad valorem stationum Viae Crucis necessaria est etiam crucium *affixio.*

13. Inter unam aliamque stationem intercedere debet *aliqualis distantia,* quae tamen non est determinata.

14. Si cruces primitus benedictae *omnino* pereant, nova erectio canonica necessaria est. Si pereant *ex minori parte,* et ideo *ex minori parte* renovari debeant, licet alias illis substituere absque ulla benedictione, ideoque indulgentiarum beneficium non amittunt.

15. Si cruces aut partim aut integre e loco suo *removeantur* ad tempus, *ut denuo eidem loco restituantur,* indulgentiae non pereunt, ac ideo nova erectione non indigent.

16. In casu *remotionis,* si stationes *in aliam ecclesiam vel oratorium* transferantur, indulgentiae non lucrantur, nisi nova canonica erectio facta fuerit.

17. *Mutatio crucium* seu stationum de loco in locum *in eadem ecclesia* non importat annihilationem indulgentiarum, ac ideo nova erectio non requiritur.

18. Si stationes *definitive* in aliam ecclesiam seu oratorium transferantur, nova erectione opus est.

19. Relate ad stationes Viae Crucis *in oratorio privato, Indultum* a S. Sede impetratum eas erigendi non cessat in casu, quo persona, quae illud obtinuit, *alio transferat habitationis sedem, vel oratorium in eadem domo mutet,* illud ex. gr. constituendo in alio cubiculo: dummodo tamen locus, in quo peracta est erectio Viae Crucis, neque in precibus, neque in Rescripto *determinetur.*

20. Ex huiusmodi tamen mutatione oratorii oritur necessitas *novam erectionem peragendi,* in qua omnia observanda sunt, quae observari debent in prima erectione.

21. Sacerdos legitime deputatus ad erectionem in priori oratorio domestico iam factam, non potest *vi prioris tantum delegationis* novam erectionem in oratorio mutato peragere; requiritur *nova deputatio* seu *facultas.*

22. Mortuo *primario* vel *primariis indultariis,* illico privilegium cessat, ac ideo aliae personae, quae *secundario loco* in Rescripto nominantur, nequeunt amplius dicto privilegio frui.

23. Plures stationes, ad maiorem populi vel alicuius Conventus commoditatem, erigi possunt in eodem loco, ut in civitate, oppido, ecclesia et conventu, etiam sub dio.

24. Loca, in quibus stationes Viae Crucis constituuntur, debent esse *decentia ac irreverentiis non obnoxia.*

25. Auctoritas *ordinaria,* subordinata tamen Apostolicae Sedi, est penes Ordinem Minorum S. Francisci.

26. Minister Generalis facultatem erigendi Viam Crucis delegare potest tam Sacerdotibus subditis, quam non subditis. Ceteri vero Ordinis Superiores suis tantum subditis religiosis praefatam facultatem committere possunt.

27. Fratres Minores, ex privilegio S. Sedis, facultate gaudent erigendi stationes Viae Crucis in ecclesiis, oratoriis publicis vel semipublicis, in coemeteriis, in locis internis, sed *decentibus et communibus* conventuum, seminariorum, hospitalium, aliorumque locorum piorum; item in oratoriis privatis, quae *privilegio* celebrandi ibi Missam sunt decorata.

28. Excipiuntur oratoria privata seu domestica *dicto privilegio Missae destituta,* nec non *cellae privatae cuiuscumque personae.* Pro Viae Crucis erectione in huiusmodi locis requiritur speciale indultum S. Sedis.

29. Respectu *locorum* facultas erigendi stationes Viae Crucis aequalis est in omnibus Superioribus Ordinis Minorum *in suis tamen respectivis jurisdictionis locis.* Quare quod potest Minister Generalis ubique locorum, potest Provincialis in sua provincia, Guardianus in suo districtu etc. Guardianus proinde, prout Mini-

ster Generalis et Provincialis, iure Viam Crucis erigit sive per se, sive per suum subditum ab eo deputatum, in ecclesiis, oratoriis publicis vel semipublicis, oratoriis domesticis privilegio celebrandi inibi Missam ditatis etc.

30. Sacerdotes Ordini Seraphico extranei, facultate erigendi Viam Crucis muniti, ea uti possunt in locis tantum, *ubi non existit Conventus Ordinis Minorum.* Haec limitatio *sub poena nullitatis* apponitur in Rescriptis.

31. Qui obtinuit facultatem erigendi stationes Viae Crucis, eam debet exhibere Ordinario, quae tamen obligatio non videtur praescripta sub poena nullitatis. Ab hac obligatione eximuntur, generatim loquendo, alumni Ordinis Minorum, utpote qui iure ordinario erigunt. Quoad *ceteros Religiosos,* sufficit testimonium proprii Superioris, in quo fiat mentio obtenti Rescripti.

32. Quae *in scriptis* fieri debent *ante* erectionem *sub poena nullitatis* sunt: Sacerdotis erigentis *deputatio,* et *consensus* respectivi Ordinarii loci et Parochi, nec non Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis, loci pii etc. Haec tamen omnia sunt observanda, quando loca, in quibus stationum erectio fieri debet, pendent a iurisdictione Episcopi et Parochi; quia in locis exemptis ab eorum iurisdictione, ut sunt ecclesiae et conventus Regularium, sufficit ut scripto fiat *Sacerdotis erigentis deputatio et Superioris conventus consensus.* Immo si ipse Superior erectionem scripto postulaverit et ad eam faciendam scripto deputatus fuerit, in his actis consensus eius implicite habetur, ac ideo nihil aliud ante erectionem requiritur.

33. Postulatio erectionis non praescribitur ut in scriptis fiat sub poena nullitatis.

34. *Post* erectionem a Sacerdote erigente fieri debet instrumentum erectionis iam peractae, et hoc *quam citius,* ne dubium in posterum oriatur circa praedictam canonicam erectionem.

35. Pro erectione Viae Crucis in *oratoriis domesticis* requiritur *in scriptis ante* erectionem et quidem *ad validitatem,* consensus Episcopi seu Ordinarii (non vero Parochi) et domini domus; et si oratorium in alium locum transferatur, nova erectio necessaria est cum iisdem documentis in scriptis ante erectionem sub poena nullitatis.

36. Memorata documenta minime requiruntur in casu renovationis stationum; tunc sufficit novarum crucium benedictio.

37. Leo PP. XIII die 7 Aprilis 1894 ac denuo die 27 Maii 1902 sanavit omnes erectiones hucusque ob quoslibet defectus invalide factas.

38. Indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae plurimae sunt, sed earum determinatus numerus exhiberi nequit.

39. Praefatae indulgentiae, etiam noctis tempore acquiri possunt.

40. Toties quoties, iuxta saltem probabiliorem sententiam, lucrari possunt.

41. Conditiones ad lucrandas indulgentias exercitio Viae Crucis adnexas, praeter statum gratiae, tres praecipuae sunt: *a)* meditari passionem Domini; *b)* transire de una statione ad aliam; *c)* visitare quatuordecim stationes sine interruptione saltem morali.

Sequuntur duo ultima Decreta:

In erectione Stationum Viae Crucis, Cruces affigi possunt super scamna, dummodo sint inamovibilia et satis erecta.

VENETIARUM.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, circa locum, ad quem Cruces affigi debeant in erectione Stationum Viae Crucis, sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum ad validitatem erectionis sit essentialis conditio, ut Cruces ad parietem tantum affigantur; an vero affigi possint etiam supra scamna, quin erectio sit invalida?

Et quatenus affirmative quoad 1^{m}:

II. Utrum erectiones dictarum Stationum cum affixione Crucium supra scamna, convalidatae censendae sint a recentioribus Decretis huius Sacrae Congregationis, quibus sanati fuerunt omnes defectus admissi in erigendis Stationibus?

Et Emi Patres, ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1904, responsum dederunt:

Ad I^{m} Quad 1^{m} partem *Negative;* quoad 2^{m} *Affirmative,* dummodo scamna sint inamovibilia et satis erecta.

Ad II^{m} Erectiones Stationum cum affixione Crucium supra scamna inamovibilia non indigere sanatione; erectiones vero Statio-

num cum affixione Crucium supra scamna amovibilia convalidatas quidem esse a recentioribus Decretis huius S. C.; iniungitur tamen, ut Cruces a scamnis amovibilibus removeantur, et ad locum stabilem affigantur.

De quibus relatione facta SSmo Dno Nostro Pio PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 14 Septembris 1904, Sanctitas Sua Emorum Patrum responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 14 Septembris 1904.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Indulgentiae Viae Crucis non cessant, si destructa veteri ecclesia, nova aedificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo.

Fr. Bonaventura Marrani Ordinis FF. Minorum Procurator Generalis ab hac S. Congregatione Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulat.

Ex Decreto huius S. C. in una *Leodien.* d. d. 9 Augusti 1843 indulgentiae non cessant, si, destructa veteri ecclesia, nova aedificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo. Quaeritur:

Utrum praefata resolutio applicetur etiam Stationibus S. Viae Crucis legitime erectis, ita ut in casu ecclesiae ex toto reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo praeexistens privilegium S. Viae Crucis non cesset, si S. Via Crucis, quae in veteri ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in ecclesiam reaedificatam, prout dictum est, transferatur?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 7 Iunii 1905.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

Pro R. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodic.

Iosephus M. Can. Coselli, *Substit.*

§ 17. *Privilegium in Ordine Minorum benedicendi Crucifixos cum applicatione Indulgentiarum Viae Crucis.*

1032. I. Romani Pontifices benigne indulserunt, ut *infirmi, navigantes, carceribus detenti, et illi, qui morantur in partibus infidelium, vel in vera impossibilitate reperiuntur visitandi Stationes Viae Crucis,* lucrari possint indulgentias dictarum Stationum, recitando *quatuordecim* PATER, AVE et GLORIA, et in fine *alia quinque* PATER AVE et GLORIA in memoriam quinque Vulnerum D. N. I. C., et aliud *Pater, Ave* et *Gloria* pro Summo Pontifice, *manu tenentes Crucifixum,* ex aurichalco vel ex quacumque alia materia *solida,* benedictum a Ministro Generali Ordinis Minorum, vel a Provinciali, aut a Guardiano quocumque, sive Praeside vel Vicario, in absentia Guardiani, subiectis praefato P. Generali, vel etiam ab aliquo Sacerdote eiusdem Ordinis Minorum aut etiam ab eo extraneo, cui tamen delegata fuerit huiusmodi facultas ab eodem P. Ministro Generali Ordinis Minorum (Clemens XIV, Rescr. diei 26 Ian. 1773; Pius IX, Brev. 11 Aug. 1863. Vid. *Raccolta,* pag. 127; nostra *Collectio Indulg.* pag. 557 sqq.).

II. Iuxta primaevam concessionem huius privilegii, Crucifixus pro exercitio Viae Crucis benedictus, *personae dumtaxat,* quae eam possidebat, *prodesse poterat* quoad indulgentias lucrandas; privilegium enim erat *personale.* Verum Summus Pontifex Leo XIII, postulante Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali Ordinis Minorum, per Rescriptum S. Indulg. Congr. de die 19 Ian. 1884, dignatus est privilegium huiusmodi ampliare, concedens, ut, quando *plures fideles legitime impediti a visitandis stationibus in ecclesia vel in alio loco canonice erectis,* recitant viginti *Pater, Ave et Gloria* IN COMMUNI, sufficiat, ut *una tantum persona,* quaecumque ea sit ex communitate, crucifixum benedictum manu teneat, ut sic omnes in communi orantes, indulgentias Viae Crucis consequantur, dummodo tamen ceteri omnes, *aliis quibusque curis semotis,* se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet crucifixum (Vid. loca citata).

III. CONCESSIO SPECIALISSIMA, sed TEMPORANEA. *Favore illorum fidelium, quos gravis morbus impares reddit recitandis viginti*

Pater, Ave et Gloria, Summus Pontifex Leo PP. XIII s. m., ad preces Rmi Patris Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, pro tempore, per litteras in forma Brevis indulgere benigne consuevit, ut praefatus Minister Generalis, *durante munere,* concedere possit, ut eorum loco ad acquirendas indulgentias Viae Crucis ore recitent *actum contritionis,* et invocationem « *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti* », ac mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria.* — Eadem gratia concessa est nuperrime ab eodem Summo Pontifice Rmo P. Dionysio Schuler Ministro Generali dicti Ordinis, his verbis: « Largimur... ut pariter donec Ministri Generalis Ordinis tui munere fungaris, iis tantum fidelibus, *qui deficientibus gravi morbo viribus,* recitandis *viginti Pater, Ave* et *Gloria* omnino impares sint, concedere possis, ut eorum loco ad acquirendas Indulgentias Viae Crucis ipsi ore recitent *Actum contritionis* et *invocationem ‚Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti'*, et mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave* et *Gloria...* » (Breve incip. *Oblatis Nobis,* die 12 Iun. 1903 apud *Act. Ord. Min.* Ann. XXII, pag. 103).

Quia talis concessio non perpetua, sed temporanea est, nempe *durante munere,* oportet, ut quilibet Superior Generalis Ordinis Minorum eamdem postulet a Summo Pontifice et obtineat, si eidem Summo Pontifici concedere placuerit.

§ 18. *Privilegium in Ordine Minorum constituendi pias Sodalitates Viae Crucis perpetuae.*

1033. Ut fideles Christo in carne passo cogitatione passionis eius saepe saepius unirentur, modum ad id congruum vereque dignum excogitavit ac invenit pietas christiana. Modus hic in eo est situs, ut Viae Crucis exercitium *singulis mensibus* vel *hebdomadis* a devotis fidelibus, pia Societate inter se coniunctis, peragatur, ita ut *continuum ac perpetuum aliquo modo reddatur.* In hunc finem *pia Societas* constituta est *a S. Via Crucis perpetua* nuncupata, cuius auctores extiterunt Religiosi Ordinis Minorum decurrente decennio ab anno 1860 ad annum 1870.

1034. Summus Pontifex Leo PP. XIII Brevi de die 21 Ianuarii 1879 dictam *Societatem Viae Crucis perpetuae* commendat ac indulgentiis ditat. — Per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum datum 15 Martii 1884 *sedes primaria* praefatae piae Societatis ab ecclesia Conventus Burdigalensis Ordinis nostri transfertur *ad ecclesiam Aracoelitanam Urbis Romae.*

1035. Ad ordinandam hanc piissimam omnique laude dignam Societatem et ad notitiam ac uniformem directionem Sodalium, propriae regulae seu Statuta confecta sunt, a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali Ordinis Minorum sub die 10 Februarii anni 1885 libenti animo approbata, ac vehementer in Domino commendata (1).

1036. Statuta piae Societatis a S. Via Crucis perpetua nuncupatae sunt sequentia:

a) Natura huius Societatis. Pia Societas a *S. Via Crucis perpetua* quaedam est Christifidelium communio, qui Viae Christi dolorosae tam salutiferum exercitium singulis hebdomadibus vel saltem singulis mensibus ad determinatos fines peragere intendunt, et quodam modo perpetuum reddere sibi proponunt.

b) Finis generalis huius Societatis est: multiplicatis S. Viae Crucis exercitiis, saepius, immo quotidie recolere dolorosissimam D. N. Iesu Christi passionem, eiusque meritorum largiorem sibi et aliis procurare applicationem.

c) Fines speciales sunt: 1. reparare iniurias, quae Deo et Domino nostro Iesu Christo quotidie inferuntur; 2. supplicare pro conversione peccatorum; 3. satisfacere pro animabus Christifidelium in Purgatorio detentis, praesertim illorum, qui huius Societatis membra in vita fuerunt; 4. implorare S. Matris Ecclesiae exaltationem.

d) Sedes primaria huius Societatis, ex Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum sub die 15 Martii 1884, est ecclesia Aracoelitana Ordinis Fratrum Minorum in Urbe.

---

(1) Si quis documenta et praefata Statuta eiusdem Societatis, in parvo libello typis edita, habere desiderat, recurrat ad Rmam Curiam Ministri Generalis Ordinis Minorum, Roma, Collegio S. Antonio in Via Merulana. — Relata habentur etiam apud *Acta Ordinis Minorum,* ann. IV, pag. 35-36.

e) Sedes secundariae, seu associationum centra de iure existunt in omnibus ecclesiis vel publicis oratoriis adnexis ad conventus, residentias vel domus, quae quoquo modo subsunt iurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum.

f) Facultatem adscribendi ad hanc piam Societatem habent omnes in praedicto Ordine Superiores, vel in eorum absentia vices gerentes, tum per se tum per suos subditos.

g) Centra et Directores. Potest insuper praedicti Ordinis Minister Generalis associationum *centra,* de licentia Ordinariorum, erigere in ecclesiis vel publicis oratoriis locorum, in quibus non existunt conventus, residentiae, vel domus Ordinis; Sacerdotes, qui haec centra erigere vellent, opportunam facultatem petant a Rmo P. Ministro Generali Ordinis Minorum. — *Directores* harum associationum a iure fiunt sive Parochus pro tempore, sive Capellanus respective pro ecclesia sua, in qua rite institutum centrum habetur.

h) Zelatores et Zelatrices. Ut autem praesentium adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, possunt memorati Ordinis Superiores Generalis ac Provinciales et Custodes regiminis intra limites suae iurisdictionis instituere Zelatores vel Zelatrices, etiam laicos, cum facultate subdelegata adscribendi. Huiusmodi autem institutio scripto fiat, moneanturque praedicti Zelatores et Zelatrices, ne adscribant alios, quantum fieri potest, nisi qui iniunctum opus adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

i) Conditiones adscriptionis. Ut quis ad hanc piam Societatem legitime adscriptus haberi possit, requiritur, ut eius nomen inscribatur in piae huius Societatis regesto, quod asservatur in memoratis sede primaria vel associationum centris, vel saltem eius nomen descriptum habeatur a Zelatore vel Zelatrice rite instituto. Monentur autem huiusmodi Zelatores et Zelatrices, ut adscriptorum nomina saltem singulis annis mittant ad praefatam piae Societatis sedem primariam vel ad quoddam e praedictis associationum centris.

k) De solemniori bis in anno Via Crucis peragenda. Hortantur Directores, ut bis saltem in anno, in Dominica scilicet Passionis, et in prima Dominica Novembris, solemnius exercitium Viae Crucis in respectiva ecclesia peragi faciant, et piae Societatis scopus ac fines commendentur ac promoveantur.

l) De sodalium obligatione. Ad sodalium obligationem quod attinet, hi in duas distinguuntur classes vel sectiones: alii enim se obligant ad pium S. Viae Crucis exercitium peragendum singulis hebdomadis, alii vero singulis mensibus, die ipsis assignato ab adscribente, vel ab ipsis electo.

Consulitur autem, ut sodales in eodem loco commorantes distinguantur in parvas societates respective *septem* vel *triginta personarum,* ex quibus singulae singulis hebdomadae vel mensis respective diebus S. Viae Crucis exercitium peragant.

Supradicta vero sodalium obligatio nullum conscientiae vinculum inducit. Qui autem eidem obligationi *habitualiter* non satisfaciunt, hoc tempore durante concessis indulgentiis privati existunt.

m) De crucifixo ad Viam Crucis benedicto. Qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, susceptae obligationi, de qua paragrapho immediate superiori, satisfaciunt, adhibendo *crucifixum Viae Crucis* vulgo nuncupatum, ac praescriptas in huiusmodi usus preces rite persolvendo.

Indulgentiae Plenariae. Summus Pontifex Leo PP. XIII per Apostolicum Breve datum 21 Ian. 1879 piam Societatem *Viae Crucis perpetuae* commendat ac indulgentiis ditat.

« Supplicatum nuper Nobis fuit, ait laudatus Pontifex, nomine dilecti filii Ministri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Provinciae S. Ludovici in Gallia, ut piam Christifidelium Societatem, quae in Ecclesia Coenobii Burdigalensis eiusdem Ordinis initium habuit, et inde per totam Galliam diffusa est, ad sacrum exercitium Viae Crucis perpetuae propagandum canonice erectam, spiritualibus indulgentiarum muneribus ditare Apostolica benignitate dignaremur. Nos autem, ut pium hoc opus maiora in dies ad Dei gloriam utilitatemque fidelium suscipiat incrementa, oblatis Nobis precibus annuendum censuimus ». Hinc Summus Pontifex Sodalibus praedictae Societatis *plenariam* indulgentiam concedit, consuetis conditionibus servatis:

1. Die primo singulorum ingressus in praedictam Societatem.

2. In mortis articulo.

3. Die festo Societatis principali, nempe VII Dolorum B. M. V. Dominica tertia Septembris.

4. Die festo S. P. Francisci Assisiensis, 4 Octobris.

5. Die festo S. Leonardi a Portu Mauritio, 26 Novembris.

Praeter descriptas indulgentias, quae sunt *speciales* pro aggregatis piae Societati, huius Sodales lucrari possunt, ut per se intelligitur, ceteras multiplices indulgentias, quae exercitio Viae Crucis sunt adnexae.

1037. Coronidis instar dictorum de *Via Crucis perpetua*, liceat enixe commendare omnibus Sacerdotibus, sed illis praecipue, qui animarum curam habent, ut velint fideles, speciatim eos, qui eorum sollicitudini sunt commissi, edocere hanc piissimam et salutiferam institutionem, pro certo habentes, se opus facturos Deo quam maxime gratum, animabus Purgatorii utilissimum, fidelibus viventibus singulari modo proficuum, zelantibus propagatoribus valde meritorium. Sane, excepto sanctae Missae sacrificio, non facile inveniri vel excogitari potest opus exercitio Viae Crucis sanctius et efficacius. Ipsum virtutem habet illustrandi intellectum, movendi voluntatem, penetrandi cor, ac spiritum sursum elevandi ad contemplationem. Attente, diligenter et viva fide praedictum S. Viae Crucis exercitium peractum hominem roborat ad patienter perferendas tribulationes et infirmitates, simulque spem auget aeternam beatitudinem consequendi.

Ubi ergo haec sancta institutio, per quam quotidie obtinetur meditatio Dominicae passionis, non est nota, vel quomodolibet neglecta, curent Sacerdotes, Parochi praesertim, eam in suis parochiis introducere, constituendo parvas societates ex *septem* vel *triginta personis*, quae respective se obligent pro una vice in hebdomada vel mense, ad pium exercitium S. Viae Crucis obeundum.

§ 19. *Privilegium in Ordine Minorum constituendi Sodalitates Viae Crucis viventis.*

1038. *Decretum approbationis Societatis Viae Crucis viventis.*

Pietati Christifidelium fovendae nihil est tam aptum, nihil tam efficax, quam frequens Dominicae Passionis meditatio, in qua dum ipsi recolunt, quanta Verbum Dei caro factum pro nobis pati di-

gnatum est, eorum corda ad poenitentiam excitantur, et ad redamandum Christum Iesum vehementer inflammantur.

Iam vero inter plura, quae id praestant pia exercitia, illud procul dubio prae ceteris eminet, quod a *Via Crucis* nuncupatur, a S. Leonardo a Portu Mauritio primitus invectum, et in universa catholica Ecclesia tam salubriter propagatum.

Quoniam vero plures vel occupationibus distenti, vel valetudine laborantes, prohibentur, quominus integro huiusmodi pio Exercitio vacent, nonnulli pietatis zelo praestantes viri, ne spiritualium fructuum ex eodem Exercitio manantium copia deperdatur, Sodalitates quasdam instituere excogitarunt ex quatuordecim sociis constantes, qui singuli unam quotidie sibi attributam ex quatuordecim stationibus meditando peragant, ad instar Sodalitatum *Rosarii Viventis*.

Hinc SSmo Dno Nostro Leoni PP. XIII preces humiliter sunt delatae, ut praedictas Sodalitates, earumque leges approbare, et nonnullas sociis indulgentias tribuere dignaretur. Has porro preces, relatas in audientia habita die 16 Augusti 1901 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Eadem Sanctitas Sua peramanter excepit, Sodalitatesque Viae Crucis Viventis summopere commendans approbavit, earumdemque leges, prout in subiecto schemate prostant, auctoritate sua sancivit, servandasque mandavit, simulque indulgentias omnes in indice huic Decreto inserto contentas in perpetuum benigne concessit, defunctis quoque applicabiles.

Leges servandae in erigendis Sodalitatibus Viae Crucis Viventis.

1. Exercitium *Viae Crucis Viventis* instituitur ad instar *Rosarii Viventis*.

2. Via Crucis *Vivens* nihil aliud est, quam invitamentum atque tyrocinium ad completam Viam Crucis, iuxta formam in Ecclesia catholica adhiberi solitam, uberiori aedificationis fructu, atque indulgentiarum ac privilegiorum a SS. Pontificibus concessorum thesauro multo locupletiore ditatam.

3. Quaelibet Sodalitas ex quatuordecim sociis constat, et nonnisi in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis sive semipublicis, vel etiam

in Communitatibus, ubi Stationes Viae Crucis rite erectae existunt, constitui debet.

4. Ius constituendi Sodalitates in toto Ordine, seu ubique locorum, residet in Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci; inter limites propriae Provinciae in Provincialibus; in respectivo districtu in Guardianis eorumque vices gerentibus, sive per se, sive per suos subditos ad id deputatos.

5. Spectat iure primario ad Ministrum Generalem ubique locorum deputare Directorem Sodalitatum religiosum eiusdem Ordinis, et, ubi hic desit, sacerdotem sive saecularem, sive regularem, qui personarum ad novam sodalitatem pertinere cupientium catalogum conficiat, atque custodiat. Idem possunt Provinciales, nisi auctoritas Ministri Generalis obstet, intra limites propriae Provinciae, et etiam Superiores locales, dependenter tamen a Ministro Provinciali.

6. Ad Directorem spectat nominare Zelatores et Zelatrices, qui vel quae personas inscribendas prudenter quaerant, eidemque Directori proponant.

7. Ad exercitium Viae Crucis Viventis rite peragendum et ad indulgentias eidem adnexas lucrandas requiritur meditatio Stationis unicuique per sortem adsignatae, et recitatio trium *Pater, Ave et Gloria,* manu tenendo Crucifixum ex materia solida confectum, et ad hoc benedictum sive a Ministro Generali, sive a Ministro Provinciali in respectiva Provincia, vel a Superiori locali, aut etiam ab ipso Directore, vel alio Sacerdote a Ministro Generali delegato.

Index Indulgentiarum Sodalitatibus Viae Crucis Viventis tributarum.

Omnes Christifideles ab aliquo Directore in Sodalitatem admissi, sequentes indulgentias lucrari possunt:

1. Primo die festo postquam Sodalitatem adiverint *plenariam indulgentiam,* si eodem die vere poenitentes, confessi, S. Synaxim susceperint.

2. Festis Nativitatis Dni, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi, Pentecostes, SSmae Trinitatis; item singulis feriis sextis mensis Martii, nec non festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Stigmatum S. P. Francisci, et eiusdem die natali, *plenariam indulgentiam,* dummodo quisque sodalium

quotidie sibi adsignatam Stationem sedulo sancteque peregerit mense integro, simulque contritus et confessus, S. Synaxim sumpserit, et aliquam ecclesiam diebus supra statutis visitaverit, et inibi aliquamdiu ad mentem Summi Pontificis preces effuderit.

3. Die semel quotannis eligenda item *plenariam*, si quilibet e Sodalibus per annum integrum quotidie Stationem sibi propriam peregerit, simulque memorata die vere contritus, confessus, et sacra Synaxi refectus, uti supra oraverit.

4. Pro quotidiano exercitio *centum dies* diebus ferialibus; *septem annorum et totidem quadragenarum* diebus dominicis aliisque per annum festis, nec non per totam maiorem hebdomadam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 16 Augusti 1901.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠ S.

† Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secret.*
Iosephus M. Canonicus Coselli, *Subst.*

Circa exercitium Viae Crucis Viventis rite peragendum.

A. M. Canonicus Cathedralis Basilicae Sulmonensis huic S. Indulgentiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda proposuit:

I. An ad exercitium Viae Crucis Viventis rite peragendum et ad indulgentias eidem adnexas lucrandas requiratur, una cum meditatione, etiam visitatio Stationis per sortem unicuique adsignatae? Et quatenus affirmative:

II. An dicta visitatio peragenda sit in Ecclesiis, ubi Sodalitas Viae Crucis Viventis constituta est, vel etiam in quacumque alia Ecclesia, ubi Stationes Viae Crucis erectae reperiuntur?

Sacra vero Congregatio respondendum mandavit: Ad I. *Negative, iuxta Decretum diei* 16 *Augusti* 1901 in lege VI.

Ad II. *Provisum in responsione* ad I^um^.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 26 Novembris 1903.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

§ 20. *Ordo Minorum quoad Pium Opus Terrae Sanctae.*

1039. 1. Sub titulo *pii Operis Terrae Sanctae* plura continentur: nam pium Opus complectitur conservationem illorum Locorum, quae a Salvatore nostro Iesu Christo praesentia sua, praedicatione, prodigiis, sanguinis effusione, morte ac sepulchro sanctificata et glorificata sunt. Complectitur insuper manutentionem parochiarum, scholarum, conservatoriorum; hospitalitatem gratuitam peregrinorum, qui his praesertim temporibus ob itinerum facilitatem continue et turmatim illuc accedunt; stipem pro pauperibus; subsidia iis, qui adiutricem manum Franciscanis porrigunt in tot operibus exequendis; iura Patriarchae Hierosolymitano et Delegato Apostolico Aegypti competentia, et alia permulta, quae per singula longum esset recensere. Haec omnia comprehenduntur sub appellatione *pii Operis Terrae Sanctae*, quod aliter notissimum est sub nomine *Missionis Terrae Sanctae* vel *Custodiae Terrae Sanctae*.

2. Haec Custodia seu Missio inter Missiones Franciscano Ordini a S. Sede concreditas omnium prima eminet, tum ob nobilitatem et sanctitatem locorum pretiosi Sanguinis humanati Verbi purpuratorum, tum ob eius antiquam fundationem ab ipso Seraphico P. N. S. Francisco factam, et usque ad praesentem diem inter inimicos christiani nominis, inter persecutiones ac sanguinis effusiones a Fratribus Ordinis Minorum conservatam et dilatatam.

3. Missio Terrae Sanctae comprehendit inter suos limites Patriarchatum Hierosolymitanum, Vicariatum Apostolicum Syriae et Aegypti, eique inserviunt ultra quadringenti Religiosi Ordinis S. P. Francisci *ex omnibus fere nationibus* iuxta quidem naturam ipsius pii Operis, quod *non unius nationis proprium, sed internationale est*.

Ad conservationem tanti Operis expensas innumeras requiri, nemo est qui non videat, et luculenter etiam patet ex documentis S. Sedis.

4. *Opus Terrae Sanctae Apostolica sollicitudine Romani Pontifices incessanter prosecuti sunt.* « Ipsi enim Pontifices, ait Leo PP. XIII, iamdiu a vetustissimis temporibus ea ad Loca pre-

tioso humanati Verbi Sanguine purpurata oculos convertentes, Catholici nominis gentes ad Christi Sepulchrum recuperandum excitarunt, et postquam illud denuo in infidelium ditionem cecidit, et Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Assisiensis tantummodo licuit ea Loca asservare, nunquam destitere, quin quacumque ope possent, *custodiae saltem ipsorum consulerent,* et Fratrum eorumdem, quos neque persecutionum, neque vexationum neque saeva cruciatuum discrimina tanto unquam ab incepto deterruerunt, praesentibus necessitatibus pro re ac tempore providerent.

« Quare et vivae vocis oraculo, et Apostolicis etiam Litteris Patriarchis, Antistitibus et aliis totius terrarum orbis locorum Ordinariis instanter atque iteratis vicibus mandarunt, ut respectivae eorum curae commissos Christifideles *ad eleemosynas pro Locis Sanctis tuendis offerendas colligendasque impellerent.*

« Denique Pius PP. VI fel. rec. Praedecessor Noster litteris, quarum initium: « *Inter cetera divinorum iudiciorum abdita arcana* » die 31 mensis Iulii, anno 1778, sub plumbo datis, *quatuor per annum vicibus* ab omnibus sacrorum Antistitibus *Terrae Sanctae necessitates* piae Christifidelium charitati commendandas esse decrevit ».

5. Quia adauctis in dies, praesertim vertentibus annis, Terrae Sanctae necessitatibus, reditus e fidelium eleemosynis provenientes non amplius sufficiunt Sanctorum Locorum Custodiae, ea potissimum de causa, quod elapso iam saeculi intervallo a memorata Pii VI Constitutione nonnulli ex Ordinariis illam veluti fere obsoletam negligunt, non amplius eleemosynas pro Sanctis Locis commendando, Leo XIII de Apostolica Auctoritate perpetuum in modum decrevit: ut Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis locorum Ordinarii *sub sanctae obedientiae vinculo* curare teneantur, ut respective in cuiuscumque dioecesis parochiali ecclesia, *una saltem singulis annis vice, nempe feria sexta* maioris Hebdomadae, vel *alio ad uniuscuiusque Ordinarii libitum* similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium charitati Sanctorum Locorum necessitates proponantur.

« Pari autem auctoritate expresse interdicimus atque prohibemus, ne quis audeat vel praesumat eleemosynas pro Terra Sancta

quomodolibet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea iubemus collectas, ut superius dictum est, eleemosynas Parochum Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario; hunc autem curare volumus ut eaedem quam citius Hierusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur. Decernentes praesentes Nostras litteras firmas » etc. (Constit. *Salvatoris*, 26 Decembr. 1887: *Collectanea S. C. de Prop. Fid.* pag. 616).

6. Necessitates Custodiae Terrae Sanctae denuo commendantur a S. Congregatione de Propaganda Fide per Epistolam de die 20 Februarii 1891, qua « mandatur, ut Apostolicae litterae die 26 Decembris 1887 datae, quae incipiunt SALVATORIS, *ab universis ad quos pertinent, omnino ad executionem mittantur,* collectaeque eleemosynarum una vice singulis annis feria VI in Parasceve, vel alio quolibet intra annum die pro Terra Sancta faciendae, non debeant quomodolibet ad alios usus converti atque applicari, sed integre ad Rmum P. Custodem Terrae Sanctae per Commissarios Ordinis S. Francisci ex omnibus orbis regionibus diligenter transmitti, quacumque dispensatione exinde revocata » (*Collectanea* loc. cit.; *Acta Ord. Min.* ann. X, pag. 36).

7. Ingentes expensas requiri pro conservatione illorum Locorum, quae praesentia, morte, sepulchro Salvatoris nostri Iesu Christi sanctificata sunt, facile est intelligere. « Exploratum est, ita laudata S. Congregatio de Propaganda Fide, *inspectis temporum nostrorum circumstantiis, auctaque itinerum facilitate,* desiderium inter fideles quotidie magis exardescere ea Loca visendi, quae Salvator noster Christus Dominus praesentia sua ac praedicatione, potissimum vero morte ac sepulchro suo nobilissima in primis reddidit, eaque de causa *ingentes sane expensas ad peregrinos hospitio recipiendos exigi. Insuper sanctuariis conservandis, restaurandis, scholis erigendis, missionibus provehendis haud exiguam pecuniae vim requiri* » (Loc. cit.).

8. FAVORES SPIRITUALES BENEFACTORIBUS TERRAE SANCTAE AB APOSTOLICA SEDE CONCESSI. Pius PP. VI in sua Constitutione *Inter cetera divinorum,* die 31 Iulii 1778, bona spiritualia Benefactoribus Terrae Sanctae communicat.

« Nos inexhausti, ait laudatus Pontifex, Ecclesiae thesauri Dispensatores a Deo constituti, cunctos fideles, qui temporalium partem bonorum superna Providentia eis traditorum in pium illud sanctumque christianae charitatis Opus relicturi erunt, *omnium spiritualium fructuum et meritorum ex sacrosanctis Sacrificiis, orationibus, ieiuniis, poenitentiis, laboribus, peregrinationibus, aliisque religiosis operibus,* quae non modo eiusdem Ordinis (S. Francisci) professores, sed etiam Christifideles ipsa Sancta Loca incolentes, aliique ad ea accedentes, et illa venerantes, benedicente Domino, peragent et facient, provenientium, in eorum reatuum expiationem, et aeternae gloriae praemium, *speciali quo possumus modo, Auctoritatis Nostrae plenitudine participes et consortes in Domino facimus, atque ad eorumdem fructuum et meritorum consortium et communionem aggregamus,* indubiam foventes spem, quod iidem fideles ad tam uberem sanctamque communionem admissi, constantissimi in illa perseverabunt cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem sortis Sanctorum adscribi » (Vid. *Acta Ord. Min.* ann. IV, pag. 61).

9. Indulgentiae concessae fidelibus pio Operi a Terra Sancta nuncupato adscriptis. Benefactores Terrae Sanctae non solum, ut vidimus, admissi sunt ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae apud sancta Palaestinae Loca fiunt a Fratribus Franciscanis et a ceteris fidelibus ibi commorantibus, sed insuper *eidem pio Operi adscriptis* indulgentiae concessae sunt a Summo Pontifice Leone XIII. Huiusmodi Indulgentiarum indicem dabimus infra, explicato prius modo colligendi eleemosynas et adscribendi fideles, prout refertur in *Acta Ordinis Minorum* anno XIII, pag. 131.

10. Pium Opus Terrae Sanctae. Ad colligendas inter fideles eleemosynas pro Terra Sancta, cuius necessitates de die in diem magis crescere compertum est, nonnulli Commissarii eiusdem Terrae Sanctae in defectu Religiosorum, qui *Collectoris* munere fungantur, modum sat expeditum introducere coeperunt, eo ferme modo, quo procedit pium Institutum, quod a *S. Iesu Christi Infantia* dicitur pro redimendis baptizandisque infidelium pueris. Videlicet: Commissarius in qualibet paroecia vel civitate secernit aliquem nu-

merum virorum vel mulierum, quos *Zelatores* vel *Zelatrices* pro Terra Sancta documento scripto nominat. Istorum officium est *Terrae Sanctae necessitates fidelibus commendare, et signare nomina eorum, qui se adstringunt pro eleemosyna quadam hebdomadali, mensili vel annua, quae simul cum nominibus offerentium mittitur Patri Commissario,* vel directe a singulis Zelatoribus, vel per Zelatorem principalem districtus aut dioecesis Directorem. Commissarius autem semel in anno, folio typis edito, publice rationem reddit eleemosynae collectae a singulis Zelatoribus, simul referens de Terrae Sanctae operibus, quae a nostratibus fiunt.

11. Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, Christifidelibus praefato pio Operi adscriptis, et aliquam stipem quotannis elargientibus ad conservationem Locorum Sanctorum in Palaestina exsistentium, sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, benigne concessit:

I. Plenariam. 1° Die Nativitatis Domini nostri Iesu Christi.

2° Die Paschatis Resurrectionis, dummodo his diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Sanctitatis Suae oraverint.

3° Iisdem pariter, nec non Zelatoribus et Zelatricibus praefati pii Operis in mortis articulo, si praefata pia opera peregerint, vel quatenus ea praestare nequiverint, corde saltem contrito SS. Iesu Nomen ore, sin minus corde devote invocaverint, et mortem uti peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint.

4° Zelatoribus tantum, nec non Zelatricibus praedictis, qui dederint operam eleemosynis colligendis lucrandam *a)* die festo Circumcisionis D. N. I. C., et *b)* die festo Assumptionis B. Mariae Virginis, si his diebus memorata pia opera praestiterint, et uti supra oraverint.

II. Partialem. *Septem annorum tantum totidemque quadragenarum* qualibet sexta feria cuiuslibet mensis Christifidelibus, praedicto pio Operi addictis, corde saltem contrito ac devote quinquies recitantibus *Orationem Dominicam, Angelicam Salutatio-*

nem, et *Gloria Patri* etc. in honorem quinque Vulnerum D. N. I. Christi.

Tandem *Dominis Episcopis,* qui in suis respectivis dioecesibus feria sexta in Parasceve iusserint eleemosynam in eiusdem pii Operis finem colligendam; item *Parochis,* qui idem pium Opus Christifidelibus suae curae commissis summopere commendaverint, et hi omnes eleemosynam, si quam collegerint, mittere curaverint ad Patres Commissarios Terrae Sanctae, facultatem elargita est *benedicendi crucifixos,* eisque adnectendi indulgentias Viae Crucis exercitio concessas, itemque *benedicendi chordam* S. Francisci Assisiensis cum respectivis indulgentiis, servatis de iure servandis. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 26 Iunii 1894.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*

L. ✠ S. ✝ Alexander Archiep. Nicopol., *Secret.*

§ 21. *Privilegium in Ordine Minorum celebrandi in Sabbatis Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V. eiusdemque privilegii extensio recentissima etiam aliis diebus.*

1040. *A)* Sacerdotes Ordinis Minorum *ex Indulto Apostolico* possunt singulis Sabbatis non impeditis *Missam de Immaculata Conceptione* celebrare. Quoties autem Vigilia sive Immaculatae Conceptionis sive Assumptionis B. M. V. incidat in diem Sabbatum, legenda est Missa de respectiva Vigilia (S. R. C. die 24 Maii 1895. N. 3858 ad 3).

Indultum Apostolicum, de quo in superiori numero, sonat ut sequitur: Decretum. *Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia.*

Porrectis per Rmum Patrem Fr. Paschalem a Varisio Ministrum Generalem Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Sac. Rituum Congregationi humillimis precibus, quatenus indulgere dignaretur, ut in Ecclesiis universi sui Ordinis celebrari possit singulis Sabbatis Missa votiva Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Sacra Congregatio, ad relationem Emi et Rmi Dni

Cardinalis Torrigiani Ponentis, gratiam petitam, non omissa tamen celebratione Missae Conventualis cum cantu de Officio occurrente, et exceptis Sabbatis solemnioribus primae et secundae classis, Oratori benigne concessit.

Die 11 Augusti 1770.

Fl. Card. Chisius, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Macedonius S. R. C. *Secret.*

Praefatum indultum transcripsimus ex exemplari impresso cum sigillis item impressis. Alia exemplaria extant Romae penes Archivium Ordinis.

Quoad clausulam in praefato Rescripto contentam, nempe: « *non omissa tamen Missa Conventuali cum cantu de Festo vel Feria occurrente* » a Ministro Generali illius temporis petitum est:

An per supradictum Indultum inducta fuerit obligatio Missam Conventualem canendi, etiam in iis Ecclesiis, ubi dicta obligatio non adest?

S. R. C. die 19 Iun. 1773 respondit: *Gratiam concessam nullam inducere obligationem cantandi Missam Conventualem, ubi ea obligatio non sit nec esse debeat, iuxta Constitutiones Apostolicas* (N. 2495).

B) Privilegium celebrandi in Sabbatis Missam votivam *Immaculatae Conceptionis* extensum fuit a Summo Pontifice Leone XIII die 7 Sept. 1897 *Sacerdotibus saecularibus Tertiariis* Vicariatuum Franciscanorum *in Sinis* (Vid. *Acta S. Sed.* vol. XXX, p. 288). A Summo vero Pontifice Pio X extensum fuit ad omnes Sacerdotes saeculares Tertii Ordinis Kalendario Romano Seraphico utentes, prout in sequentibus:

C) Privilegium celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione in Sabbatis extenditur ad ecclesias cuiuslibet familiae religiosae Kalendario Romano-Seraphico utentis (1).

ORDINIS MINORUM.

Ex Apostolicis Litteris in forma Brevis sub die 5 Aprilis 1856, ecclesiis Ordinis Minorum, ac deinde per Decretum Sacrae Rituum

(1) *Act. S. Sed.* vol. 36, p. 487.

Congregationis die 20 Iulii 1882 ecclesiis quoque alterius Ordinis, hoc est Sanctimonialium Sanctae Clarae, privilegium concessum fuit Missae votivae de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis singulis per annum Sabbatis, exceptis solemnioribus, primae scilicet ac secundae classis, aliisque privilegiatis iuxta Rubricas.

Quo cultus et pietas erga eamdem Immaculatam Deiparam magis magisque foveatur inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, anno quinquagesimo iam nunc adventante a Pontificia huiusce dogmatis definitione, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam X, annuente ipsiusmet Ordinis Ministro Generali, enixis precibus rogavit, ut enuntiatum Missae Votivae Privilegium benigne extendere dignaretur etiam *ad ecclesias Monialium Tertii Ordinis, et Regularium Familiarum, quae Kalendario Romano-Seraphico legitime utuntur: ita ut cuilibet Sacerdoti in ipsarum ecclesiis vel oratoriis Sacrum facturo memoratam Missam Votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione Sabbatis diebus liceat celebrare.*

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, petitam supradicti privilegii extensionem clementer indulgere dignata est; sub iisdem tamen exceptionibus et clausulis in Apostolico Indulto atque in memorato Sacrae Rituum Congregationis Decreto appositis: servatis Rubricis ac Generali Decreto diei 9 Decembris 1895. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Decembris 1903.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adm. R. P. Procurator Generalis Ord. Min. petiit a Summo Pontifice:

1° Ut Sacerdotes etiam saeculares, tertio Ordini Sancti Francisci adscripti, qui Kalendario Romano-Seraphico utuntur, quoties vel in privato Oratorio vel in Ecclesiis trium Ordinum Sancti Francisci Sacrum faciant, singulis per annum Sabbatis Missam votivam

de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione legere valeant, prouti Alumnis vel Cappellanis trium Ordinum Regularium permittitur; quemadmodum nempe Sacerdotibus tertii Ordinis Praedicatorum conceditur Feria IV. et Sabbato per annum, etiam Festo duplici minori ac maiori impeditis, Missam Sanctissimi Rosarii « *Salve Radix* » iisdem in casibus celebrare.

2° Ut Sacerdotes e primo ac tertio Ordine Regulari Sancti Francisci Sacrum facturi in Oratoriis privatis extra Coenobium positis, sicuti Kalendarium Romano-Seraphicum possunt ac debent adhibere, ita valeant Missam votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione celebrare, prouti in Ecclesiis ipsius Ordinis conceditur; ne secus, ac praesertim Religiosi extra Coenobium rem divinam oblaturi, eodem uti privilegio impediantur, ipsis admodum salutari. Sanctitas porro Sua, benigne annuere dignata est pro gratia iuxta preces.

Die 22 Martii 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

D) In Ecclesiis Ord. Minorum diebus Vigiliae atque infra Octavam Immaculatae Conceptionis, Missae omnes, praeter Conventualem, celebrari possunt de Immaculata.

ORDINIS MINORUM.

Reverendissimus Pater Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, communia vota humillime depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit, ut tam in Ecclesiis ad ipsum Ordinem pertinentibus, quam in aliis Kalendario Romano-Seraphico legitime utentibus, diebus Vigiliae atque infra Octavam Immaculatae Conceptionis Deiparae, Missae omnes praeter Conventualem, celebrari valeant de eadem Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione, prouti eiusmodi gaudent privilegio singulis per annum Sabbatis ab Apostolica Sede iisdem Ecclesiis per Litteras in forma Brevis indulto, etsi Officium ritus duplicis occurrat: exceptis diebus solemnioribus,

primae scilicet ac secundae classis aliisque privilegiatis iuxta Rubricas, in quibus unica tantum Missa solemnis de memorato Festo expetita fuit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, benigne precibus annuit: exceptis duplicibus primae et secundae classis, ac Dominicis privilegiatis, in quibus unica Missa solemnis de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione decantetur; Missa Conventuali Officio diei respondente numquam omissa: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

§ 22. *Ordo Minorum quoad Missam votivam de Spiritu Sancto pro electione Ministri Generalis.*

1041. *Dubium propositum.* Quum generales nostrae Constitutiones pro electione Ministri Generalis facienda praescribant, ut a Resurrectione Domini ad diem usque electionis qualibet Feria V, *solemni festo non impedita,* cantetur in singulis Conventibus Missa de Spiritu Sancto; quaeritur: *Quodnam Festum hisce in circumstantiis haberi debet pro Solemni, ita ut, ipso occurrente, non liceat praefatam Missam decantare?*

S. R. C. die 16 Apr. 1853 respondit: *Quodcumque non admittens Missam votivam pro re gravi* (N. 3009 ad 6, in una *Ord. Min. Obs. S. Francisci*).

Quaenam sint Festa vel dies, in quibus non licet celebrare Missam votivam solemnem pro re gravi, vid. n. 943.

1042. Verum in iis diebus impeditis addi potest *Collecta de Spiritu Sancto* sub unica conclusione, prout constat ex resolutione sequentis dubii:

Cum in Festis duplicibus primae classis non possit cantari Missa solemnis votiva, etiam ad invocandum Spiritum Sanctum pro felici successu Comitiorum generalium vel Capituli; quaeritur: *An*

tunc addi possit Collecta de Spiritu Sancto sub unica conclusione?

S. R. C. die 27 Mart. 1773 respondit: *Affirmative* (N. 2494 ad 4, *in una Ord. Carmelitarum Excalceat. Provinciae Poloniae*).

Vide Constitutiones Generales Ordinis Minorum, ubi sub n. 414 super re est provisum.

§ 23. *Ritus servandus in receptione Praelati Regularis ad Ecclesiam.*

1043. *Quoad receptionem Praelati Regularis ad Ecclesiam*, haec quaestio mota est:

In receptione Praelati ad Ecclesiam hisce in locis (*in Provincia Bononiensi*) solet Superior Ecclesiae ad ianuam Ecclesiae ipsius eum excipere, et eidem porrigere aspersorium indutus superpelliceo *cum Stola*. Nunc quaeritur: An supradicto in casu *usus Stolae tolerari possit?*

S. R. C. die 16 Apr. 1853 respondit: *Negative* (N. 3009 ad 9).

§ 24. *Privilegium celebrandi Missam votivam de S. P. Francisco in eiusdem Capellis in Basilica S. Mariae Angelorum.*

1044. Minister Provincialis Ordinis Minorum Provinciae Seraphicae votis obsecundans tam ipsius Provinciae Alumnorum, quam Sacerdotum ad celebres Assisienses Ecclesias piae peregrinationis causa undique confluentium, a SSmo D. N. Leone PP. XIII humillimis precibus *privilegium efflagitavit, quo in Sacello Portiunculae nec non in altero, olim cubiculo, ubi sanctus Patriarcha obdormivit in Domino,* Missam votivam de eodem Sancto Confessore propriam cuilibet Sacerdoti liceat celebrare, etiamsi Officium ritus duplicis occurrat.

Sacra porro Rituum Congregatio vigore facultatum sibi specialiter ab eodem SSmo Domino Nostro tributarum, *petitum Missae votivae privilegium in utroque enuntiato Sacello celebrandae benigne indulsit,* exceptis Duplicibus primae et secundae classis

Festisque de praecepto servandis, necnon Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis: servatis Rubricis (Die 21 Mart. 1896. N. 3894).

Patriarchalis quoque ecclesia Assisiensis, in qua Corpus S. P. Francisci requiescit, ex indulto Apostolico Summi Pontificis Pii VII privilegio gaudet Missae votivae quotidianae de eodem Sancto, exceptis *dumtaxat* Solemnitatibus Natalis D. N. I. C., Resurrectionis et Pentecostes.

1. Dubitatum est: An diebus Dominicis in praedicta Missa votiva *Symbolum* dici debeat?

2. An in Duplicibus primae et secundae classis recitanda sit *Collecta* ab Ordinario imperata?

3. An in praedicta Missa votiva S. Francisci Oratio *A Cunctis,* quando dicenda est, permutari debeat in aliam B. M. V. *Concede,* prout in Missa votiva Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli?

Et S. R. C. die 15 Maii 1819 respondit:

Ad 1. « Iuxta alias resoluta, *Negative* ».

Ad 2. « *Negative in duplicibus primae classis,* ut alias responsum fuit. Quoad duplicia vero secundae classis poterit *ad libitum* celebrantis legi vel omitti Collecta imperata, *in Missis privatis tantum;* in conventuali et solemni *erit omittenda* ».

Ad. 3. « Vel omittendum nomen S. Francisci in Oratione *A Cunctis,* vel legendam Orationem ad poscenda Suffragia Sanctorum, quae incipit *Concede* etc. » (N. 2597 *Assisien.*).

§ 25. *Privilegium legendi* SEQUENTIAM *in Missis in Festis S. P. Francisci.*

1045. Rmus P. Venantius a Celano Minister Generalis Ordinis Minorum, sequenti modo Ministris Provincialibus communicabat istiusmodi favorem Apostolicae Sedis:

Revolvebamus semper in mente ab tempore usque, quo Secretarii Generalis Ordinis fungebamur officio, ut legeretur, et caneretur in Festis Sanctissimi Patriarchae Nostri Francisci SEQUENTIA scripta in duabus vitis ipsius Seraphici Patris, *auctore B. Thoma de Celano, eius Discipulo.* Votis nostris Deus benedixit, et iam expleta sunt: nam SSmus Dominus Noster Pius Papa IX. Pontifex

Maximus peramanter excepit preces, quas Sanctitati Suae, die 6 Februarii proxime elapsi porreximus, Nobis absentibus, per Adm. Rdum P. Procuratorem Generalem Ordinis, et *suprema auctoritate sua propositam* SEQUENTIAM *approbavit,* decreto sacrorum Rituum Congregationis die 9 eiusdem mensis et anni, *addendamque indulsit Missali Romano Seraphico in Festis S. Francisci Assisiensis Patriarchae legendam et recitandam.*

Nos hilares hanc Paternitati Tuae reverendae participamus consolationem in honorem S. Patris Nostri Seraphici, et mandamus, ut grati animi sensu hos novos excipias favores Sanctae Sedis Apostolicae concessionis praedictae Sequentiae, quam hic insertam ad Te mittimus, ut singulis Missalibus tuae Provinciae in diebus Festis Sanctissimi Patriarchae nostri exemplar eiusdem sequentiae apponi cures.

Seraphicam impertimur Benedictionem Tibi, fratribusque tuae curae concreditis, et manemus peramanter.

Datum Romae ex Aracoeli die 25 Aprilis 1854.

§ 26. *Fratres Minores quoad* CONFITEOR.

1046. Regula generalis est, quod *Confiteor* dicendum sit *pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano, absque additione alicuius Sancti etiam Patroni, qui* (in Missa) *in sola Oratione* A CUNCTIS, *et Postcommun.* MUNDET *addendus est* (S. R. C. die 12 Febr. 1666; vid. Suffragium in IV, vol. IV, pag. 178 ad dub. II).

Verum Fratres Minores, ex propriis Rubricis, addere possunt ad *Confiteor* nomen S. P. Francisci. Nam sub n. 158 legitur: *Omnibus hoc Breviario utentibus licitum est in* CONFITEOR *ad Primam et Completorium, et Missam, post nomina SS. Apostolorum addere nomen B. Patris nostri Francisci; eaque Patris nostri appellatio licet iisdem pariter in ℣.* ORA PRO NOBIS etc. *et in Orationibus seu Breviarii, seu Missalis, in quibus Seraphicus idem Patriarcha nominatur* etc. Rubricae autem Breviarii Ordinis Minorum a Summo Pontifice Pio VI approbatae et confirmatae fuerunt.

Unde S. R. Congregatio ad hoc dubium: *An licitum sit* (Fratribus Minoribus) *in* Confiteor *ad Primam, Completorium, et Missam, ac in Orationibus, ubi Sanctus Pater Franciscus nominatur, addere nomen* Patris nostri, *cum hoc expresse legatur in Rubrica peculiari nostri Breviarii?* die 22 Aug. 1818 respondit: *Affirmative iuxta praefati Breviarii Rubricas.* N. 2587 ad 2.

§ 27. *Fratres Minores quoad responsorium:* « Haec est vera fraternitas ».

1047. In communi plurimorum Martyrum ad Responsorium VIII vel II sequens legitur Rubrica: Sequens *Responsorium* (Haec est vera fraternitas) *dicitur post* 8 *vel* 2 *lectionem in Festo plurimorum Martyrum fratrum.* Dubitatum aliquando fuit, num haec Rubrica intelligenda esset dumtaxat de fratribus *secundum carnem*, vel eos etiam comprehenderet, qui, spirituali foedere, *unum idemque Institutum profitentur*, et uti fratres habentur et nuncupantur. At certum est, memoratam Rubricam *stricte* sumendam esse de fratribus sanguinis vinculo coniunctis, *et ex eodem genitore progenitis vere talibus.* Gavantus ad hunc locum, sect. 8, cap. 2, n. 9, habet: *Responsorium,* Haec est vera fraternitas, *non dicitur unquam, nisi vere hi sint fratres secundum carnem; quod si cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, in eodem festo, non dicitur.* Eodem sensu declaratum est die 13 Martii 1804, in una *Ordinis Clericorum Minorum Villae Matriten.* a S. R. Congregatione, quae ad dubium: *An Rubrica* etc. *intelligenda sit nedum de fratribus secundum carnem, sed etiam de ipsis secundum institutum Ordinis Regularis?* respondit: *Negative* (Gardell. n. 4491 ad 5^{m} et n. 4549 ad 1^{m}; et vid. vol. IV. nov. edit. pag. 177 ad dub. I).

Hinc est, quod praedictum responsorium non recitatur in festo sanctorum *Eustachii, coniugis et filiorum,* qui simul, eodemque martyrii genere interiere. Quamvis enim filii inter se fratres sint secundum carnem, coniunguntur tamen in eodem Officio cum Patre et Matre.

1048. Nihilominus haec regula, etsi generalis, utpote relationem habens ad Rubricam generalem Breviarii, suas patitur limitationes, si aliquis religiosus Ordo gaudeat peculiari privilegio legendi responsorium *Haec est vera fraternitas,* dum fit Officium plurimorum Martyrum eiusdem Instituti. Et quidem hoc fruuntur indulto Fratres Minores S. P. Francisci ex eorum Rubricis post maturum examen approbatis, et confirmatis a Pio PP. VI, occasione novae editionis Breviarii trium Ordinum. Siquidem n. 196 habetur: *Responsorium ultimum... in Officio plurium Martyrum (sive fratres fuerint secundum carnem, sive nostrae Religionis filii) esse debet: Haec est...* (Vid. Gardell. n. 4549 ad 1m).

1049. Super re, quamvis clarissima, propositum fuit enucleandum sequens dubium: *Cum iam declaratum sit a S. R. C. Responsorium* « Haec est vera fraternitas » *locum habere solum in Martyribus fratribus secundum carnem, non vero secundum institutum Ordinis regularis; quaeritur, an praefatum Responsorium dici debeat in Martyribus nostri Ordinis, extante Rubrica peculiari nostri Breviarii?* Et S. Congregatio die 22 Aug. 1818, respondit: *Affirmative iuxta peculiarem Rubricam Breviarii trium Ordinum* (Gardell. loc. cit. ad Im; nov. edit. N. 2587 ad 1).

Quia responsa S. R. C. quae habentur in citata causa *Hispalen.* approbata sunt a Summo Pontifice Pio VII sub die 25 Aug. 1818; ideo est, quod eadem citari solent vel sub die 22 Aug., quo resolutiones datae sunt a Sacra Rituum Congregatione; vel sub die 25 eiusdem mensis et anni, quo a Summo Pontifice fuerunt approbatae.

§ 28. *Declarationes quoad Litanias in Festo S. Marci et in Rogationibus pro Regularibus.*

1050. *In una Ordinis Minorum Sancti Francisci.*

A Sacra Rituum Congregatione sub die 8 Apr. 1865 declaratum est:

1. In illis Conventibus, curam animarum adnexam habentibus, in quibus *Religiosus Parochus* solus cum populo assistit Processionibus, non Litanias Ordinis, *sed Litanias communes esse recitandas.*

2. Religiosum Parochum, recitando ut supra Litanias communes, satisfacere suae obligationi, adeoque non teneri repetere Litanias Ordinis.

3. In Conventibus, in quibus Religiosi omnes ex laudabili consuetudine Processionibus intersunt, si populus Litanias Ordinis nollet recitare, non teneri eamdem religiosam Familiam Litanias Ordinis vel in alia processione, vel in Choro recitare (N. 3133).

§ 29. *Fratres Minores quoad Anniversaria pro defunctis.*

1051. Quidam Minister Provincialis Ordinis Minorum S. R. Congregationi hoc dubium, praeter alia, enodandum proposuit: Cum iuxta Constitutiones nostri Ordinis quatuor *(praeter generalissimum)* fieri debeant quotannis Anniversaria pro universis fratribus, propinquis, benefactoribus, et Patribus et Matribus Fratrum omnium; quaeritur: An haec Anniversaria celebrari possint in festo *duplici minori?* An omitti possint Psalmi *Lauda anima mea Dominum,* et *De profundis* in Officio *generalissimo* defunctorum nostri Ordinis, extante consuetudine, sicut in die Commemorationis defunctorum? An Versiculi Nocturnorum dici possint in singulari, quando pro uno fit Officium Defunctorum?

Et Sacra eadem Congregatio, die 25 Aug. 1818 respondendum censuit: *Quatuor Anniversaria, de quibus in dubio, celebranda non esse in occursu cuiusque duplicis, etiam rit. dupl. min.: Illud, quod generalissimum dicitur, celebrari posse quamvis fiat Offic. dupl. min., iuxta peculiares Rubricas laudati Breviarii. Praeterea in eiusdem generalissimi Anniversarii Officio servandam esse aliam peculiarem Rubricam de omittendis Psalmis* Lauda anima mea Dominum, ac De profundis. *Tandem quoad Versiculos, dum Officium fit pro uno defuncto, servandam esse Rubricam, quae habetur ad calcem Officii defunctorum in dicto Breviario trium Ordinum* (*In Hispalen.* N. 2587 ad 3).

1052. Ex adducto Decreto collige: 1° Quatuor Anniversaria *generalia* non posse celebrari in occursu cuiuscumque duplicis, etiam minoris; 2° Anniversarium *generalissimum,* nedum in semiduplici, sed etiam in occursu duplicis *minoris* posse celebrari;

3° In Officio Anniversarii *generalissimi* omitti Psalmos *Lauda anima mea Dominum* ad Vesperas, et *De profundis* ad Laudes; in Anniversariis *generalibus* praedictos Psalmos recitari debere. 4° Versiculos Nocturnorum esse recitandos uti iacent, sive pro pluribus, sive pro uno tantum defuncto recitetur Officium.

1053. Praedicta Anniversaria habentur enumerata in Rubrica num. 214 his verbis: *Quatuor a nostratibus Officia generalia pro defunctis debent quotannis fieri: tria pro universis Fratribus, eorumque, et nostris propinquis et benefactoribus; quartum pro Patribus et Matribus Fratrum omnium* etc. *His addendum generalissimum aliud pro Fratribus et Sororibus omnium statuum trium Ordinum* etc...

1054. Advertendum, Anniversarium *generalissimum,* in quo fit Commemoratio solemnis omnium defunctorum alicuius regularis Instituti per christianum Orbem extensi, *aequiparari solemnitati Commemorationis omnium Fidelium, iisdemque gaudere privilegiis,* ut eruitur ex Decreto in una *Einsidlen.* infra relato, dummodo tamen certa habeatur assignata dies. Huiusmodi enim Anniversarium non minus celebre est respective ad Regulares, eorumque ecclesias, quam Commemoratio solemnis omnium defunctorum (Cf. *Decr. auth.* S. R. C. vol. IV, pag. 177).

1055. Quaestio hic fieri potest, nimirum: *An, si in Anniversario Officii generalissimi fiat Officium festi ritus duplicis minoris, Missae privatae celebrari debeant de festo vel de requiem?* Si Missae privatae applicantur *pro Anniversario,* dubium iam fuit resolutum a S. R. Congregatione sub die 5 Maii 1736 in una *Einsidlen.* pro Benedictinis (Gardell. n. 4044, tit. *alia dubia* ad 11[m]), ubi legitur: *Omnes Missae privatae dicuntur pro defunctis in paramentis nigris.*

1056. Sed quid, si Missae privatae *non applicentur pro Anniversario?* Cavalerius in negativam sententiam propendit, *quia,* inquit, *privilegium in gratiam defunctorum, de quibus commemoratio solemnis agitur,... praecipue factum extitit.* Cl. Gardellini huic opinioni adhaerendum non putat, quia ex ea sequeretur, quod minime posset in ecclesiis Regularium, ubi fit generalis isthaec commemoratio, si incidat cum Festo rit. dupl. minoris, dici Missa

de Requiem pro defuncto in particulari, sed possit dumtaxat, si applicetur generatim pro omnibus; contra ac statuit S. C. quoad Commemorationem Omnium Fidelium defunctorum in una Dalmatiarum 4 Aug. 1663, Ordinis Cappuccinorum 15 Febr. 1710, et in Aquen. 2 Sept. 1741, in quibus declaratum est, *in die Commemorationis Omnium Defunctorum applicationem Sacrificii posse fieri ad libitum Sacerdotis, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum.* Atqui, iuxta exposita, Commemoratio generalissima ordinis regularis aequiparatur solemnitati Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. Ergo pari modo eadem regula sequenda est *in Commemoratione generalissima defunctorum alicuius Ordinis Regularis;* ita ut in Ecclesiis, in quibus haec Commemoratio fit, aliae privatae Missae celebrandae non sint, nisi de *Requiem* pro defunctis cum libera applicatione pro omnibus, vel pro aliquo defuncto in specie; etiam si is non pertineat *ad illud Institutum, pro cuius Alumnis fit Commemoratio.*

Quamobrem si quis ea die, in qua generalissimum hoc fit Anniversarium, velit aut teneatur legere Missam occurrenti Officio convenientem, id facere nequibit ea in Ecclesia, in qua Missae omnes privatae esse debent *de Requiem,* sed poterit alia in Ecclesia suae devotioni aut oneri satisfacere. Haec omnia vide in IV vol. novae edit. Decretorum pag. 177 ad dub. III.

Cum Anniversaria late sumpta ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 2 Decembris 1891 num. 3753 sint ea quae *semel* in anno a Communitatibus fieri solent, quaesitum est, num ritus duplex sit retinendus pro Officio generalissimo Omnium defunctorum Ordinis Seraphici, et pro Anniversario Omnium Parentum nostrorum; atque in aliis tribus Anniversariis, sic vocatis, in Ordine celebrari solitis, ritus semiduplex sit assignandus, tresque Orationes in Vesperis et Laudibus ac Missa recitandae?

Responderunt: *Affirmative* ad primam partem; et quoad secundam, tria Anniversaria fieri posse sub ritu duplici.

S. R. C. die 29 Iulii 1904.

Itaque tria prima Officia generalia defunctorum Ordinis Seraphici fieri *per se* debent et adhuc valent sub ritu semiduplici

cumque tribus Orationibus ad Vesperas et Laudes ac Missam; prout saepius apud *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, et maxime anno XXIII pag. 202, indicatur. Nihilominus, Sacra Rituum Congregatio nunc indulget, si praesertim solemnius habeantur, ut fieri possint eadem Officia sub ritu etiam duplici cumque unica Oratione in Vesperis et Laudibus ac Missa; hocque ad sensum Rubricarum generalium Missalis Romani sub Tit. V. num. 3: « *Una tantum Oratio dicenda est... quandocumque pro Defunctis Missa* SOLEMNITER *celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet,* UTI *in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis* ». Duo namque casus, non ad exclusionem aliarum, sed in exemplum unice allegari exinde probantur, uti Auctores iam nonnulli sentiebant. Neque omittendam esse arbitramur aliam causam, ex qua tribus praefatis Officiis generalibus ratio *Anniversarii late sumpti semelque in anno peragendi* possit accedere, uti Auctores plures nobiscum opinantur. Itaque, in unoquoque e tribus eisdem Officiis utique censeri possunt suffragia fieri, non in levamen omnium defunctorum Ordinis Seraphici, qui per totius anni decursum pie vitam in Domino absolverunt; sed unice pro iis defunctis offerri, qui inter praecedens et subsequens Officium generale compleverunt dies suos. Hoc sane modo, quin ulla suffragiorum imminutio mortuis exsurgat, in unoquoque Officio diversis inter se defunctis semel in anno suffragium *peculiare* impenditur, et *commune* omnibus suffragium semelque in anno per Officium generalissimum habetur; quemadmodum nempe Festum *speciale* uniuscuiusque Sancti primarium computatur, quamvis eadem Persona *generaliter* cum aliis Caelitibus in Festo Omnium Sanctorum sub die 1. Novembris, immo si agatur de Alumnis Ordinis Fratrum Minorum sub die etiam 29. ipsius Novembris, venerationi habeatur. Ad cuius porro observationis normam nihil prohibet, quominus tria prima defunctorum Officia ritu duplici exornentur agique valeant in Festis etiam duplicibus minoribus, si ita demum Superioribus Instituti Seraphici ordinandum videatur; uti scilicet fieri semper debet, ex novissimo Decreto, Officium generale omnium Parentum nostrorum Officiumque, quod generalissimum vocatur.

Ab hodierno sacris caeremoniis Praefecto in ecclesia Cathedrali *Ceneten.* postulatum est:

Utrum verba Rubricae Ritualis Romani cap. 4 *Officium defunctorum,* quae ita leguntur: « *In die vero... anniversario duplicantur antiphonae* », intelligenda sint de primo tantum anniversario vel etiam de ceteris anniversariis sequentibus annis celebrandis?

Et Sacra Rituum Congregatio die 4 Nov. 1904 respondit:

Negative ad primam partem,

Affirmative ad secundam.

§ 30. *Privilegium in Ordine Minorum quoad Poenitentiarios minores in Basilica Lateranensi.*

1057. Fratres Ordinis Minorum assumpti sunt, ut cuilibet in comperto est, a Summis Pontificibus ad minorum Poenitentiariorum munus in Basilica S. Ioannis Lateranensis obeundum; de quibus loquitur Benedictus XIV in Constitutione incip. *Ab inita Sacrosancti,* diei 18 Sept. 1755, quae prostat penes *Chronologiam Ord. Min.,* tom. IV, pag. 187; et in altera Constitutione (*Bullarii* tom. XXXII) edita tertio Idus Martii 1746, cuius initium *Laborantibus,* agit idem Pontifex de assignatione annuae praestationis favore *Collegii Poenitentiariorum* Basilicae Lateranensis.

Exordium Constitutionis ita se habet: « Laborantibus in Vinea Domini, et Apostolicae Sedi assidue et laudabiliter inservientibus, diurnum denarium non suppeditari et necessaria ad vitae sustentationem deesse, minime decet... Nuper accepimus, operam laboremque suum praestare dilectos Filios Sacerdotes Ordinis Minorum S. Francisci, qui pro demandato sibi Poenitentiariorum Minorum officio apud Basilicam nostram Lateranensem in peculiari Collegio simul degentes excipiendis Sacramentalibus confessionibus Christifidelium ad eamdem Basilicam confluentium incessanter occupantur ».

§ 31. *Privilegium concessum Lectoribus Iubilatis Ordinis Minorum.*

1058. Innocentius XI per Breve incip. *Exponi Nobis* diei 27 Nov. 1679 *Lectoribus Iubilatis* Ordinis Minorum concessae sunt

omnes praerogativae, praeeminentiae, privilegia, gratiae et indulta, quibus alii Regulares, Doctores Artium et in Sacra Theologia Magistri fruuntur et gaudent; videlicet aequiparantur Doctoribus et Magistris in sacra Theologia (Vid. dicta pag. 351).

§ 32. *Privilegium utendi Palmatoria seu Bugia et Bacili cum Buccali primariis Superioribus Ordinis Minorum concessum.*

INDULTUM.

1059. Quamvis R. P. Aloysius Maria a Carpo Sacerdos Ordinis Minorum de Observantia Provinciae Bononiensis, qui in vim specialis mandati Rmi Ministri Generalis eiusdem Ordinis redigere debet Caeremoniale Ordinis ipsius, videat, stante antiqua et semper servata consuetudine, in eodem Caeremoniali adnotari posse peculiares illas honorificentias, quibus semper usi sunt Minister Generalis in toto Ordine, Provinciales in suis Provinciis, et Custodes Gubernii in suis Custodiis, adhibendi in Missis solemnibus *Palmatoriam, Bacile cum Buccali* ad *Lavabo;* itemque in celebratione Missae privatae, saltem diebus solemnioribus et tempore sacrae Pastoralis Visitationis, utendi *quatuor candelis* ardentibus in Altari, Palmatoria, duobus Clericis et Sacerdote superpelliceo induto, qui assistat ad Missale, praeparet, discooperiat, purificet et cooperiat Calicem, eo vel magis quod Benedictus XIV die 9 Aprilis 1756 tales honorificentias imprimere indulsit in Caeremoniali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, cum quibus Observantes in privilegiis communicant; attamen Orator congruum reputavit haec singula ingenue exponere SS. D. N. Pio Papae IX, ac humillime postulare, ut de Apostolica Benignitate id fieri posse indulgeret.

Sanctitas porro Sua, attentis expositis, ac referente subscripto S. R. C. Secretario, in omnibus clementer annuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Iulii 1864.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI, S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S. D. BARTOLINI, S. R. C. *Secret.*

Hoc Rescriptum seu Indultum et alia duo, quae sequuntur, reperiuntur inserta penes *Caeremoniale* P. Aloysii a Carpo in fine voluminis (edit. tertia Romana).

§ 33. *Indultum seu privilegium quoad usum Pluvialis et Albae in quibusdam choralibus Officiis.*

1060. Rmus P. Fr. Raphael a Ponticulo Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci exposuit, in pluribus Ecclesiis Ordinis sui Celebrantem cum Assistentibus assumere Pluviale non super Superpelliceo, sed super Alba tum in Vesperis solemnibus, tum in Completorio, ubi Vesperae non decantantur; idemque fieri solemnioribus in diebus ad Matutinum ab initio Officii. Quum praxis haec ab immemorabili originem trahat, a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit, ut ipsa non solum in dictis Ecclesiis retineri, sed etiam inseri possit in eiusdem Ordinis Caeremoniale propediem in lucem edendum.

Sacra vero eadem Congregatio, attentis expositis, rescribendum censuit: *pro gratia iuxta preces*. Atque ita rescripsit die 31 Augusti 1867.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi, S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini, *Secret.*
Ioseph Ciccolini, *Subst.*

§ 34. *Indultum quoad usum intorticiorum ad cantum Homiliarum in nocte Nativitatis Domini.*

1061. Rmus Pater Fr. Raphael a Ponticulo Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci SSmo Domino Nostro Pio Papae IX exposuit, in plurimis Ordinis sui Ecclesiis in Sacratissima Nocte Dominicae Nativitatis antiquissimam adesse consuetudinem, ut ad cantum trium Homiliarum, praeter candelabra ad Rubricarum praescriptum, adhibeantur in prima duo intorticia, quatuor in secunda, et sex in tertia, quae a Clericis deferuntur. Ut autem antiquissima

haec consuetudo in suo Ordine continuari, et in Ordinis Caeremoniale inseri valeat, humillimis datis precibus praefatus Orator ab eodem SSmo Dno Nostro postulavit.

Sanctitas vero Sua, ad relationem infrascripti Substituti Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis benigne pro gratia annuere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Sept. 1867.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi, S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini, *Secret.*
Ioseph Ciccolini, *Subst.*

§ 35. *Fratres Minores et Capuccini quoad alienationem bonorum immobilium.*

1062. Lege canonica vetitum est bona Ecclesiae sive immobilia sive mobilia pretiosa absque Indulto Apostolicae Sedis alienare. Ordines tamen, incapaces possidendi in communi, ut sunt Fratres Minores et Capuccini, huiusmodi prohibitioni quoad alienationem immobilium non subiacent. Si ergo contingat, ut his Religionibus seu alicui Conventui horum Ordinum modo licito donentur seu relinquantur talia bona, haec absque Pontificio Indulto alienari possunt. Religiosi enim Minores et Capuccini nec possidere possunt *vi Regulae professae* bona immobilia, nec eadem retinere. Alienatio ergo fieret tali in casu ex necessitate iuris, huiusmodi alienationem praecipientis (Vid. latius dicta in Tract. *de rebus non alienandis;* et vid. Bouix, *de Iure Regularium,* tom. II, pag. 286).

§ 36. *Privilegia concessa Benefactoribus Ordinis Minorum.*

1063. *Indulgentiae concessae Advocatis.* Advocati Ecclesiarum, Conventuum et Monasteriorum dictorum Ordinum ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam *centum annorum.*

Indulgentiae concessae Procuratoribus. Procuratores qui adiuvant et defendunt Monasteria et loca praefata, ex concessione Mar-

tini IV lucrantur indulgentiam *centum annorum*. Insuper Innocentius VIII concedit, ut dicti Procuratores et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores et fratres, diebus Stationum Urbis Romae dicendo in Ecclesia praefatorum Ordinum quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria*, Deum orando pro felici statu S. Ecclesiae, lucrentur easdem indulgentias, ac si visitarent Ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae Stationes.

Indulgentiae concessae Medicis dictorum Ordinum. Medici Conventuum dictorum Ordinum cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, sororibus, fratribus, patribus et matribus, lucrantur singuli eorum, ex concessione Alexandri VI, indulgentiam *centum annorum,* et insuper omnes indulgentias et stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen *quinque Pater noster* et *quinque Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII concessi Procuratoribus, et applicati dictis Medicis per supradictum Alexandrum VI.

Haec omnia referuntur in Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, uti authentice recognito a S. Congregatione Indulgentiarum. Quibus indulgentiis sive privilegiis gaudere videntur etiam Benefactores aliorum Ordinum Mendicantium (Vid. nostra *Collectio Indulg.* pag. 714).

Indulgentiae Syndicis Apostolicis Ordinis Minorum specialiter concessae. Ut Regulae sancti Francisci puritas in Ordine Fratrum Minorum vigeret et magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio et proprietate alieni conservarentur, Summi Pontifices statuerunt et ordinarunt, ut unicuique Conventui dicti Ordinis unus *Procurator sive Syndicus Apostolicus,* qui nomine Romanae Ecclesiae omnes eleemosynas tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque in necessitates Fratrum praefatorum applicare deberet.

Iam vero huiusmodi Syndicos *intuitu laborum, quos continuo in Fratrum beneficium sustinent,* maximeque transactis temporibus sustinebant, S. Sedes spiritualibus favoribus decoravit. Relictis ceteris privilegiis, quibus huiusmodi Syndici a Summis Pontificibus olim ditati fuerant, sermo limitatur in praesenti ad indulgentias,

quibus praedicti Syndici frui possunt. Dicimus proinde *Syndicos* (qui in documentis S. Sedis vocantur etiam *Procuratores*) Conventuum Ordinis Fratrum Minorum legitime institutos *gaudere iisdem indulgentiis, quibus gaudent ipsi Fratres Minores,* idque ex concessione Summi Pontificis Clementis VII per Litteras in forma Brevis, incip. *Dum consideramus,* de die 16 Apr. 1526, quarum tenor est sequens:

« Dum consideramus assiduos labores et vigilias, quos dilecti filii Syndici et Procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiae et Monialium S. Clarae, Conceptionis, Annuntiationis Ordinum, et Sororum tertiae regulae S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus...

« Idcirco *uni Syndico et Procuratori* huiusmodi, cum illius uxore et liberis, praesenti et futuro, singulae domui et monasterio praedictis pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi et eorum quilibet, *omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus,* favoribus et gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiae praedictorum utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere possint et valeant... auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus ».

Litterae Apostolicae Clementis VII, nec non plura Decreta SS. Romanarum Congregationum edita in favorem privilegiorum, quibus gaudent Syndici Apostolici nostri Ordinis, confirmatae sunt tum ab Innocentio XI, die 19 Iun. 1686, tum a Benedicto XIV, Brevi *Exponi Nobis* de die 25 Maii 1751, quod per extensum refertur a P. Carolo Maria Perusini *in Chronolog. Ordinis Minorum,* tom. II, pag. 462-463. Inter privilegia Syndicis Conventuum Ordinis Minorum a S. Sede concessa illud singulare erat, quod *ipsi gaudere debeant privilegio fori,* tam in causis civilibus, quam in criminalibus et mixtis. Huiusmodi privilegia, *inspecto iure,* non sunt revocata. Documenta super hac materia videri possunt apud Kazenberger *in Supplem. Theol. Mor. P. Sporer,* n. 107, pag. 74; Matthaeucci, *Offic. Cur. ecclesiast.* cap. 51; Ferraris, v. *Indulgentia,* art. V, n. 35, et v. *Syndicus; Chronol. Ord. Min.* Perusini, tom. II, pag. 462.

§ 37. *Facultas in Ordine Minorum concedendi religiosum habitum morientibus, cum eodem habitu sepeliri eligentibus.*

1064. Plures olim Christifideles viam universae carnis ingressuri humiliter rogabant se cum habitu religioso Fratrum Minorum sepeliri, ut spiritualium gratiarum seu indulgentiarum a pluribus Romanis Pontificibus ad hoc concessarum participes fierent.

Verum S. Congregatio Ep. et Regul. per Decretum diei 21 Ian. 1724, approbatum a Summo Pontifice die 22 eiusdem mensis et anni, decrevit et declaravit, quod habitus huiusmodi per *Guardianum Conventus* Ordinis Minorum *loci,* in quo tales devotos fideles decedere contigerit, *vel* per Superiorem Praelatum ipsius Ordinis, *vel* per eorum Delegatum *dumtaxat,* et non per alium, sive Saecularem sive Regularem, quavis auctoritate vel Praelatione fungentem *ad praefatum effectum* exhiberi debere ad formam Constitutionis s. m. Sixti IV incipien. *Sacri* etc. § 9. Proindeque Saecularibus, sive Regularibus prohibendum censuit, sicuti praesentis Decreti vigore prohibuit, distributionem habitus Minorum, quo cooperta cadavera mortuorum ad tumulum deferantur, exceptis tantummodo Guardianis, aliisque Superioribus Ordinis Minorum, vel eorum Delegatis ad formam dictae Constitutionis; atque Ordinarii locorum sedulo incumbant executioni huiusmodi Decreti sub poenis iisdem bene visis. Facto verbo cum SSmo (Vid. integrum Decretum in *Chronolog. Ord. Min.* Perusini, tom. II, pag. 30; et cf. Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V. n. 38 sqq.; nostra *Collectio,* pag. 679, Nota).

§ 38. *Nova dispositio quoad nonnulla festa in Ordine Minorum.*

1065. Ordinis Minorum. Ex Apostolicae Sedis Indulto, inde ab anno 1883, universo Ordini Minorum concessum fuit, ut Festa primae et secundae classis, quae occursu alterius Festi altioris ritus, vel Dominicae, aut Feriae, aut Octavae privilegiatae propria die accidentaliter vel perpetuo recoli nequeant, die ipsum Festum im-

mediate insequenti, vel post Octavas illas privilegiatas, Officio primae vel secundae classis similiter non impedita, celebrari liceat, ac de Festo ea die occurrente fiat ad instar Simplicis. Ne festa vero praecipua immerito simplificentur, atque omne dubium ut eliminetur, Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, nomine et auctoritate supremi ipsius Ordinis Moderatoris ac Definitorum Generalium, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X humillimis precibus flagitavit, ut enuntiatum privilegium ex Rubrica peculiari, quae additur Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi in Breviario Romano Dominica I. Iulii, atque omnimodam habet similitudinem cum enuntiato privilegio, ita intelligi debeat, ut Duplicia et Semiduplicia a Festis classicis perpetuo translatis impedita, necnon Duplicia maiora quaecumque et Duplicia Sanctorum Ecclesiae Doctorum minora primaria per accidens impedita, reponi valeant seu transferri in aliam diem liberam iuxta Rubricas.

Insuper expetivit, ut Octava Sanctissimi Corporis Christi, quae anno 1884 concessa fuit Ordini Minorum ita privilegiata, ut infra eam fiat tantummodo de Duplicibus primae classis occurrentibus, deinceps ad varia incommoda removenda, ita reducatur, ut Duplicia secundae classis etiam translata necnon diem Octavam alicuius Festi admittat.

Sacro porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Martii 1904.

In hoc ergo Decreto statuitur:

1° Ut privilegium Ordini Fratrum Minorum concessum ad transferenda Duplicia primae et secundae classis explicetur iuxta Rubricam peculiarem Breviarii Romani in Festo Pretiosissimi Sanguinis appositam, quae ita se habet: *Si hodie* (Dominica 1 Iulii) *occurrat Festum Visitationis B. M. V. vel aliud Festum altioris ritus, aut aequalis, sed primarium, de Pretios. Sanguine fiet prima die non impedita a Festo duplici I vel II classis, translato inde iuxta Rubricas Festo duplici maiori vel alicuius*

Doctoris Ecclesiae; de Duplici vero minori vel semidupl. occurr. fit tantum comm. in utrisque Vesp. et Laud. cum Lect. IX historica.

2° Ut Octava SSmi Corporis Christi, quae apud Nostrates Duplicia solum primae classis occurrentia hucusque admiserat, in posterum Duplicia etiam secundae classis translata ac diem Octavam cuiusvis Festi recipiat.

INDEX

Liber XXIII. De Hierarchia Ecclesiastica.

Caput I. De Ecclesiae Christi constitutione . . . . . *pag.* 2
Caput II. De Summo Pontifice eiusque iuribus et praerogativis . . . » 8
Caput III. De Curia Romana . . . . . » 11
Caput IV. De Eminentissimis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus deque eorum dignitate, numero et praerogativis . . . . . » 14
Caput V. De Sacris Romanis Congregationibus in genere . . . . . » 25
§ I. Praenotanda quoad Romanas Congregationes . . . . . » »
» II. De efficacia et auctoritate Sacrarum Congregationum . . . . . » 26
Caput VI. De Sacris Congregationibus in particulari . . . . . » 31
§ I. De S. Congregatione Supremae et Universalis Inquisitionis seu Sancti Officii . . . . . » »
» II. De S. Congregatione Indicis . . . . . » 36
» III. De S. Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita . . . . . » 39
» IV. De S. Congregatione super Disciplina Regulari . . . . . » 43
» V. De S. Congregatione super Statu Regularium . . . . . » 45
» VI. De S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. » 46
» VII. De S. Congregatione de Propaganda Fide . . . . . » 47
» VIII. De Sacra Congregatione Rituum . . . . . » 51
» IX. De S. Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, perpetuo coniuncta cum S. Congregatione Rituum . . . . . » 61
» X. De S. Congregatione Caeremoniali . . . . . » 67
» XI. De S. Congregatione Consistoriali . . . . . » 68
» XII. De S. Congregatione Immunitatis ecclesiasticae . . . . . » 69
» XIII. De S. Congregatione Fabricae S. Petri . . . . . » 70
» XIV. De S. Congregatione Visitationis Apostolicae . . . . . » 72
» XV. De S. Congregatione examinis Episcoporum . . . . . » 89
» XVI. De S. Congregatione pro eligendis Episcopis. . . . . » »
» XVII. De S. Congregatione super residentia Episcoporum . . . . » 91
» XVIII. De S. Congregatione a negotiis ecclesiasticis extraordinariis nuncupata . . . . . » »
» XIX. De S. Congregatione studiis regendis praeposita . . . . . » 92
» XX. De aliis sacris Tribunalibus Romae existentibus . . . . . » 93
» XXI. De S. Poenitentiaria Apostolica . . . . . » 94
Caput VII. De Legatis Sedis Apostolicae . . . . . » 97
Caput VIII. De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis . . . . . » 99

Liber XXIV. De Officiis, Iuribus, et Privilegiis Episcoporum seu Ordinariorum.

Caput I. Praemittenda quoad dignitatem, potestatem et qualitates Episcoporum . . . . . *pag.* 105
Caput II. Episcopi quoad varias appellationes et consecrationem . . . » 110
Caput III. Praecipua Officia seu munera Episcoporum . . . . . » 114
Caput IV. Iura et facultates Episcopis competentes . . . . . » 134
§ I. Facultates a Concilio Tridentino et a S. Sede recentius Episcopis concessae . . . . . » »
» II. Episcopus quoad quasdam Benedictiones . . . . . » 138
» III. Limites quorumdam iurium seu facultatum in Episcopis, praesertim Titularibus . . . . . » 139
» IV. Declarationes quoad Episcopos Regulares . . . . . » 144
Caput V. Iura et officia Episcoporum relate ad ecclesias parochiales Regularium . . . . . » 145
Caput VI. Referuntur plura alia iura, praerogativae et privilegia Episcoporum . . . . . » 150
Caput VII. Episcopi quoad Indulgentias et quaedam privilegia recenter ipsis concessa . . . . . » 161
Caput VIII. Episcopi seu Vicarii Apostolici quoad consecrationem Sacrorum Oleorum. . . . . » 168
Caput IX. Facultates concessae Episcopis quoad Matrimonium . . . » 172
Caput X. Facultates, quae Episcopis a S. Sede concedi solent, circa compositionem, Officiales publicos etc. . . . . » 175
Caput XI. Episcopus aegrotans vel defunctus . . . . . » 182
Caput XII. Officia, Iura et Privilegia Vicarii Generalis . . . . . » 183
Caput XIII. Officia, Iura et Privilegia Vicarii Capitularis. . . . . » 190
Caput XIV. De Synodo Dioecesana . . . . . » 199
Caput XV. An Regulares teneantur Synodo dioecesanae interesse . . » 208
Caput XVI. Ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium . . » 211

Liber XXV. De Episcoporum adiutoribus.

Caput I. Canonici eorumque onera ac munera. . . . . » 217
§ I. Praenotanda quoad Capitula Canonicorum . . . . . » »
» II. Canonici quoad servitium chori . . . . . » 219
» III. Causae excusantes a servitio Chori . . . . . » 224
» IV. Canonici quoad Episcopum, ubi de variis ipsorum officiis et iuribus . . . . . » 231
» V. Canonici quoad Missam Conventualem. . . . . » 234
» VI. Canonici quoad praecedentiam et lubilationem. . . . . » 239
» VII. Canonici ad honorem . . . . . » 241
» VIII. Canonici quoad Insignia canonicalia . . . . . » 243
Caput II. Motu Proprio de Protonotariis Apostolicis eorumque oneribus et privilegiis. . . . . » 245

Caput III. De Vicariis Foraneis . . . . . *pag.* 262
Caput IV. De Parochis . . . . . » 264
§ 1. Parochus quoad electionem, possessionem et iurisdictionem . . . » »
» II. Parochus quoad residentiam . . . . . » 266
» III. Parochus quoad praedicationem Evangelii . . . . . » 272
» IV. Parochus quoad Catechismum . . . . . » 274
» V. Parochus quoad applicationem Missae pro populo. . . . . » 280
» VI. Parochus quoad Missae binationem seu iterationem . . . . . » 286
» VII. Parochus sive saecularis sive regularis quoad Coadiutores et nonnulla iura. . . . . » 292
» VIII. Parochus quoad Sacramentorum administrationem in genere . » 295
» IX. Parochus quoad Baptismum . . . . . » 296
» X. Parochus quoad Sacramentum Confirmationis . . . . . » 305
» XI. Parochus quoad Sacramentum SS. Eucharistiae . . . . . » 311
» XII. Parochus quoad Sacramentum Poenitentiae. . . . . » 313
» XIII. Parochus quoad Sacramentum Extremae Unctionis . . . . . » 317
» XIV. Parochus quoad Sacramentum Matrimonii. . . . . » 319
» XV. Resolutiones plurium dubiorum super iuribus Parochorum in ordine ad Episcopum . . . . . » 327
» XVI. De decimis, primitiis et oblationibus . . . . . » 330
» XVII. Dubia et responsa circa decimarum solutionem, ex S. Poenitentiaria Apostolica. . . . . » 333
Caput V. De Seminario Clericorum. . . . . » 337
Caput VI. Pontificia dispositio pro Clericis et Sacerdotibus studiorum causa Romam contendentibus . . . . . » 339
Caput VII. Clerici quoad excardinationem . . . . . » 341
Caput VIII. De gradibus academicis, seu de Magistris, Licentiatis et Baccalaureis . . . . . » 343
§ 1. Explicatio dictorum nominum . . . . . » »
» II. Doctores seu Magistri in Ordinibus Regularibus. . . . . » 350
Caput IX. Statuta Pontificiae facultatis iuris canonici in collegio Sancti Thomae Aquinatis Romae sub Patrum Ordinis Praedicatorum regimine erectae. . . . . » 354

Liber XXVI. De privilegiis Regularium.

Pars Prima. De iis, in quibus Regulares exempti subduntur Episcopis » 361
§ 1. De Emis Cardinalibus Protectoribus Ordinum Religiosorum, eorumque officiis et iuribus . . . . . » 362
» 2. De Iudicibus Conservatoribus eorumque officiis et iuribus . . . » 366
» 3. Ius Episcopi in Regulares quoad ministerium sacrae Praedicationis. » 372
» 4. An Regulares teneantur observare decreta seu Constitutiones synodales . . . . . » 378
» 5. An Regulares interesse teneantur congregationibus seu collationibus casuum conscientiae, quae fiunt a Clero . . . . . » 380
» 6. Quid possint Episcopi circa Regulares extra vel intra claustra delinquentes . . . . . » 382

§ 7. Ius Episcopi in Regulares quoad fugitivos, apostatas et eiectos *pag.* 387
» 8. An Regulares teneantur servare censuras ab Episcopis latas . . » »
» 9. An possint Episcopi compellere Regulares exemptos per censuras in casibus, in quibus sibi subsunt . . . . . » 388
» 10. Ius Episcopi in Regulares absque scripta licentia a suis Conventibus recedentes. . . . . » 390
» 11. Ius Episcopi in Regulares quomodolibet delinquentes in ipsum Episcopum. . . . . » 391
» 12. Ius Episcopi quoad erectionem novorum Conventuum . . . . » 392
» 13. Regulares subsunt Episcopis, quoad Litteras testimoniales pro admittendis Postulantibus ad habitum religiosum . . . . . » 393
» 14. Ius Episcopi in Regulares exemptos quoad ipsorum Novitios. . » 394
» 15. Ius Episcopi explorandi voluntatem puellarum monachandarum, et quoad numerum Monialium. . . . . » 395
» 16. Ius Episcopi in iudicio super nullitate professionis religiosae . . » »
» 17. Ius Episcopi in electione Abbatissae quoad Monasteria Regularibus subiecta . . . . . » 396
» 18. Quid possit Episcopus in Regulares quoad clausuram Monialium. » »
» 19. Ius Episcopi in Regulares quoad confessarios Monialium . . . » 397
» 20. Ius Episcopi in Regulares quoad administrationem Sacramentorum. » 398
» 21. Ius Episcopi in Regulares quoad sacram Praedicationem . . . » 403
» 22. Ius Episcopi in Regulares quoad dies festos in Dioecesi institutos. » 404
» 23. Regulares subsunt Episcopis quoad Iudices conservatores . . . » »
» 24. Regulares parochi subduntur Episcopis *a)* quoad accessum ad Synodum dioecesanam; *b)* quoad conferentias casuum; *c)* quoad plura alia, excepta regulari observantia. . . . . » »
» 25. Regulares subsunt Episcopis quoad pulsum campanarum in Sabbato Sancto et in alio aliquo peculiari casu . . . . . » 405
» 26. Regulares subduntur Episcopis quoad censuram incursam ob notorium delictum, quatenus possunt denunciari excommunicati . . . » »
» 27. Regulares subsunt Episcopis, si incesserint sine socio, aut de nocte, aut publice deferentes arma etc. . . . . » 406
» 28. Regulares subsunt Episcopis: *a)* quoad lectionem sacrae Scripturae; *b)* quoad executionem decretorum Concilii Tridentini sess. 25, cap. 22, de Regul.; *c)* quoad executionem ultimarum voluntatum ad causas pias. » »
» 29. Regulares subduntur Episcopis quoad sacras Imagines et Reliquias. » 407
» 30. Ius Episcopi in Regulares quoad causas fidei . . . . . » 408
» 31. Ius Episcopi in Regulares quoad crimen sollicitationis . . . . » 409
» 32. Ius Episcopi in Regulares quoad censuram et editionem librorum. » »
» 33. Ius Episcopi in Regulares quoad Processiones in ecclesiis ipsorum Regularium . . . . . » 411
» 34. Ius Episcopi in Regulares quoad Processiones publicas. . . . » 412
» 35. Ius Episcopi in Regulares quoad exorcizandos obsessos a daemonio » 413
» 36. Ius Episcopi in Regulares quoad Communionem Paschalem . . » »
» 37. Regulares puniri possunt ab Episcopis, si ad Presbyteratum nondum promoti, audent Missam celebrare vel confessiones sacramentales excipere . . . . . » 414

§ 38. Regulares subsunt Episcopis quoad receptionem in eorum ecclesiis parochialibus Missionariorum, quos ipsi Episcopi mittunt tempore sacrae visitationis . . . . . *pag.* 415
» 39. Regulares subsunt Episcopis quoad violationem immunitatis ecclesiasticae . . . . . » »
» 40. Regulares subduntur Episcopis quoad exercitium Ordinis sacri in aliena diocesi et ecclesia . . . . . » »
» 41. Regulares subduntur Episcopis quoad erectionem Conventuum . » 416
» 42. An et quatenus Regulares ab Episcopo dependeant quoad bonorum ecclesiasticorum alienationem . . . . . » »
» 43. Ius Episcopi in Regulares in Residentiis Missionum commorantes. » 417
» 44. Ius Episcopi in Regulares benedicentes sacra indumenta pro usu aliarum ecclesiarum . . . . . » 418
» 45. Regulares subduntur Episcopis quoad Collectas in Missa recitandas. » »
» 46. Regulares subduntur Episcopis quoad Litanias, ne novi versiculi addantur, vel formulae non approbatae introducantur . . . . . » »
» 47. Regulares subduntur Episcopis quoad erectionem Viae Crucis in locis non exemptis . . . . . » 419
» 48. Regulares subduntur Episcopis quoad casus ab ipsis Episcopis sibi reservatos. . . . . » 422
» 49. Regulares subduntur Episcopis quoad stipendium Missarum . . » »
» 50. Ius Episcopi in Regulares quoad Confraternitates in ecclesiis eorumdem Regularium erectas. . . . . » »
» 51. Ius Episcopi quoad Tertium Ordinem. . . . . » 424

Pars Secunda. De iis, in quibus Regulares non subduntur Episcopis » »
§ 1. Regulares potiuntur privilegio exemptionis a iurisdictione Episcoporum. . . . . » 425
» 2. Ordines Regulares, praesertim Mendicantes, gaudent inter se communicatione privilegiorum . . . . . » 426
» 3. Regulares non subduntur Episcopis quoad visitationem tum locorum tum personarum regularium, praeterquam in casibus expressis. . » »
» 4. Regulares non subduntur Episcopis quoad observantiam regularem. » 427
» 5. Regulares non subduntur Episcopis quoad accessum ad Synodum dioecesanam, exceptis casibus in iure expressis . . . . . » 428
» 6. Regulares non subduntur Episcopis quoad observantiam constitutionum synodalium, exceptis casibus a iure expressis. . . . . » »
» 7. Regulares non subduntur Episcopis quoad conferentias casuum conscientiae . . . . . » 429
» 8. Regulares non tenentur exhibere Episcopis libros, in quibus notantur celebrationes Missarum . . . . . » »
» 9. Regulares non subduntur Episcopis quoad audiendas Confessiones Religiosorum proprii Ordinis . . . . . » 431
» 10. Regulares non subduntur Episcopis quoad excipiendas Confessiones saecularium, qui in Conventibus sunt vere de familia. . . . . » 432
» 11. Regulares non subduntur Episcopis quoad administrationem Sacramentorum Extremae Unctionis et sacri Viatici, nec non Communionis

paschalis praedictis saecularibus, qui sunt continui commensales et de familia Conventuum . . . . . *pag.* 432
» 12. Regulares non subduntur Episcopis quoad excipiendas confessiones Novitiorum et Alumnorum votorum simplicium, et quoad administrationem Sacramentorum Extremae Unctionis, Viatici et Communionis paschalis eisdem Novitiis et Alumnis. . . . . » 433
» 13. Quaedam privilegia Regularium relate ad approbationem pro excipiendis confessionibus saecularium . . . . . » 434
» 14. Regulares degentes intra claustra, si delinquant, non subduntur Episcopis quoad punitionem. . . . . » 436
» 15. Regulares degentes in Parochialibus monasterio unitis non subduntur Episcopis quoad punitionem . . . . . » »
» 16. Regulares Parochi non subduntur Episcopis, si eorum ecclesia parochialis sit illius Conventus, in quo Generalis Ordinis habet residentiam ordinariam. . . . . » 437
» 17. Regulares exempti non subduntur Episcopis quoad absolvendos suos Religiosos a casibus, quos Episcopi sibi reservant . . . . . » »
» 18. Regulares non subduntur Episcopis quoad cognitionem sententiae expulsionis Religiosorum ab Ordine . . . . . » 438
» 19. Moniales Regularibus subiectae non subsunt Episcopis quoad ea quae subnectuntur . . . . . » »
» 20. Regulares gaudent privilegio funerandi in propriis ecclesiis . . » 440
» 21. Regulares fruuntur privilegio recipiendi, iuxta modum, sacram Ordinationem extra tempora . . . . . » 441
» 22. Regulares non subduntur Episcopis quoad expositionem et processionem SS. Sacramenti infra octavam Corporis Christi. . . . . » 442
» 23. Regulares quoad Kalendarium in recitatione divini Officii et celebratione Missae . . . . . » »
» 24. Regulares gaudent privilegio erigendi per suos respective Superiores Generales vel Provinciales sacrum Oratorium in suis Conventibus. » 446
» 25. Regulares quoad tempus celebrandi Missam . . . . . » 447
» 26. Regulares eximuntur a solvendo Cathedratico . . . . . » »
» 27. Regulares eximuntur a praestando subsidio charitativo. . . . » 448
» 28. Regulares Mendicantes eximuntur a contributione pro Seminario erigendo . . . . . » »
» 29. Per specialia privilegia a Summis Pontificibus concessa, Regulares fere omnes hodie sunt exempti a solvendis Decimis et vectigalibus. » »
» 30. Potestas Praelatorum Regularium irritandi vota Religiosorum subditorum . . . . . » 451
» 31. Potestas Praelatorum Regularium dispensandi in votis suorum subditorum . . . . . » 453
» 32. Potestas Praelatorum Regularium irritandi iuramenta suorum subditorum . . . . . » 454
» 33. Potestas Praelatorum Regularium dispensandi in iuramentis suorum subditorum . . . . . » 455
» 34. Omnes facultates speciales a S. Sede habitualiter Superioribus Regularibus concessae, transeunt ad Successores . . . . . » 456

§ 35. Professio religiosa extinguit omnia vota prius emissa . . . *pag.* 457
» 36. Facultas Confessariorum Regularium commutandi vota Christifidelium. . . . . » »
» 37. Praelati Regulares possunt benedicere paramenta, vasa sacra et alia ad divinum cultum pertinentia, in quibus sacra Unctio non est adhibenda, sed pro suis tantum Ecclesiis . . . . . » 458
» 38. Praelati Regulares possunt benedicere ac reconciliare suas ecclesias et coemeteria . . . . . » 459
» 39. Facultas quaestuandi quoad Regulares Mendicantes . . . . . » 460
» 40. Privilegium Cannarum quoad distantiam in fundatione novi Conventus . . . . . » 461
» 41. Declarationes Summi Pontificis Leonis XIII in Constitutione Romanus Pontifex diei 8 Maii 1881 quoad erectionem et mutationem Conventuum . . . . . » 462
» 42. Indulgentia plenaria a Summo Pontifice Paulo V concessa pro articulo mortis omnibus Religiosis et Monialibus. . . . . » 464
» 43. Privilegium Monialibus Novitiis Ordinis Praedicatorum concessum. » 465
» 44. Dispensatio super irregularitatibus quoad religiosos . . . . . » 468
» 45. Moderatio circa usum facultatis dispensandi super irregularitatibus . . . . . » 475
» 46. Praelati Regulares concedere possunt Benefactoribus insignibus Litteras Filiationis . . . . . » 478
» 47. Facultas in Ordinibus Regularibus admittendi ad Ordinem filios illegitimos . . . . . » 483
» 48. Potestas Regularium quoad censuras seu casus reservatos. . . » 488
» 49. Praelati Regulares, vel ab eis delegati, absolvere possunt suos subditos ab excommunicatione incursa ob percussionem etiam gravem Clerico vel Monacho inflictam . . . . . » 490
» 50. Regulares, prout ceteri omnes Ecclesiastici, gaudent privilegio Canonis . . . . . » »
» 51. Regulares prout ceteri Ecclesiastici, gaudent privilegio Fori . . » 491
» 52. Regulares, prout ceterae personae ecclesiasticae, ac eorum bona, gaudent immunitate ecclesiastica . . . . . » »
» 53. Potestas Superiorum Regularium respectu suorum subditorum quoad praecepta ecclesiastica. . . . . » 492
» 54. Potestas Superiorum Regularium respectu suorum subditorum relate ad Officium divinum . . . . . » 493
» 55. Regulares quoad portionem canonicam seu quartam funeralem . » »
» 56. Regulares quoad nonnulla officia et iura. . . . . » 494
» 57. An Confessarii Regulares facultatem habeant dispensandi ad petendum debitum. . . . . » 496
» 58. Privilegium Regularium quoad pulsationem campanarum et functiones extraordinarias. . . . . » 498
» 59. Prohibetur Regularibus admittere ad celebrandam Missam vagos seu peregrinos, nisi prius exhibuerint infrascripta documenta . . » »
» 60. Superiores Regulares nullo modo immiscere se possunt in causis S. Officii . . . . . » 499

§ 61. Decretum, quo Romae prohibetur Superioribus Religiosorum audire confessiones sacramentales subditorum suorum . . . . . *pag.* 499
» 62. Regulares quoad Absolutionem in articulo mortis et Benedictionem papalem . . . . . » 500
» 63. Dispositiones speciales pro Abbatibus. . . . . » 501

Pars Tertia. Speciales gratiae et iura seu privilegia Ordini Minorum ab Apostolica Sede benigne concessa . . . . . » 506
§ 1. Indulgentia plenaria concessa Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum pro variis sacris peregrinationibus, in aliud pium exercitium commutatis. . . . . » 507
» 2. Concessiones altaris privilegiati ecclesiis et in favorem Fratrum et Monialium Ordinis Minorum, nec non Ministri Generalis . . . . » 508
» 3. Gratiae Missionariis Ordinis Minorum concessae. . . . . » 511
» 4. Benedictio Apostolica et indulgentia plenaria Missionariis Franciscalibus et fidelibus Missionibus interessentibus . . . . . » 513
» 5. Indulgentia plenaria pro renovatione religiosae professionis. . . » 515
» 6. Indulgentiae adnexae recitationi Coronae Franciscanae seu septem Gaudiorum B. Mariae Virginis . . . . . » 516
» 7. Ordo Minorum quoad Stationes SS. Sacramenti. . . . . » 519
» 8. Ordo Minorum quoad Absolutionem Generalem. . . . . » 520
» 9. Ordo Minorum quoad Indulgentiam Portiunculae . . . . . » 523
» 10. Concessio facta Ordini Minorum quoad indulgentias in erectione novi Conventus. . . . . » 525
» 11. Privilegium Ordinis Minorum deserendi Conventus . . . . . » 527
» 12. Privilegium in Ordine Minorum pro senibus et infirmis Religiosis Ordinis Minorum . . . . . » 527
» 13. Fratres Minores quoad Tertium Ordinem saecularem S. P. Francisci. . . . . » 528
» 14. Fratres Minores quoad erectionem Confraternitatis Chordigerorum » 529
» 15. Fratres Minores quoad Piam Unionem S. Antonii Patavini in ecclesia S. Antonii in Urbe canonice erectam, et quoad alias concessiones in honorem eiusdem Sancti. . . . . » 531
» 16. Privilegium Ordinis Minorum erigendi Stationes Viae Crucis. . » 539
» 17. Privilegium in Ordine Minorum benedicendi Crucifixos cum applicatione Indulgentiarum Viae Crucis . . . . . » 548
» 18. Privilegium in Ordine Minorum constituendi pias Sodalitates Viae Crucis perpetuae . . . . . » 549
» 19. Privilegium in Ordine Minorum constituendi Sodalitates Viae Crucis viventis . . . . . » 553
» 20. Ordo Minorum quoad Pium Opus Terrae Sanctae . . . . . » 557
» 21. Privilegium in Ordine Minorum celebrandi in Sabbatis Missam votivam Immaculatae Conceptionis B. M. V. eiusdemque privilegii extensio recentissima etiam aliis diebus . . . . . » 562
» 22. Ordo Minorum quoad Missam votivam de Spiritu Sancto pro electione Ministri Generalis . . . . . » 566
» 23. Ritus servandus in receptione Praelati Regularis ad Ecclesiam . » 567

§ 24. Privilegium celebrandi Missam votivam de S. P. Francisco in eiusdem Capellis in Basilica S. Mariae Angelorum . . . . . *pag.* 567
» 25. Privilegium legendi SEQUENTIAM in Missis in Festis S. P. Francisci » 568
» 26. Fratres Minores quoad CONFITEOR . . . . . » 569
» 27. Fratres Minores quoad responsorium: « HAEC EST VERA FRATERNITAS » . . . . . » 570
» 28. Declarationes quoad Litanias in Festo S. Marci et in Rogationibus pro Regularibus. . . . . » 571
» 29. Fratres Minores quoad Anniversaria pro defunctis . . . . . » 572
» 30. Privilegium in Ordine Minorum quoad Poenitentiarios minores in Basilica Lateranensi. . . . . » 576
» 31. Privilegium concessum Lectoribus Iubilatis Ordinis Minorum . . » »
» 32. Privilegium utendi Palmatoria seu Bugia et Bacili cum Buccali primariis Superioribus Ordinis Minorum concessum . . . . . » 577
» 33. Indultum seu privilegium quoad usum Pluvialis et Albae in quibusdam choralibus Officiis . . . . . » 578
» 34. Indultum quoad usum intorticiorum ad cantum Homiliarum in nocte Nativitatis Domini . . . . . » »
» 35. Fratres Minores et Capuccini quoad alienationem bonorum immobilium. . . . . » 579
» 36. Privilegia concessa Benefactoribus Ordinis Minorum . . . . . » »
» 37. Facultas in Ordine Minorum concedendi religiosum habitum morientibus, cum eodem habitu sepeliri eligentibus. . . . . » 582
» 38. Nova dispositio quoad nonnulla festa in Ordine Minorum . . . » »

INDEX ALPHABETICUS

A

Abbas — Non subest iurisdictioni episcopali III, 148 — Iura et privilegia in divinis persolvendis 501.

Abbatissa — Electio et confirmatio I, 258, 261 — Duratio 262 — Potestas 264 — Non potest admittere ad habitum nec ad profes. sine licentia Praelat. 275 s. — Iura quoad translationem monial. 325 — Regulae administrationis 327 — Superiorissa sororum votorum simpl. 266.

Abortus — Eius definitio — Procuratio quotupliciter fieri potest — Est actio illicita II, 292 — Craniotomia 293 — Foetus animatus et inanimatus 293 — Poenae in procurantes abortum 294 — Quinam in eas incurrunt 296 — Gravis metus ad procurationem abortus 297 — Conditiones ad incurrendam excomm. 297 — Quid de mulieribus, quae in se ipsis abortum procurant 298, 301 — Poenae per Sixtum V et Gregorium XIV constitutae in procurantes abortum 294, 295 — Relaxatio poenarum 301.

Absolutio Generalis — Formula pro Regularibus, Tertiariis et Congregationibus votorum simplicium II 466 — A quibus impertitur 468 — Tertiarii quando ecclesias adire nequeunt diebus assignatis 443, 448 — Pridie festi post confessionem et quocumque die infra octiduum 448 — Pro sacerdotibus Tertiariis 451.

Absolutio pro defunctis — Post Missam de Requie an sit obligatoria II, 662 — Facienda est a celebrante — Ps. *De profundis* post absolutionem 663, 664 — Celebrans quibus paramentis uti debet 663 — Ubi se collocare debet in absolutione ad tumulum 666 — Absolutio pro defunctis diebus sol. 667 — Salve Regina et responsorium Libera me 663, 669.

Absolutio sacramentalis — A sacerdote schismatico data II, 190 — Absolutio haereticorum *v. Haeresis.* — In mortis articulo III, 500.

Absolutio censurarum — Bullae « Apostolicae Sedis » II, 247 — Quinam impertire valeant 251, 259 — Revocatio facultatum 261.

Absolutio complicis — II, 235.

Adiuratio — II, 65.

Alienatio — Bonorum ecclesiae prohibita est praesertim a Paulo II (1468) I, 637 s. — Quid sub hoc nomine veniat 639 — Quae bona mobilia vel immobilia alienari prohibentur 641 — Quibus de causis permissa, cuius auctoritate et quibus solemnitatibus 643 — Quae bona alienari possint sine solem. 644, 649 — Poenae contra male alienantes 649 — An Episcopi excom. incurrant 650 — Antiqua privilegia regularium revocata sunt ab Urbano VIII (1624) gravibus sub poenis 652 — Pius IX excom. indixit 654 — An etiam, si fieret inter ecclesias et loca pia 656 — An fieri possit ex uno monasterio in aliud 657 — An alienatio facta ex iusta causa, sed sine solem. valida sit ac licita 663 — Quae personae in hanc excom. incurrant 655 — Bonorum missionum prohibita est sine licentia S. Sedis 666 — Bona acquisita pro missionibus sunt vera bona ecclesiastica 667 — Eleemosyna pro terra sancta converti non potest in alios usus 669 — Quoad Congregationes vot. simpl. 669 *v. Regulares.*

Altare — quid eius nomine venit II, 519 — Plura circa altaria 519, 524

— Altare fixum-portatile 526 s. 530, 531 — Consecratio 528 — Benedictio aquae, cum qua fit caementum ad firmandam tabulam altaris 529 — Exsecratio altarium 527 — Sigillum — Altare fractum — Aperitio sepulchri 527, 529.

Altare privilegiatum — Indulgentia adnexa. — Privilegium altaris locale et personale II, 531 — Privilegium altaris fixi non amittitur amovendo lapidem consecratum 532 — Declarationes Sacrae Congreg. Indulg. 532 — Applicatio Indulgentiae altaris privilegiati 533, 512 — Missa ad altare privilegiatum est per se privilegiata; requirit aliquando applicationem privilegii ab offerente 533 — Privilegium altaris pro pluribus defunctis 533 — Quomodo se gerere debet sacerdos, qui habet privilegium altaris personale 535 — Celebratio in festis duplicibus, semiduplicibus et cum paramentis nigris 536 — Sacerdos bona fide non celebrans paramentis nigris et reparatio erroris 537 — Quid de eo, qui scienter missam non celebravit de Requie 538 — Sacerdos celebrans in peccato mortali 539.

Americanismus — II, 174.

Angelus Domini — Et Regina coeli II, 414.

Annulus — Delatio annuli in missa II, 713.

Antiphona — Finalis B. M. V. II, 20, 702, 707.

Apostasia — Quid sit et quotuplex II, 201 — Poenae contra apostatas a fide, a Religione, ab Ordine 201 — Excommunicatio in Regulares temere habitum dimittentes 257 — Absolutio apostatarum a Religione tempore Iubilaei 376 — *v. Religiosus.*

Approbatio pro confessionibus — Notio et discrimen inter collationem iurisdictionis I, 490 — Necessitas 492 — Constitutiones RR. Pontificum 493 s. — *v. Regulares.*

Aqua — Acidula, spumescens vel alcalina pro missae sacrificio II, 732.

Aqua benedicta — Aspersio ante missam conventualem et in Dominicis II, 719 — Aspersio chori et populi 720 — Benedictio aquae in Sabbato Sancto et aliis diebus 719 s. — Sacerdos, quando pergit ad celebrandum, aquam benedictam potest accipere ad ianuam sacristiae 712.

Archiepiscopus — Quis sit III, 102 — potestas et iura 102 — Insignia 103.

Assassinium — Quid sit II, 124 — Rei assassinii a quo privantur et quinam censeri debent 124.

Associatio a S. Familia — Consecratio et aggregatio familiarum II, 417.

Asylum — Excommunicatio in asylum violantes II, 238 *v. immunitas asyli.*

B

Baptismus — Quibus et quando ministrandus III, 296, 303 — Quibus in locis 299 — Aqua et fons baptismalis 300 — Patrinus 301 — nomen 302 — Forma conditionata 302 — Materia 303 — An cum aqua biclorata 305 — Dispositiones in adulto 304 — Baptismus haereticorum II, 189.

Basilicae — Visitatio tempore Iubilaei II, 377.

Benedictiones — Notio et species II, 721 — Fines et effectus 722 — Benedictiones presbyterales, episcopales et papales 722 — Benedictio cum Indulgentia Plenaria 723 — Apostolica — In articulo mortis — paramentorum sacerdotalium — Fontis baptismalis 724 — Candelarum, cinerum et palmarum 725 — Mulieris post partum 726 — Benedictio privata camporum et animalium 726 — Populi 726 — Cum sacra Pyxide 727 — Cum SSmo Sacramento quando est prohibita dari Monialibus 753 — Cum reliquiis Sanctae Crucis 760 s. — Diaconus quoad aliquas benedictiones 727 — Declarationes circa facultatem benedicendi pia obiecta 418 — Facultas benedicendi gemina numismata S. Benedicti 420.

Benedictio ecclesiae — Vel ab episcopo peragenda est vel a sacerdote de eius licentia II, 520 — Privilegium Regularium quoad benedictionem ecclesiarum 522.

Benedictio Papalis — III, 500 — Quoties Episcopus impertiri possit 138 — Pro Tertiariis II, 448.

Beneficium eccles. — Notio I, 567 — divisio 90, 569 — Erectio 579 — collatio 580 — Regulae servandae in collatione 590 — Quomodo conferatur a R. Pontifice, iure praeven-

tionis, concursus, devolutionis et reservationis 581 — Reservatio benef. quid sit 582 — Quotuplex 583 — quae sint regulae. Cancellariae 585 — Episcopus conferre potest benef. ex iure 587 — Non vero Capitulum 588 — Quid de sede vacante 588 — Quod dicitur compatibile et quod non 605 — An quisque habere possit plura 607 — Institutio canon. triplex est 589 — Forma concursus 591 — Quis excipiatur a lege concursus 597 — Dilucidationes 598 — Innovatio quid sit et quotuplex 609 — Quis unire possit et per quas causas 610 — Unio quoad seminaria 611 — Quae unio ab Episcopo fieri nequit 612 — Divisio quomodo facienda et quibus de causis 612 — Dismembratio quid sit 614 — Resignatio quid sit, et quomodo facienda 614 — Benef. regulare quid sit et quotuplex 90 — Quae sancivit Pius V quoad vicarium 91 — Estne amovibilis 91 — An etiam ab Episcopo 92 — Ad quid tenetur 93 — *v. Simonia.*

Beneficiati — Ad quid tenentur, si officium non recitant II, 2 — Quando et quomodo fieri debet restitutio fructuum 2 — Poenae in beneficiatos reos simoniae 159 — Beneficiati schismatici 200.

Biblica Commissio — Litterae Pii X (1904) III, 347 — Quoad gradus academicos 347 — Quoad Regulares 349.

Bibliotheca — Quid sentiendum de excom. in eos, qui extrahunt libros ex bibliothecis Regularium II, 255, 257.

Binatio — quando, qua cum facultate et quibus de causis licita sit III, 286.

Bona ecclesiastica — Decretum Concilii Trid. circa eorum occupationem II, 241.

C

Calendarium — Pro missa in oratoriis II, 548 — Missae recitandae sunt iuxta calendarium ecclesiae, in qua celebratur Missa 670 — Regulares extra conventum commorantes et sacerdotes Tertiarii quali calendario uti debeant 671 — Quid faciendum, cum est error in calendario 712.

Campana — Pulsatio campanarum in ecclesiis Regularium II, 610, 617 s. — In Sabbato Sancto 610, 618 s. — Benedictio 609 s. — Unctio in benedictione 610 — Campanae, quae profanis usibus deserviunt 610.

Campanula — Non pulsanda cum SS. Sacramentum est expositum II, 585 — In privatis oratoriis — Cum in choro recitantur Horae Canonicae et tempore piae supplicationis 610 s.

Candelae — In ecclesiis adhibendae II, 613 — Tertius cereus in missa 713.

Canon — Privilegium canonis II, 109, 112 — Excom. in violatores privilegii canonis 129 — Quid per iniectionem manus violentae intelligatur 130 — Nomine clericorum et utriusque sexus monachorum relate ad privilegium canonis qui veniunt 130 — Quid sentiendum de clericis non portantes habitum et tonsuram 132 — Quis incurrat excom. ob percussionem clerici 134 — Quis non incurrat 134 — An excom. tantum incurrant percutientes, an etiam cooperantes 135 — An impuberes 136 — Percussio levis, gravis et enormis 137 — Percussio levis de se, potest esse gravis ob adiuncta 137 — Quinam possunt absolvere ab excom. lata tam ob gravem quam ob levem clerici percussionem 138, 150 — Apostatae amittunt privilegium canonis 202.

Canonici — Qui sint III, 217 — Quoad servitium chori 219 — Distributiones 222 — Punctator 222 — Causae excusantes 224 s. — Decretum S. Congreg. 228 — Declarationes S. Congreg. 228 s. — Quoad Episcopum 231, 238 — Iura 234 — Quoad missam conventualem 234 — Solutio dubiorum 236 — Quoad praecedentiam 239 — Quoad iubilationem 240 — Debent Officium in choro recitare II, 2 — Canonici in processione Corporis Christi 743 s. — Insignia canonicalia III, 243 — Decretum 244 — Habentes parochiam in titulum 270.

Canonici ad honorem — III, 241.

Canonizatio et beatificatio — Sanctorum quid sit, II 765.

Cantus in Missis — Et sacris functionibus II, 629, 674 — Symbolum et Gloria 674 — Cantus sermone vernaculo in missa et coram SS. Sacramento 675, 678 — An mulieres canere possint in missis solemnibus 676 s. — Cantus Orationum, Ve-

sperarum 677 — Gloria et Ite missa est, in quo tono cantanda sunt 676 — Quae partes in missa solemni canendae sunt 677 — Missae cantatae sine ministris 678 — Decretum super cantionibus in missa solemniori 683 — Dispositio Pii PP. X circa Musicam sacram 684 s. — De editione Vaticana librorum liturgicorum 699 s.

Capella. — Possunt episcopi capellam in suo Palatio erigere II, 554 — Capella in Palatio episcopali erigi potest, etiamsi ecclesia viduata sit Pastore 554 — Episcopi possunt in privata domo sacrum et ipsi celebrare super ara portatili et alios celebrare facere 554 s. — An Regulares possint intra claustra oratoria seu capellas erigere absque Episcopi licentia 556 s.

Capellania — Quid sit, quomodo constituatur, et ad quid tenetur capellanus I, 573.

Capitulum — Non potest sede vacante conferre beneficia I, 588 — Quid possit 589.

Capuccini — Indulgentiae visitantibus eorum ecclesias II, 412.

Cardinales — Qui sint III, 14 — Ordines 15 — Decanus 17 — Vicarius 18 — Iura 18 — Honores 20 — Decretum quoad S. Ritus celebrandos 22.

Cardinalis Protector — Quis sit et quo differat a Conservatore III, 362 — Facultas et officia 363.

Catechismus *v. Parochus.*

Cathedraticum — Quid sit I, 729 — Non potest in totum remitti 729 — Qui solvere tenentur 729 — Quantum 730.

Censura librorum — Constitutio Leonis XIII. II, 206 — Decreta generalia de prohibitione et censura librorum 210 — Decretum Concilii Tridentini 240 — Lectio librorum prohibitorum 376.

Censurae — Const. « Apostolicae Sedis » II, 231 — Quid de censuris pertinentibus ad Rom. Pont. electionem et ad internum regimen Regularium 253 — Censurae relatae ad internum regimen Regularium in vigore manentes 255, 259 — Nonnulla dubia circa hoc 253 s.

Census — Eius notio et divisio I, 725 — Quinam eum imponere possint 726 — Semel impositus augeri nequit 726.

Chorus — Officium Divinum in choro quoad Canonicos II, 2 — Quoad Religiosos in communi et privatim 3 — Huic obligationi soli novitii satisfacere possunt 4.

Clausura Regularium — II, 238 — Decretum Concilii Tridentini 242 — *Clausura Monialium* — Praecipua S. Sedis documenta I, 211 s. — Quid sit et quotuplex 218, 322 — Qui in hac lege comprehendantur 218, 224 — Quis possit concedere licentiam 219 — Per quas causas 221 — Qui incurrant in excom. Pii IX. 218, 222 — Monialis egrediens incurrit in excom. 225 — Qua de causa possit egredi 226 — Cum qua licentia 227 — Violantes clausuram Monialium cum confitentur tempore Iubilaei II, 326 — Clausura episcopalis quid sit et quomodo servanda I, 322 s.

Clausura Virorum — Constitutiones RR. Pontificum I, 190 s. — Quid sit et quae loca comprehendantur 195 — Quis possit terminos praefinire 198 — Qui Regulares clausuram observare debeant 198 — Quaenam mulieres possint ingredi et quaenam sint privilegiatae 199 s. — Quinam incurrant in excommunicationem admittentes mulieres 202 — An incurrant alias poenas 204 — Quid in occasione processionum 205. II, 754 — An exsistat clausura quoad egressum I, 206.

Clericus — Negotiari non potest I, 734 — Quae sint permissa 738 — Alia officia prohibita 739 — Quoad artem medicam, chorcas et venationem clamorosam 739 — Crimine obnoxius quomodo puniendus III, 211 s. — In Americam profecturus ad quid tenetur 125 s. — Militiae obnoxius 128 — Quoad excardinationem 341 — Romam contendens 339.

Coadiutor — Tenetur ad residentiam III, 270 — amovibilis 292.

Coemeterium — Quid sit II, 768 — Coemeterium benedictum, altare in coemeterio. — Cadavera non deferenda ex domibus ad coemeterium 669 — Reconciliatio et benedictio coemeterii 669.

Coetus et loca pia — Quid iisdem nominibus significetur relate ad censuras II, 258.

Collator — Beneficii *v. Beneficium.*

Collectae — Ab Ordinario praescriptae II, 578, 712 — Collecta de SSmo Sacramento 708.

Collegium — S. Thomae Romae, statuta III, 354 s.

Commemoratio — Festi simplicis primarii II, 707 — Octavae SS. Apostolorum Petri et Pauli 707.

Commemoratio omnium Defunctorum — Officium tam in choro quam privatum II, 17 — Quando occurrit in die Dominica — Quando in ipso die occurrit dies obitus alicuius defuncti 656.

Commenda — Quid sit — Quis ad eam assumi possit I, 577.

Communicantes — Praefatio II, 675.

Communio — Quomodo deferri debet infirmis, dum missa celebratur in sacello valetudinarii II, 549 — Communio paschalis in oratoriis privatis 553 — Die Paschatis in ecclesiis Regularium 553 — Preces dicendae post administrationem SSmae Communionis 706 — Communio ante et post Missam 767 s. — Tempus pro administranda Sacra Communione II, 587 — Ante missam de Requie 666 — In nocte Nativitatis 636.

Communio prima — Regulares eam administrare possunt in suis ecclesiis I, 563.

Communismus — *v. Syllabus.*

Communitas — Quando excusatur ab obligatione recitandi Horas in choro II, 3.

Competentia — Privilegium competentiae II, 112.

Compositio — Concessa Episcopis III, 175.

Concursus — Quis potest indicere concursum et quando I, 591 — Forma examinis 591, 602 — Cuinam parochia conferenda 594 — Quando, quomodo et coram quo appellandum sit 594 — Quae beneficia excipiantur a lege concursus 597.

Confessarii — Circa dispensationem ieiunii II, 46 — An Confessarii Ordinum Mendicantium possint in votis dispensare 80, 92, 107.

Confessarius Monialium — quoad approbationem et durationem I, 294 — Quasnam benedictiones impertiri possit 296 — Dotes 304 — — Cui generatim prohibitum sit officium confessarii Monialium 304 — Num Superior regularis indigeat approbationem 305 — Quando et quomodo clausuram ingredi possit 307 — Potestne absolvere a reservatis ab Episcopo? 311 — Moniales extra clausuram commorantes 311 — *Extraordinarius* quis, quoties et quando concedendus 297, 304 — Regula servanda in eius deputatione 299 — Quomodo se gerere debeat 301 — Indiget approb. Episcop. 302 — Concedendus ut propriae conscientiae consulant 319 — Quid de manifestatione conscientiae 313.

Confirmatio — Minister III, 306 — Aetas confirmandi 307 — Dispositiones 307 — Patrinus 308 — Cognatio 309 — Sacerdos utens speciali facultate, quomodo eam administrare debeat 310 — A quo administranda 155 — Episcopus non potest delegare 156.

Confraternitas — Iura Episcoporum circa confraternitates II, 474 — Praecedentia in processionibus 474 — An societates laicorum possint ab Ordinario cogi ad interessendum processionibus 476 — Tertius Ordo praecedentiam habet super quascumque confraternitates 429 — Controversiae inter Parochos et sodalitia 476 — Dependentia a Parochis 477 — Oratoria confraternitatis 548 — Confratres confraternitatum quoad sepulturam 775 — Translatio et cessatio indulgentiarum et sodalitatum 480 — Erectio piarum Unionum seu Societatum 510 — Adscriptio fidelium defunctorum Piis Unionibus Piisque Operibus 511 — Archisodalitas Eucharistici Cordis Iesu et Sancti et Immaculati Cordis Mariae 488 — Sodalitas SS. Rosarii 495 — Confraternitas de Monte Carmelo 513 — Privilegium Sabbatinum 513 — Facultas commutandi opera iniuncta pro obtinendo privilegio sabbatino 514, 517. — A Regularibus in suis ecclesiis erigi non possunt sine licentia Episcopi III, 152.

Congregationes religiosae — Quae sint I, 75 — Discrimen inter Ordines et sodalitates piarum feminarum 75, 330 — Quid intendat S. Congregatio in approbatione 331 — Quid quoad habitum 332 — Constitutio Leonis XIII (1900) quoad iura Episcoporum in religiosas familias earumque officia in Episcopos 333 s. — Quomodo Sedes Apost. approbat Congregationes relig. 341 — Regu-

lae servandae in quaeritando eleemosynas 328 — necessaria est licentia Ordinarii, et quomodo ire debeant 329 — *v. Monialis.*

Congregationes Romanae — III, 25 — — Earum auctoritas 26 s. — Quid dicendum de earum resolutionibus 29.

Inquisitionis 31 — Officiales 32 — Responsa, an infallibilia 33 — Motu proprio Pii X (1903) 34.

Indicis 36.

Episcoporum et Regularium 39 — Methodus 40 s.

Super disciplina Regulari 43.

Super statu Regularium 45 — An adhuc exsistat 45.

Concilii 46.

De Propaganda fide 47 — Officia et facultates 48 — Auctoritas 50.

Rituum 51 — Duplex est 52 — Facultates extraordinariae in causis beatificationis 53 s. — Facultates, quae obtineri possunt 56 s.

Indulgentiis et Reliquiis praepositae 61 — Motu proprio Leonis XIII (1897) 61 — Facultates 63 — Motu proprio Pii X (1904) 65.

Caerimonialis 68.

Immunitatis 69.

Fabricae S. Petri 71.

Visitationis Apost. 72 — Bulla Pii X (1903) 72 — Litterae Pii X (1904) 75 — Decretum 84 — Regulae 86.

Examinis Episcoporum 89.

Pro eligendis Episcopis 89.

Super residentia Episcop. 91.

A negotiis extraordinariis 91.

Pro studiis regendis 92.

Poenitentiaria Apost. 94 s.

Conscientia — De manifestatione conscientiae quoad moniales I, 313 — Constitutio Leonis XIII (1890) 313 — Quos comprehendat et quos non 316.

Conservatores — Qui sint III, 366 — Quis habeat privilegium sibi eligendi 368 — An etiam moniales 370 — Officia et iura 371.

Constitutio — « Apostolicae Sedis » II, 231, 250 — Orientales non subiiciuntur huic Constitutioni 287.

Conventus — quid sit I, 147 — Erectio canonica 148 s. — Quae licentia necessaria sit 154 s. — Licentia Episcopi 160 — Potestne parochus impedire 162 — Suppressio Conventuum 164 s. — Restitutio 171 s. — Quam iurisdictionem habeat Episcopus 176 — an exsistat distinctio inter conventus suppressos et restitutos 179 s. — Translatio 183 — An possit transferri sine licentia 183 — An liceat deserere sine licentia S. Sedis 185 — Quid de eius bonis 186 — Quid de reassumtione 188 — Privilegium Cannarum III, 461 — Declarationes Leonis XIII quoad erectionem et mutationem Convent. 462.

Convictores — Apud religiosos quoad administrationem Sacramentorum, an sint exempti a parochiali iurisdictione? I, 557.

Cor Iesu Sacratissimum — Obiectum cultus Cordis Iesu II, 392 — Commendatio devotionis erga Sacr. Cor Iesu 389 — Decretum de festo in ipsius honorem 385 — Translatio festi 390 — Missa votiva 386 — Litaniae 386 s. — Formula consecrationis a Leone XIII indicta 389 — Pia praxis cuiuslibet mensis feria VI 390 — Devotio mensis Iunii 392 — Officium Parvum SS. Cordis Iesu 393 — Sodalitia in honorem eiusdem 390 — Scapulare Cordium Iesu et Mariae 495.

Coronae — Cruces etc. quando amittant indulgentias II, 415.

Crematio — Cadaverum II, 810.

Crux — Figi debet ab episcopo in loco, ubi aedificatur nova ecclesia II, 520 — Crux figatur in ecclesiis dirutis 524 — Crux cum imagine Crucifixi pro missa celebranda 588 — In processionibus 745 s. — Regularium quomodo deferri debet in processionibus 752.

Curia Romana — Quid sit III, 11 s.

D

Decimae — Quid sint, et quis teneatur solvere III, 330 — An et regulares 331 — Responsa ex S. Poenitentiaria 333 s.

Delictum — Occultum materialiter et formaliter II, 265.

Diaconus — In missa solemni II, 709 s. — Quando potest benedicere infirmum cum SSmo Sacramento 727 — Impertire alias benedictiones 728.

Dimissoriae — Quid sint et quo differant a commendatitiis I, 475 — Quinam possint eas concedere 475 — An Abbates Nullius 477 — An et Praelati regulares 478 — An et Supe-

riores instituti votorum simpl. 480 — Praescriptiones quoad religiosos militiae addictos 483.

Doctor — *v. Magister.*

Dos — Monialium est necessaria I, 285 — An alienari possit et restitui debeat 287 *v. Monialis.*

Duellum. — Excom. Constitutione « Apostolicae Sedis » lata II, 237 — Decretum Concilii Tridentini 243 — Qui in duello moriuntur privantur sepultura ecclesiastica 806.

E

Ecclesia — Constitutio III, 2 — Definitio 4 — Potestas 5 — Hierarchia 7 — Errores de Ecclesia eiusque iuribus in syllabo damnati II, 222 s. Quid altaris et ecclesiae nomine veniat II, 519 — Quid est observandum in aedificatione novae ecclesiae — Consecratio pertinet ad episcopum dioecesanum 520, 563 — Ritus consecr. 520 — An fieri possit a pluribus episcopis 521 — Missa in die consecrationis — Ieiunium in consecr. ecclesiae iniunctum 521 — Cum ecclesia consecratur, consecrari debet unum saltem ex altaribus 522, 528 — Consecratio, cum nova incrustatione interna parietes superinduuntur 522, 528 — Quid de ecclesia ex ligno 522 — Et de ecclesia ob demolitionem suae frontis 522 — Ecclesia habens in parte subterranea loca ad spectacula 522 — Pertinens ad laicam familiam 522 — Episcopi possunt transferre beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alia causa collabuntur 523 — Materialia ecclesiae dirutae 523 — Translatio reliquiarum 524 — Caeremoniae ante demolitionem altaris 524 — Ecclesiae et loca sacra vendi nequeunt 524 — Quomodo et a quonam reparari debeant ecclesiae, praesertim paroeciarum 523, 524.

Educandae — Conditiones ad recipiendas puellas I, 287 — Quid observandum quoad earum Communionem, viaticum etc. 289.

Electio canonica — Eius notio, et a quibus differat I, 676 — Trina forma: scrutinii, compromissi et inspirationis 677 s. — Quis sit electus 680 — Qui eligere possint 680 — Quinam vocandi sint 681 — Quibus ius eligendi competat 682 — An laicis 681 — Qui eligi possint et qui non 683 — Iuramentum de servando silentio II, 63 — Quoad Regulares non potest esse restrictiva ad aliquos I, 684 — An valeat per inspirationem 685 — Debet esse per vota secreta 686 — Quinam vocandi sint 686 — Quid, si aliquis egrediatur 687 — Vota alternativa vel conditionata sunt nulla 688 — Sufficit maioritas, quid si paria sint 688 — Praeses generatim non habet vocem activam 689 — Subordinatio prohibita 689 — Simoniaca est nulla 690 — Disquisitores quot 690 — Quid, si unus elector infirmus esset 691 — Iuramentum de eligendo meliorem 691 — In electione Regularium attestatio exhibenda est de Missarum oneribus 694 — An valeat cum admissione indigni 695 — Electus, confirmatus esse debet 695 — A quo 696.

Episcopus — Quis sit III, 105 — Dignitas 106 — Potestas ordinis 107 — Iurisdictionis 108 — Qualitates requisitae 109 — Variae appellationes 110 — Consecratio cui competat 112 — Quoad tempus, modum et locum 113 — Praecipua officia et munera 114-125 — quoad confessarios nomen complicis interrogantes 121 — sollicitantes 122 — clericos in Americam profecturos 125 — militiae obnoxios 128 — Religiosas Familias 130 — Generales Ordinum 131 — Moniales et Sorores vot. simpl. 132 — Ius absolvendi a casibus Papalibus occultis 134 — An et ab haeresi 135 — Quoad visitationem localem ecclesiae parochialis Regularium 146 — personalem 147 — Abbates generales 148 — Praerogativae in concilio, ecclesia cathedrali et alios honores 150 — Alia iura et honores 152 — quoad Sacramentum Confirmationis 155 — Beneficia et examen parochorum 157 — quoad censuras, casus reservatos et alia 159 — Indultum Episcopis Americae factum 161 — quoad indulgentias 161 s. — Missas in palatio et alia 166 — consecrationem S. Oleorum 168 s. — *Facultates* quoad: matrimonium 172 — Compositionem 175 — Officiales publicos 176 — Forum et iudices 177

— Rebelles 178 — Res mobilia et conductiones 179 — Congregationes caritatis 181 — Quoad Synodum dioecesanam 199 s. — Non potest recipere novitios, nec ad professionem I, 56 — a quibus votis dispensare possit 67, 69 — non debet excipere religiosum saecularizatum 142 — Quam iurisdictionem habeat quoad Conventum 176 — In visitatione monialium 228 — Iura in Congregationes relig. 333 — Proprius quoad ordinationem quisnam sit 456 — Non tenetur ordinare regulares extra tempora 468 — Tenetur ad ieiunium ante ordinationem et consecr. ecclesiae 474 — Potest dispensare ab interstitiis 471 — Poenae contra Episcopum male ordinantem 486 — Ex iure est collator beneficiorum 587 — Quid agere debeat et possit in forma examinis 591, 598 — quid ex informata conscientia 594 — in eligendos Examinatores synodales 601 — Unire potest beneficia 610 — Etiam dividere 612 — Quamnam potestatem habeat quoad ius patronatus 635 — Ad quam usque quantitatem alienare possit 647 — An male alienans incurrat excom. 650 — Quid possit quoad bona Congreg. votorum simpl. 669 — Potest et debet omnes ecclesias saeculares visitare 699 — etiam Regularium, quando 700 — non vero Conventum 701 — Visitare debet non solum clerum, sed et populum et praedicare verbum Dei 702 — Quomodo et quando 703, 710 — Si extra occasionem visitationis pergat, ius non habet procurationum 709 — Quando possunt iuramentum solemne interponere II, 57 — irritare vota clericorum 75 — Dispensare in votis Rom. Pont. reservatis 80 — Absolvere ab excom. ob percussionem clericorum 138 — Facultas a Conc. Trid. episcopis concessa circa absolutionem irregularitatum et casuum occultorum Sedi Apostolicae reservatorum 261 — Limites huius facultatis 265 s. — Possunt aliis tribuere, ut absolvant vel deputare Vicarium, ut eam facultatem exerceat 269 — An etiam possint episcopi exercere hanc facultatem extra forum Poenitentiae 270 — Quid possunt in concessione *indulgentiarum* 344 — Iura episcoporum relate ad cultum divinum 577 — An episcopi licentiam possint concedere asservandi Eucharistiam 572 — *Regularis*, ad quid tenetur I, 76 s. — Quoad officium et cappam III, 123 — Nonnullae declarationes 144 — *Titularis*, quid agere possit 140 s. — *Administrator*, quas praerogativas habeat 141 s. — *quoad praedicationem Regularium* 372 s. — quoad regulares extra clausuram delinquentes 382, 390 — intra clausuram 384 — In causis civilibus 385 — quoad fugitivos et apostatas 387 — An possint compellere Regulares per censuras 388 — Regulares delinquentes in ipsum Episcop. 391 — Quoad erectionem novorum Conventuum 392 — Litteras testimoniales 393 — Novitios 394 — Puellas monacharum 395 — Nullitatem professionis 395 — Electionem Abbatissae 396 — Clausuram Monialium 396 — Confessarios Monialium 397 — Administrationem Sacramentorum 398 — Dies festos 404 — Iudices conservatores 404 — Parochos Regulares 404 — Pulsum campanarum in sabbato sancto 405 — Censuram incursam 405 — Executionem concilii Tridentini et ultimas voluntates 406 — Imagines et reliquias 407 — Causas fidei 408 — Crimen sollicitationis 409 — Censuras librorum 409 — Processiones 411, 412 — Exorcizandos et communionem paschalem 413 — quoad missam celebrantes et confessionem audientes, qui non sint ordinati 414 — Missionarios in suis ecclesiis parochialibus 415 — Violationem immunitatis ecclesiast. et exercitium Ordinis s. in aliena ecclesia 415 — Alienationem bonorum 416 — Missionarios 417 — Benedictionem s. indumentorum 418 — Collectas et litanias 418 — Erectionem viae crucis 419 — Casus reservatos 422 — Stipendium missae et confraternitates 422 — Tertium Ordinem 424 — Quoad congregationes charitatis III, 181 — Quoad synodum dioecesanam 199 s. — *v. Regulares.*

Ethica — Errores de Eth. naturali II, 226.

Eucharistia — Asservari debet in ecclesiis II, 570 — Asservatio in ecclesiis parochialibus, cathedralibus, collegiatis, Regularium, Monialium et in oratoriis Confraternitatum 571 — In ecclesiis, quae raro fidelibus

patent 575 — Quare in parochialibus asservari debeat 572 — Poenae contra negligentes in custodia Eucharistiae 570 — Regulares quoad has poenas 570 — Renovatio 573 — Clavis tabernaculi, a quo debeat custodiri 576 — Lampas coram Eucharistia 576 — Oleum et eius qualitas 576 — An in pluribus altaribus 575 — Qui arcendi sint ab Euch. 312 — Viaticum 312.

Examinatores — Qui sint I, 601 — Quomodo agere debeant 601 — Duratio 603 — Quoad praebendam theologalem, poenitentiariam etc. 604.

Excommunicatio — maior et minor II, 249 — Excom. latae sententiae episcopis reservatae 288 — in occupantes et detinentes eleemosynas pro Terra Sancta 256 — In communicantes in crimine criminoso 273 — Excommunicati vitandi 188, 249.

Exequiae — haeredes possunt facere, ubi velint II, 667 — Exequiae canonicorum, sacerdotum 667 — Monialium — Tertiariorum S. Francisci 668 — Parvulorum 669 — Extra Missam — in festis solemnioribus 667 — Benedictio sepulchri in exequiis 668 — Preces recitandae 669 — Expositio SS. Sacramenti occasione exequiarum 585 — Cadavera — associanda sunt a Sacerdote 669 — Diaconus quoad exequias 667.

Exorcista — Quid observare debet in liberandis obsessis II, 66.

F

Facultates — Quae obtineri possunt per S. R. C. III, 56 — A S. Sede Ordinariis concessae 136 s. — Quoad quasdam benedictiones 138 — Limites facultatum 139 — Quoad ieiunium et tributa 143 *v. Potestas.*

Familiares regularium — Qui sint, et quoad eorum confessionem I, 553 s. — De advenis et hospitibus 557.

Festum — Patroni si incidat diebus ieiunii II, 33 — Titularis Ecclesiae vel oratorii quando et quomodo celebratur 563 — Dedicationis Basilicarum Assis. 707 — Annuntiationis B. M. V. 701 — Decretum de celebratione festorum Patroni loci, Dedicationis ac tituli ecclesiae 565 — Festa primaria et secundaria 566 — Concurrentia et translatio 704 — Festum duplex vel semiduplex ad ritum simplicem redactum 708.

Fides catholica. — Verba Concilii Vaticani II, 175 — Aliqua generatim circa fidem 173.

Forum — Conscientiae, fori, poli et Poenitentiae II, 269 — Privilegium fori 112 — Quid de iudicibus laicis, qui ad suum tribunal trahi cogunt personas ecclesiasticas 112 — Quando clerici coram saeculari iudice convenire possunt 114 — Quando non gaudent privilegio canonis 114 — Decretum S. R. U. Inquisitionis 114.

Fratres Minores — possidere non possunt, nec in communi I, 33 — non possunt acceptare haereditates et legata 36 — sed via simplicis eleemosynae 38 — Non possunt exigere iuridice, sed solum rogare 38 — Conditiones quoad legata 39 *v. Legata.* — Quaestus pecuniarum in ecclesia 41 — Tenentur ad vitam communem 45 — Bona temporalia administrare non possunt 53 — Quoad ieiunium II, 42 — An teneantur sexagenarii? 43 — An in die Natalis Dni., cum incidit in feriam VI? 43.

Functiones Hebdomadae Sanctae. — Quoad iura parochialia — In parochiis ruralibus — Memoriale Rituum Benedicti XIII. — Aqua benedicta in triduo maioris Hebdomadae — Expositio SS. Sacramenti — Functiones in ecclesiis, ubi est SS. Sacram. — Sonitus organi, Decreta II, 638 — Communio in fer. V 639 — Occurrentia festorum — Velum crucis altaris — Organum in missa fer. V. — Alia circa functiones in fer. V 640 s. — Adoratio crucis in Parasceve — Benedictio episcopi — Processio — SS. Sacramentum — Crux altaris — Viaticum — Auditio Confessionum 643 s. — Sabbati Sancti — Missa — Sacrae imagines — Communio — Benedictio domorum 644.

In ecclesiis Regularium II, 617 s.

Funera — Ius sepeliendi quinam habeant II, 779 — Privilegium Praedicatorum et Minorum 779 — Episcopus ius sepeliendi concedere potest 780 — Quoad cadavera in aliena parochia defunctorum 780 — Ius Parochi associandi cadavera suorum paroecianorum 782 — Transi-

tus per terminos aliarum parochiarum 782 — *Regulares* nequeunt iuri sepeliendi renuntiare 780 — Invitati ad funera, quo debeant convenire 783 — Quando possunt elevare et associare cadavera 780, 785 — Recto tramite ad suas ecclesias pergere debent 783 — Ecclesiae Regularium saecularizatae et non saecularizatae, stante lege suppressionis civilis — S. C. Concilii resolutiones 789 — Per publica coemeteria non sunt laesa iura funerandi 785 — Plures de iure funerandi et sepeliendi S. C. Concilii resolutiones 785 — Quid faciendum, cum cadavera directe asportantur ad coemeterium 795 — Quid, si in coemeterio Regulares proprium non habent sepulchrum 799 — Ingressus Parochi in ecclesias Regularium 791 — Benedictio et ultimum vale, a quo et ubi dandum 791 s. — Quid, si funeri interest Capitulum Cathedralis 784 — Crux deferenda in funeribus 784, 796, 801 — Ius funerandi quoad Regulares dispersos 796 — Confessarius Monialium habet ius et exequias agere et associare, sed sine pompa, cadavera Sanctimonialium ad publicum coemeterium 797 s. — Quid per verbum « sine pompa » intelligatur 799 — Iura et privilegia Tertii Ordinis Franciscani quoad funera 436, 800 — Aequiparari potest Ordinibus Regularibus 437 — Indulta pro Tertiariis 448 — Privilegia Sacerdotum Tertiariorum 448 — Quarta funeralis quid sit 801 — Quanta debetur Parochis — quid, si defunctus in pluribus parochiis domicilium habuit 802 — Regulares quoad quartam funerariam 803 s. — Quid de legatis missarum 803.

G

Genuflexio — Coram SSmo Sacramento II, 589 — Ante altare, ubi administratur Communio 711 — Post expositionem 711 — In missa lecta coram SSmo Sacramento 714 — Ad *Et incarnatus est* in Symbolo 715, 718 — A Diacono et Subdiacono quando peragenda 715 — Ante altare transeundo in missa inter Consecrationem et Communionem 715 — Ad quasdam strophas Hymnorum 716 — In Missis ferialibus et Adventus 716 — In accessu et recessu, ubi est SSmum Sacramentum 717.

Gradus academici — III, 343 s.

H

Haeresis, Haereticus — Notio, quotuplex II, 177 — Poenae in haereticos 181 — Quam haeresim afficiunt 181 — Poenae aliae canonicae, aliae civiles 182 — Declarationes circa haereticos eorumque filios ad fidem conversos, adspirantes ad statum Religiosum necnon Praelaturas ecclesiasticas 184 — Poenae temporales contra haereticos, eorumque receptores, fautores et defensores 182 s. — Quinam possunt iudicare in crimine haeresis 186 — Communicatio cum haereticis et Excommunicatis vitandis 187 — Conciliatio haereticorum 190 — An artifices catholici possint aedificare acatholicorum templa 191 — Catholici invitati ad nuptias et funera haereticorum 191, 561 — Ingressus in templa haereticorum 194 — Disputatio cum haereticis 196 — Abiuratio quomodo facienda 197 — Absolutio haereticorum 197 — Quid sentiendum de facultate absolvendi ab haeresi occulta, concessa episcopis a Concilio Tridentino 271.

Hebdomada *Sancta* — *v. Functiones* et *Missa.*

Horae Canonicae — *v. Officium divinum.*

Hospitium — Quid sit, et quae licentia necessaria sit in fundatione I, 188.

I

Ieiunium — II, 32 — Declarationes circa dispensationem ieiunii ratione infirmitatis et occursus festorum 32 — Indultum de esu carnium in feria VI quoad Franciscanos — Esus ovorum ac lacticiniorum 37 — Causae excusantes a ieiunio: quinam impotentiae ratione dispensantur 38 — Laboris et itineris 39 — Pietatis — Quando dispensatio locum haberi debeat 42 — Ad quos pertinet dispensare 45 — Dubia resoluta a Benedicto XIV. 46 — Declarationes S. Poenitentiariae et S. Officii 47 — Mixtio ciborum 49 — Condimenta diebus ieiunii 51 — Ieiunium filiorum familias 52 —

Observatio circa horam ieiunii naturalis 53 — Quid de ieiuniis in feria IV et sabbato pro Confratribus de Monte Carmelo ad obtinendum Privilegium Sabbatinum? 514 s.

Ignorantia — respectu censurae II, 290 — Qui ignorantia crassa, supina et culpabili circa fidem errat non est haereticus formalis 178, 180.

Illuminatio — ex gaz et electrica II, 714.

Imagines — Sanctorum in processione Corporis Christi II, 741.

Immunitas ecclesiastica — Quid et quotuplex sit II, 109 — Personae ecclesiasticae 110 — A quibus eximuntur 111 — Quae res gaudent immunitate reali 111 — Privilegia competentia, canonis et fori 112 — Excommunicatio in legem edentes contra iura et libertatem Ecclesiae 112, 116 — Immunitas localis quid sit 116 — Quae loca hac fruuntur et qui actus in iisdem prohibentur 117 — Immunitas asyli quid sit 118 — A quo iure venit 118 — Excommunicatio contra violantes et conditiones ad incurrendam 118, 126 — Quae loca gaudent iure asyli 118 — Quae personae 119 — Quae excluduntur hoc iure 122 — Effectus immunitatis asyli 121 — An ius asyli vigeat 127 — Quomodo Episcopi procedere debeant contra usurpatores immunitatum ecclesiasticarum 128.

Inclinatio — Capitis ad nomen Sancti, de quo fit Officium, et Papae II, 712 — In missa 718.

Indifferentismus — *v. Syllabus.*

Indulgentia — Eius notio II, 311 — quoad reatum culpae et poenae 312 — Quomodo poenae per indulgentiam tolluntur 313 — Veritates de fide et proximae fidei circa indulgentias 314 — Opus meritorium et satisfactorium 316 — Thesaurus Ecclesiae, et quot modis dispensatur 317 — Unicus 318 — Exstitit ante Christi adventum, et an tum fuerit dispensatus 319 — Fons et fundamentum indulgentiarum 320 — Communio Sanctorum 320 — Subiectum capax 322 — Concessio per modum potestatis iudiciariae et suffragii 323 — Effectus respectu vivorum et mortuorum 325 — Pro vivis quantum valeant 328 — An ab omnibus aequaliter lucrentur 328 — An concessae ut plenariae, possint lucrari ut partiales 331 — Opera praescripta quomodo adimplenda 332, 362 — Sunt media ad expiandas poenas temporales in hac vita 332 — Indulgentiae plenariae — Partiales — Quadragenae — Septenae 336 — Locales — Reales — Personales — Temporariae — — Perpetuae 337 — Quid per plenas, pleniores et plenissimas intelligatur 338 — Quid de locutione *solutio a poena et a culpa* 339 — — Indulgentia de poenitentiis iniunctis 340 — Applicatio animabus Purgatorii, et conditiones 334 — Uni vel aliquibus applicatae quomodo prosint omnibus 335 — An possint lucrari a fidelibus peccato mortali inquinatis 539 — Potestas concedendi in quo resideat 343 — Non est ordinis, sed iurisdictionis 348 — An haec potestas acquiri possit consuetudine vel praescriptione 346 — An indulgentia ipsa 346 — Causa concessionis 349 — Qui largitur, etiam pro se lucrari potest 351 — Promulgatio et conditiones 354 — Cessatio 357, 359 — Translatio 365 — Conditiones ad eas lucrandas 361 — Confessio et communio 362 — Hebdomadalis 363 — Visitatio ecclesiae et preces recitandae 364, 372 — Collectiones a S. C. Indulgentiarum editae 359 — Indulgentiae falsae, apocryphae, nullae, abrogatae 358 — Decretum et commentarii 365, 368 — Quid de indulgentiis plurium annorum 358, 367, 371, 373 — Quid circa preces et orationes indulgentiatas 355 — Quo idiomate recitandae 355, 360 — Quas Episcopi concedere possunt III, 161 — Quas Vicarii Apostolici 165.

Indulgentiae quaedam particulares — Concessae regularibus a Paulo V I, 416 — Orationi « Mon Dieu » II, 395 — Deus sit benedictus 395 — Oratio ad Christum Iesum in cruce 397 — Pro clericis 399 — Pro religiosis Communitatibus 400 — Superiorum Ord. Minorum 316 — In honorem Dominae Nostrae Lapurdensis 401 — S. Ioannis Baptistae 403 — S. Stephani Protomartyris 405 — S. Blasii 407 — Ad Spiritum Sanctum 416 — Canticum B. M. V. 316 — Tota pulchra 422 — Actus resignationis in beneplacitum divinum 423

— Oratio «En ego, o bone et dulcissime Iesu» 372.
Indulgentia in articulo mortis — Una tantum vice lucratur; quid de illis, qui Actum heroicum fecerunt pro defunctis 534.
Infidelitas — Quid sit — Quotuplex, et eius species II, 177.
Instituta religiosa — *v. Congregationes.*
Instructio — Quoad modum procedendi in causis Clericorum III, 211 s.
Interdicta — Latae sententiae reservata II, 244.
Interstitium — Quid sit, quod necessarium sit inter ordinem et ordinem I, 470 — Quis dispensare possit 471 s. — *v. Ordinatio.*
Iubilaeum — II, 338 — Monita publicata a S. Poenitentiaria 381 — Visitationes ecclesiarum 384.
Iudex — in crimine haeresis quis esse potest II, 186.
Iuramentum — Eius notio et divisio II, 55 — Debite factum est licitum 56 — An ecclesiastici possint iurare 57 — Conditiones, ut sit validum 58 — Ut sit licitum 58 — Obligatio iuramenti de re licita 61 — De re inhonesta et illicita 61 — Factum ad malum finem in favorem tertii 61 — Promissorium quando est validum 62 — Est vinculum personale 63 — In foro externo stricte interpretandum 64 — In foro interno iuxta mentem iurantis 64 — Conditiones iuramenti promissorii 64 — Cessante causa finali iuramenti, iuramentum cessat 64 — Quot modis cessat iuramentum 65, 71 — Per extinctionem 71 — Per irritationem 72 — Per dispensationem 78 — Qui habet potestatem delegatam dispensandi in votis, ipse potest dispensare in iuramentis 85, 89 — An catholici possint praestare iuramentum coram presbytero acatholico 194.
Iurisdictio — Quid sit et quomodo dividatur I, 436.
Ius asyli — *v. Immunitas asyli.*
Ius patronatus — Quid sit et quibus titulis acquiratur I, 615 — Est spirituale vel temporale 617 — Divisio 618 — Differentia inter ecclesiasticum et laicale 619 — Tempore elapso, devolvitur ad Episcopum 621 — Quis praesentatus esse possit 621 — Quid statuit Benedictus XIV (1746) de patronis ecclesiasticis 622 — Quid de patronatu mixto 624 — Quid faciendum, quando plures sunt patroni 625 — Quinam sint capaces patronatus 629 — *Translatio* iuris pat. potest esse per successionem haereditariam 626 — Donatione 627 — Permutatione et venditione 628 — Quae sint iura et officia patronorum 631 — Quae onera 632 — Quae prohibita 633 — Quibus de causis amittatur 634.

L

Laesae maiestatis — Crimen quando committitur II, 124.
Latitudinarismus — *v. Syllabus.*
Legata — Fratres Minores non possunt accipere I, 37 s. — Conditiones, ut ipsi valeant adire haereditatem 38 s. — Legata bonorum mobilium 39 — Fabricae facta, annua cum onere, sine onere 40.
Legati S. Sedis — Qui sint III, 97 — Potestas 98.
Lex dioecesana — et lex iurisdictionis in quo consistant I, 431.
Liberalismus — Errores circa Liberalismum II, 229.
Licentia — expressa, tacita, praesumpta I, 48 — An quando et quomodo petenda sit 49 s.
Litaniae — S. Marci et Rogationum II, 20, 681 — Lauretanae 681 — Cantus earum 682 — Additio versiculorum 578, 681.
Litterae Apostolicae — Excommunicatio contra scienter utentes Litteris Apostolicis falsis, vel ad eas conficiendas cooperantes II, 303 — Litterae Apostolicae, Rescriptum, Decretum, Indultum 360.
Litterae Filiationis — Praelati Regulares concedere possunt III, 478.
Locationes — Ultra triennium sunt prohibitae I, 648.

M

Magister — Explicatio nominis III, 343 — Privilegia 344 — An licitum sit aliquid exigere pro licentia 345 — Cumulatio studiorum prohibita 346 — Litterae Pii X (1904) 347 — Magistri Regulares in s. Scriptura 349 — Privilegia 352.
Matrimonium — Inter fideles est semper Sacramentum III, 319 — Potestas

Ecclesiae 319 — Matrimonium civile 320 — Inter haereticum et non baptizatum 320 — Clandestinum 321 — In locis infidelium 322 — Massonum 322 — Quando contrahentes difficillime recurrere possint ad parochum 323 — In insula Melitensi 323 — Inter catholicos et graecos schismaticos 324 — Quando ignoratur aetas 324 — Cum libero pensatore et indifferente 326 — Facultates concessae Episcopis 172 — Errores de Matrimonio christiano II, 227 — Clerici in sacris constituti, Regulares vel Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes 289 s.

Medaglia miracolosa — II, 425.

Missa — Cura Ordinariorum in vitandis abusibus circa missarum celebrationem II, 616 — decretum S. C. C. 623 s. — Stipendium integrum dari debet cui missa committitur 620 — Celebratio in ecclesiis saecularium et Regularium 617 s. — Sine litteris commendatiis Ordinarii 616 — Minister 628 — Quando et quomodo foeminae servire possunt 733 — Ampullae — cereus — duo calices — purificatio, cum duae celebrantur missae — tempus aptum pro celebratione 629 s. — Rubricae observandae in missis sive lectis sive cantatis 630 — Preces post missam 682 — Missae cantatae — sessio 629 — Epistola 630 — candelae — minister — incensatio chori 630 — Recitatio precum sermone vulgari 631, 680 s. — Celebratio in mari — decretum S. Cong. de Propaganda Fide 550 — Licentia episcoporum 551 — Capellae navium 552 — Celebratio in templis acatholicis 560, 562 — Pro populo *v. Parochus* — Extra Dioecesim diebus festis III, 160.

M. Conventualis — Commemoratio simplicis in festis secundae classis II, 633 — Minister 633 — Regulares quoad missam conventualem 635 — Missa conventualis, cum votiva celebratur 649 — Potest gaudere privilegio altaris privilegiati 54 s. — Cantata 677.

M. de Requie — Cantata; quae debeant cantari — Cerei — Tres Missae ex Indulto Apost. in Hebdomada — Post nuntium de obitu — Missae 3. 7. 30. dierum II, 651 s. — Pro Summo Pontifice, Episcopo, Imperatore 651 — Orationes — Sequentia 652 — Anniversaria 653 — Missa exequialis pro die obitus 654 — In commemoratione omnium fidelium defunctorum 656 — In ecclesiis et oratoriis tam publicis quam privatis 656 — Resolutiones variae S. R. Congregationis 657 — Missa exequialis in aliena ecclesia 660 — Exequiae — Iura parochorum in associandis cadaveribus 661 — Consuetudo deferendi cadavera in ecclesiam non propriam 662 — Missae in altari privilegiato 532, 536 — Sacerdos, qui habet privilegium personale altaris privilegiati 535 — De legatis Missarum 803.

M. in festo Nativitatis — Missae privatae ante auroram — SS. Sacramenti II, 636 — Solemnis in media nocte 636 — Tres missae ad libitum — Sacerdos caecutiens — Ablutio digitorum II, 636 — In oratoriis privatis 545.

M. in Hebdomada Sancta — Celebratio Missae in feria V, private et solemniter II, 639 — In feria VI 643.

M. Rogationum — In ecclesiis, ubi est unicus sacerdos — ubi sunt plures — Quae sunt in illa omittenda II, 637.

M. Votiva — Officio concordans II, 646 — Solemnis pro re gravi quando celebrari potest 646, 648 — Gloria, Credo, Praefatio, Paramenta 647 — Ob devotionem 648 — Pro celebratione missae votivae quae desumi possunt ex Missali 648 — In sabbatis de Immaculata Conceptione III, 562 — De Spiritu Sancto pro electione Min. Glis 566 — Quae observari debeant a sacerdote caecutiente, qui eam celebrat II, 650.

Missionarius — Permutare vel vendere non potest omnia bona sine licentia S. Sedis I, 667 — Cui rationem reddere tenetur 668 — Omnia bona missionis spectant ad S. Congreg. 666 — Vetita est negotiatio gravibus sub poenis 742 — Eius officia et iura 774 — Constitutio Leonis XIII (1881) de eius officiis et iuribus 744 s. — Episcopus praeferre potest parochum religiosum ceteris 746 — Visitare potest loca pia, scholas etc., quae proprie non sunt status relig. 447 — *Regularis*

quoad curam animarum subest Episcopo 745 — De bonis oblatis intuitu mission. Episcopo rationem reddere tenetur 478 — Subiici debet examini 749 — Quoad disciplinam reg. subiectus est superiori regul. 750 — An possit absolvere ab haeresi 750 — De abitu 750 — Tenetur litteras patentes Ordinario ostendere 754 — Quoad usum pecuniae 751 — Quolibet anno rationem redere tenetur S. Congreg. de statu missionis 752 — Vita et clausura 752 — Relationes inter mission. et Vicarium Apost. 754, 757 — Quid agere possit in itinere quoad ministr. Sacrament. 755 — Quid in persecutione 756 — Disputare non licet cum haereticis 756 — Gaudet iurisdictione delegata 757 — Excom. in eos, qui mercaturis se ingerunt in Indiis Occidentalibus II, 258.

Monachus — *v. Religiosus.*

Monasteria — Monialium; conditiones servandae in erectione I, 293 — *v. Conventus.*

Moniales — Varietas Monialium I, 209 — Privilegia et indulgentiae 210 — Allocutio est prohibita 244 — Qui eximantur 245 — Constitutio Benedicti XIV (1749) 246 — Est speciatim prohibita Regularibus 248, 256. — Regulares transgressores peccant et incurrunt poenas 250 — Quot esse debent in monasterio 266 — Expulsio 269 — Dimissio sororum 270 — Dos Monialium et sororum 285 — Potest aliquid exigi praeter dotem II, 161 — De confessione, communione, officio divino 290 — Quid de manifestatione conscientiae III, 313 — Constitutio Leonis XIII (1890) 313 — Qui comprehendantur et qui non 316 — Communio quomodo facienda 321 — In quibus non subdantur Episcopis 438 — Quoad recitationem Officii II, 4 — Professae votorum simplicium 5 — Quoad sepulturam 775.

Mulieres — Delatio umbellae; pulsatio tintinnabuli et recitatio Rosarii a mulieribus II, 733 — Cantus in ecclesia et processionibus 734.

Munus — parochiale non repugnat statui religioso I, 82 — Indiget dispensatione Apostolica 85 — Non vero Congregationes religiosae 89 — Quid, si unitum sit monasterio 91.

N

Naturalismus — *v. Syllabus.*

Negotiatio — Clericis prohibita. Constitutio Benedicti XIV et Clementis XIII I, 734 — Quae permissa 738 — Etiam Missionariis vetita est gravibus sub poenis 742.

Nomen SSmum Iesu — Indulgentiae recitantibus precem in eius honorem II, 394.

Norma — Edita a S. Congreg. in approbandis novis institutis I, 340.

Novitia — Eius receptio I, 271 — Tempus novitiatus 273 — Professio 274 — Quomodo fieri debeat 277 — Admissio puellarum votorum simpl. 279 — In mortis articulo quod privilegium habeat III, 465.

Novitius — Lex Pii IX (1848) I, 103 — Declarationes S. Congreg. 104 — Receptio 107 — Electio examinatorum 109 — Examen postulantium 111 — Ad quid tenentur Superiores quoad numerum in Italia 112 — Conventus novitiatus 113 — Admittendus ad professionem 115 — Quoad Tertiarios 144 — In mortis articulo quod privilegium habeat III, 465.

O

Oblationes — Quid sint et ad quem pertineant III, 332.

Officium divinum — Eius notio et obligatio II, 1 s. — Religiosi solemniter professi — Novitii — Laici — Profugi 3 — Cuius partis omissio sit gravis 4 — Obligatio quoad chorum 19 — An possit adimpleri in oratoriis privatis conventus 19 — An in sacristia 4 — Obligatio assistendi ad chorum 3 — Tempus recitandi Officium 6 — Antiqua ecclesiae consuetudo et hodierna disciplina 7 — Recitatio Matutini cum Laudibus vespere diei praecedentis 13 — Decreta S. R. C. et sententia theologorum 8 — Recitatio hora secunda vespere diei praecedentis 13 — Resolutio S. Poenitentiariae 18 — Inversio Ordinis Officii privatim et in Choro 17 — Situs corporis in recitatione 19 — Recitatio mentalis — Quid de privilegio Leonis X 23 — Causae excusantes ab Officio 20 — Causae et facultas dispensandi 22 — Dispensatio pro Reli-

giosis occupatis 26 — Infirmis 27 — Privilegia Fratrum Minorum 27 — Commutatio 28, 30 — Anticipatio et postpositio 29, 31 — Defectus pronuntiationis 29.

Officium mortuorum — Pro defunctis durante expositione II, 585 — Extra diem obitus 669.

Officium Parvum — SS. Cordis Iesu II, 393 — B. M. Virginis 408 — Quando et quomodo hoc recitari debeat ad lucrandum privilegium sabbatinum 513.

Oleum Sacrum — Quomodo consecrandum III, 168 — Non mittendum per cursus publicos 170.

Oraculum — Vivae vocis, quid sit et quomodo dividatur I, 399 — Privilegia revocata vivae vocis oraculo data 400 s.

Oratio — Pro Ecclesia et pro Papa II, 707.

Oratoria — Publica, semipublica et privata II, 541 — Erectio in piis Communitatibus 543 — An possint Regulares erigere oratorium intra claustra absque episcopi licentia 556 — In suis grangiis, et quot species grangiarum 559 — Oratorium in mansione militari 546 — Ex causa infirmitatis concessum 546 — Duo in eadem domo 546 — Sit segregatum ab aliis domesticis usibus 546 — Non sint supra illud lecti ad dormiendum 546 — An possit esse locus ad ambulandum 546 — Celebratio plurium missarum in oratoriis 543 — Licentiam celebrandi quando episcopi concedere valeant 543 s. 547 — Quando parochus celebrare possit 545 — Satisfactio praecepti audiendi sacrum diebus festis 545 — Quando non licet in oratoriis privatis celebrare 547 — Oratio *A cunctis* 547 — Pulsatio campanulae in missa 549 — Oratoria confrater. 548 — Resolutio S. C. R. circa oratoria Regularium et piarum Congreg. 548 — Oratoria, in quibus Missae non celebrantur 544 — Asservatio SSmi Sacramenti 543 — Administratio Com. et Viatici intra vel extra Missam 546, 553 — Expositio SSmi Sacram. in oratoriis domorum Sororum 549 — Feria V in Coena Domini 550 — Sacramentum Baptismi in oratoriis privatis 653 — Poenitentiae 553 — Communio Paschalis 553 — Celebratio Missae in oratoriis Regul. feria V in coena Domini 550 — Festum titularis et Patroni in oratoriis 564.

Ordinarius — Quis sit, quinam sub ista appellatione veniant I 439 — An et Praelati Regulares sint Ordinarii 442 — An et Parochi 443 — Quam iurisdictionem habeat in Congreg. relig. 324, 435 — Quam in Ordines relig. 413 — Ord. Missionum facultatem habet iterandi Missam III, 29.

Ordinatio — Quot sint Ordines I, 447 — Quo tempore facienda 449 — — Qualitates ordinandorum quoad validitatem 450 — Liceitatem 451 — Titula ordinat. quot sint 453 s. 482 — Quinam sit Episcopus proprius 456 — Et per quos titulos 456 — Quid de recitatione matutini 485 — Poenae contra male ordinantes et male ordinatos 486 — *v. Regulares.*

Ordines regulares — possunt possidere in communi I, 34 — Diversitas Ordinum 72 — Divisio 73 — Principaliter quatuor sunt 74 — Discrimen inter Congregationes relig. 75.

P

Palmatoria — Quinam eam possint adhibere II, 611.

Pantheismus — Vid. *Syllabus.*

Paramenta sacra — Colores planetarum — Paramenta ex *Percalle* — Albae ex gossypio — Paramenta ex lana — Usus caerulei coloris II, 593 s. — Plura circa colores et materiam paramentorum 594 — Quinam sumere possunt indumenta sacra ex altari ad Missam celebrandam 596 — Lotio sacrorum linteaminum 597 — Moniales et piae foeminae quoad ablutionem corporalium 597 — Benedictio sacrorum indumentorum 612.

Parochia — *v. Munus parochiale.*

Parochus — Quoad electionem et iurisdictionem III, 264 — Residentiam 266 — Praedicationem Evangelii 272 — Catechismum 274 — Encyclica Pii X (1905) 276 — Missam pro populo 280 — Binationem 286 s. — Per se debet exercere sua munia 292 — Alia iura et limitationes 294 — Quoad administrationem Sacramentorum 295 — Baptismum 296 — Confirmationem 305 — SS. Eu-

charistiam 311 — Poenitentiam 313 — Quam iurisdictionem habeat 313 — Extremam Unctionem 317 — Parochus est minister ordinarius 318 — Matrimonium 319 — Parochus proprius quis sit 324 — Resolutiones quoad ius parochorum 327 s. — Quoad decimas, primitias 330 — Iura in processionibus II, 737 — Quoad ieiunii dispensationem 46 — Iura quoad Confraternitates et functiones religiosas in sua Parochia peragendas 477 — Quid possit in Ecclesia propria, quid in ecclesiis vel oratoriis Confraternitatum 477.

Parochi regulares — Subsunt iurisdictioni Episcoporum III, 146 — Circa Coadiutores 293 — Iura in processionibus II, 737.

Patriarcha — Quis sit et quot sint III, 99 — Iura 101.

Pauperes — Qui sint quoad matrimonium III, 173.

Paupertas — religiosa quid sit I, 31 — Actus paupertati repugnantes 32 — Quomodo laedatur 50 s. — Declarationes S. Congreg. 52.

Peculium — Religiosorum quid; est generatim illicitum I, 43 — Monitum S. Alphonsi 45.

Pensio — Quid sit, an dici possit beneficium I, 569, 576.

Poenitens — Potest simul indulgentias lucrare et poenitentiam impositam adimplere II, 362, 413.

Poenitentiae — Sacramentum quoad absolutionem complicis III, 314 s. — quando simplex sacerdos potest absolvere 316.

Pontifex R. — Potest dispensare a votis I, 60, 66, 70 — Iura III, 8 — Praerogativae 10.

Postulantes — Habitum religiosum *v. Novitius.*

Potestas — Ordinis et iurisdictionis I, 489.

Praecedentia — Regularium in processionibus — Iura episcoporum II, 755 — Inter Fratres Minores diversarum familiarum — Decreta S. C. Ep. et Reg. 757 s.

Praelatus — Regularis non potest dispensare a votis simplicibus I, 71.

Praescriptio — Quid sit I, 378 — Conditiones 380 s. — *v. Privilegium.*

Praestimonium — Quid sit I, 575.

Preces feriales — II, 20 — Genuflexio 716 s.

Primates — Qui sint, et potestas III, 101.

Primitiae — Quid sint et cui debeantur III, 331.

Privilegium — Quid sit I, 345 — Differt a lege et dispensatione 346, 351 — Divisio 347 — Interpretatio 353 — quomodo acquiri possit 356 s. — Quibus concedi possint 357 — Communicatio 359 — Speciali modo indulta Fratribus Minoribus 361 — Restrictiones 363 — Quomodo intelligenda sit iusta communicatio 364 — Confirmatio 366 — *Revocatio* privil. 367 — Amissio et cessatio 370 — Privilegia affirmativa 374 — Negativa 376 — Praescriptio 378 — Conditiones ad legitime praescribendum 380 s. — An et quaenam revocata fuerint a Tridentino 386 — An omnia regularium 387 — Quae 388 — An revocata, non addita clausula revocatoria 389 s. — Expresse revocata 393 — Dubia 398 — Revocata a Gregorio XV (1621), ab Urbano VIII (1631) 400 — A Clemente XII (1731) 401, 410 — A Gregorio XIII 413 — A Paulo V 415, 419 — Quaenam Instituta comprehensa 419 — An privil. viva voce concessa transierint in privil. bullata 405 s. — *Exemptionis.* Ratio 421 — Divisio 412 — A quibus concessum 424 — Verba, quibus denotatur 427 — Qua ratione 428 — Nemini licet exemptionem infringere 429 — Quo iure sit 430 — Regulares renuntiare non possunt 433 — Dubium privil. resolvitur a S. Sede 434 — An Regulares exempti sint in omnibus ab Ordinario 443 — An a legatis 442 — An instituta votorum simpl. 435.

Privilegia Ord. Minorum — Indulgentiae plenariae pro s. peregrinationibus in aliud exercitium commutatis III, 507 — Altaris privilegiati 508 — Gratiarum et favorum pro missionariis 511, 513 — Benedictionem apostolicam impertiendi post missiones etc. 514 — Indulgentiae plenariae pro renovatione professionis 515 — Indulgentiae pro recitatione Coronae franciscanae 516 — Indulgentiae quoad stationem SS. Sacramenti 519 — Absolutionis generalis in variis festis 520 — Indulgentiae Portiunculae et aliarum ad instar 523 — Indulgentiarum

communicatio in erectione novi Conventus 525 — Deserendi Conventus 527 — Pro senibus et infirmis 527 — Quoad tertium Ordinem saecularem 528 — erectionem confraternitatis Chordigerorum 529 — Piam Unionem S. Antonii 531 s. — Erigendi stationes Viae Crucis 539 — Benedicendi Crucifixos cum indulgentiis Viae Crucis 548 — Constituendi p. Sodalitates Viae Crucis perpetuae 549 — viventis 553 — Quoad pium opus Terrae Sanctae 557 — celebrandi in sabbatis Missam Vot. Immaculatae Conc. 562 — Missam Vot. de Spiritu S. pro electione Ministri Gen. 566 — Missam Vot. S. P. Francisci 567 — Legendi sequentiam in Missis S. Francisci 568 — Addendi ad confiteor nomen S. Francisci 569 — Quoad resp. *haec est vera fraternitas* 570 — Litanias in festo s. Marci et Rogationibus 571 — Quoad anniversaria pro defunctis, officium, Missam etc. 572 s. — Poenitentiarios in Basilica Lateranensi 576 — Lectores iubilatos 576 — Utendi bugia, bacilo etc. pro primariis Superioribus 577 — Pluvialem, albam et intorticia 578 — Quoad alienationem 579 — Benefactores Ordinis, medicos, syndicos 579 s. — Concedendi habitum relig. morientibus 582 — Quoad nonnulla festa 582 — Circa ieiunia II, 44.

Privilegium Sabbatinum — II, 513, 514, 517.

Probandatus — Quid sit I, 563.

Processiones — Quis edicere potest II, 735 — Duae in eodem die 735, 754 — In Rogationibus et in festo Purificationis 738 — SSmi Sacramenti et quae in his prohibentur 740 — Vide *v. Sacramentum.* — Pueri in processionibus SSmi Sacramenti 742 — Consuetudo eam faciendi vespere 742 — Sacramentum deferri debet in manibus sacerdotis 743 — Ordo in processionibus 736 — Baldachinum 736, 744 — Iura parochorum — Parochi Regulares 737 s. — An possint Regulares aliquando ducere processiones extra claustra monasterii 749 s. — peragere infra Octavam Corporis Christi 753 — Privilegium Praedicatorum quoad processionem SS. Rosarii 755. — Quibus processionibus interesse debent Regulares ab episcopo vocati 747 s. 750 — Ordo, quem debent servare 751 — Usus pluvialis 751.

Professio religiosa — Quid sit I, 19, 55 — Conditiones 55 — Abbatissa potest ad eam admittere, non vero Episcopus 57 — Effectus 57 — Num per profes. amittatur nobilitas 58 — Reclamatio contra validitatem, quomodo et quando 59 — Quid faciendum ante prof. 125 — in quo Conventu emitti potest 126 — Quomodo facienda 131 — Quoad iuvenes militiae addictos 484 — Exstinguit vota prius emissa III, 457 — *Monialium.* Vota simplicia praemitti debent ante vota solemnia I, 280 — Lex a Leone XIII lata (1902) 281 — Quid haec lex importet 282 — Ritus professionis faciendae 284.

Professi votorum simpl. quibus privilegiis gaudeant I, 26 — Quid agere possint 123 — Quoad observantiam regulae, recitationem divini officii 127 II, 5 s. — Ordines I, 128 — Matrimonia 129 — Non possunt dimitti sine iusta causa 129, 270.

Promiscuitas — ciborum diebus ieiunii II, 46, 53.

Proprietas — Singulis Regularibus est prohibita I, 32.

Protonotarius Apostolicus — Motu proprio Pii X (1905); quot sint 247 — Participantium, cum oneribus et privilegiis 247 — Supranumerarii 249 — Ad instar 256 — Titulares 259.

R

Rationalismus — *v. Syllabus.*

Regulares — quoad confessiones Regularium I, 528. III, 431 — An iurisdictionem habeant a Papa vel ab Episcopo I, 520, 527, 543 — Itinerantes vel legitime extra Conventum morantes 530, 540 — Quinam sint superiores regulares 540 — Quot casus reservare possint 544 — Absolutio 546 — *Confessarii saecularium* approbati esse debent ab Episcopo loci 492, 504, 516 — Non sufficit praesumpta; de denegata 505 — An Episcopus possit limitare approb. eis, quos respicit idoneos 509 — Quid de non adeo idoneis 509 — Approbatus absque ulla temporis praefinitione, non potest iterum examinari aut suspendi sine nova causa 511,

514, 516 — Potest a successore, non vero a Vicario capitul. 515 — Episcopus simul auferre non potest toti Conventui facultatem confessiones audiendi, inconsulta S. Sede 517, 519 — Privilegia quoad confessiones saecularium III, 434 — Quoad *praedicationem* petere debent ab Episcopo benedictionem pro suis ecclesiis, pro aliis licentiam I, 496, III, 372 s. — A quo Episcopo ordinari possint I, 460, 468 — Habent privilegium suscipiendi Ord. extra tempora 465, III, 441 — Non possunt esse promoti ante professionem solem. I, 482 — Ministrare non possunt Extremam Unctionem et SS. Viaticum sub poena excom. 551 — Quae personae cadant sub hac lege 553 s. III 432 — Primam communionem in suis ecclesiis ministrare possunt I, 563 — Qui observare debeant clausuram 198 — Non possunt alienare bona ecclesiae sine licentia Ordinarii vel S. Sedis 646 — Antiqua privilegia sunt revocata 652 — An incurrant in aliquam poenam transferendo bona de uno in aliud monasterium 658 — Quid possint 659 — An in praesentibus temporibus fas sit recedere a rigore iuris 659, 663 — An valide possint repudiare legatum 662 — absolute prohibita est quaecumque largitio munerum gravibus sub poenis 670 — Poenae 671 — Ad quid tenetur qui accepit dona a religiosis 672 — In quibus teneantur observare Constitutiones synodales III, 378, 428 — Non tenentur interesse casibus conscientiae 380, 429 — Tenentur servare censuras ab Episcopis latas 387 — An cadant sub censura Episcopi 388 — Delinquentes extra clausuram subsunt Episcopis 382, 390, 436 — Non vero intra claustra 384 — Fugitivi et electi 387 — Delinquentes in Episcopum 391 — Quoad erectionem novorum Conventuum 392, 416 — *v. Episcopus. Non subsunt Episcopis* quoad privilegium exemptionis 425 — de expulsis 438 — Parochi si ecclesia sit illius Conventus in quo Generalis habet residentiam 437 — Communicatio privilegiorum 426 — Quoad visitationem locorum et personarum 426 — observantiam regul. 427 — quoad absolvendos Religiosos a casibus episcop. 437 — Sepulturam in propriis ecclesiis 440 — Expositionem SS. Sacramenti infra eius octavam et calendarium 442 — Erigendum oratorium in suis Convent. 446 — Tempus Missam celebrandi 446 — Solvendum cathedraticum 447 — Subsidium charitativum ad seminarium erigendum 448 — Solvendae decimae 448 — *Potestas Praelatorum* irritandi vota subdit. 451 II, 76 — Dispensandi in votis subdit. 453, II, 79 — Irritandi iuramenta subdit. 454 — Dispensandi in iuramentis 455 — Benedicendi paramenta etc. pro suis ecclesiis 458 — Reconciliandi suas ecclesias etc. 459 — Quoad censuras et casus reservatos 488 — Absolvendi ab excom. ob percussionem 490, II, 142, 255 — Quoad praecepta ecclesiastica et officium divinum 492 — Facultates omnes speciales transeunt ad successores III, 456 — Commutandi vota Christifidelium 457 — Privilegium quaestuandi 460 — Dispensandi religiosos super irregularitatibus 468 — Quomodo utendum et intelligendum sit istud privilegium 469 s. — Quibus de causis dispensare possunt 475 — Admittendi ad Ordinem illegitimos 483 — Constitutiones Sixti V et Clementis VIII quoad illegitimos 485 — Dispensandi ad petendum debitum 496 — *Privilegia* in fundatione Conventus 461 — Indulgentiae plenariae in articulo mortis 464, 465 — Concedendi benefactoribus litteras filiationis 478 — Quomodo intelligendae 479 s. — Gaudent privilegio Canonis 490 — Fori et immunitatis ecclesiasticae 491 — Quoad quartam funeralem 493 — Pulsandi campanas 498 — Nonnulla officia et iura quoad officium, caeremonias 494 — Prohibitio Praelatis admittendi vagos ad celebrandam Missam, nisi exhibuerint documenta 498 — immiscendi se causis S. Officii 499 — audiendi Romae confessiones suorum subditorum 499 — Praelati possunt subditos suos absolvere ab excommunicatione canonis II, 142, 265 s. — An etiam saeculares 146 — An subditos ab irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus 261 — An post constitutionem Apostolicae Sedis a ca-

sibus papalibus simpliciter reservatis 264 — An saeculares a casibus iure communi episcopis reservatis 306 — Regulares exempti possunt absolvi ab episcopo a casibus occultis Romano Pontifici reservatis 267 — Possunt absolvere in censuris latis pro interno ipsorum regimine 261 — Nequeunt absolvere saeculares a casibus, quos sibi locorum Ordinarii reservant 305 — Possunt vero subditos suos 306 — Regulares post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes II, 289 — Quoad celebrationem festorum Patroni loci, Dedicationis ac tituli ecclesiae 565 — Qui moriuntur cum peculio 806 — An Praelati concedere possint in propriis ecclesiis celebrationem Missae absque episcopi licentia 617.

Religiosus — Dictus a religione I, 2 — Ad quid tenetur 4, 31 — Qui sint religiosi proprie dicti 25 s. — Non amittit dominium spiritualium, nec probabilius manuscripti 34 — Non potest habere dominium, usumfructum, sed solum usum facti 32 — Potest in communi possidere 35 — poenae contra religiosos proprietarios 53 — Non potest esse parochus sine dispensatione Apost. 85 — Ut vicarius parochialis 90 — Ad quid tenetur 87 — Potest transire ad aliam relig. arctiorem 97 — Non vero ad laxiorem, nec aequalem 98 — Necessaria est licentia S. Sedis 99 — Clericus potest transire ad statum conversorum 99 — Laicus ad clericatum non potest 100 — Transitus de una Provincia ad aliam 101 — Declarationes S. Congreg. 96 — Apostata, fugitivus quis 132 — Incorrigibilis, eiectus 133 — Manet suspensus 144 — Quomodo eiciendus 134 — Propter quales causas 136 — Ad quid tenetur 137 — Processus 137 s. — Rediens ad Ordinem 144 — *Saecularizatus* ad tempus vel in perpetuum 93 — Non potest assequi beneficia absque indulto 94 — Cuius sint eius bona 94 — Quaenam iura retineat 95 — Ad quid tenetur 60, 63 — Quoad confessionem 547, 550 — Facultates concessae a Pio IX (1867) 549.

Reliquiae — Sanctorum in processionibus II, 74, 761, 764 — Insignes 762 — Sanctae Crucis et eorum expositio in feria VI in Parasceve 761 — In pectorali episcopi III, 124 — Ius episcoporum ad recognoscendas et approbandas reliquias II, 763 — Authenticatio 764 s. — Mercimonium 764 — Reliquiae Beatorum in processionibus 768 — Translatio corporum Sanctorum 768.

Requiem aeternam — Indulgentiae pro recitatione huius versiculi II, 395.

Rescriptum — Quid sit, quomodo differat a privilegio et quando irritum sit I, 351.

Reservatio — Casuum et censurarum nulla est in articulo mortis II, 251 — Quid agere debeat absolutus, si convaluerit 251, 279, 787 — Quid confessor, cum absque speciali facultate absolvit in mortis articulo a censuris speciali modo Papae reservatis 279 — Absolutio in casibus urgentioribus 280 — Quid de impeditis Romam adire 252, 273, 287 — Quid agere debeat confessor, cum absolutio differri nequit 273 s. — Quid, quando durum est poenitenti manere in peccato 280 — Revocatio facultatum per Constitutionem « Apostolicae Sedis » 250, 259, 260 — Quinam absolvere possint ab excom. primae seriei Const. « Apostolicae Sedis » 251 — Confessarii Urbis quoad casus episcopis reservatos 307.

Residentia — *v. Parochus* vel *Episcopus.*

Ritus — Servandus in receptione Praelati regularis III, 567.

Romanus Pontifex — Errores de civili Romani Pontificis Principatu II, 228.

Rosarium — Indulgentiae concessae sodalibus SS. Rosarii II, 497 — Sodalibus cum aliis fidelibus communes 506, 508 — Recitantibus tertiam partem Rosarii mense Octobris 509.

Rubricae — Observandae in recitatione privata divini Officii II, 19 — In choro 19 — *v. Missa* et *Officium divinum.*

S

Sacramentum Sanctissimum — Missa votiva de Sacramento II, 580 — Expositio publica et privata in ecclesiis Regularium 570, 579 — Licentia episcoporum 579 — Color pallii altaris et conopei in expositione 580 — Crux in altari expo-

sitionis 580 — Color vestimentorum in Missa 580, 581 — Velum humerale in expositione et repositione 581 — Machina pro elevando et deponendo ostensorio 579 — Incensatio SS. Sacramenti 583 — Missae coram SS. Sacramento exposito 583 — Commemoratio SS. Sacramenti 582 — Thurificatio in Vesperis 580 — Tempus, in quo debet exponi 582 — Tabellae altaris durante expositione 581 — Conciones et collectiones pecuniae 582 — Candelae in expositione, et carmina in lingua vulgari 584 — A quo discooperiri debeat SS. Sacramentum 709 s. — Alia plura circa expositionem et reverentiam SS. Sacramenti 581 — Benedictio populi 583, 585 — Expositio in mense Octobris 585 — Aliae dispositiones 586 — Processio in solemnitate Corporis Christi 739 — Altaria per vias publicas 739 — Omnes capite discooperto incedant 740 — Confraternitates SS. Sacramenti 744 s. — Regulares in festo et Octava Corporis Christi 580 — A quo deferri debet SS. Sacramentum in processionibus 588 — Quid dicendum de delatione ad infirmos capite cooperto 588 — Adoratio Sacramenti, cum defertur ab haeretico 190.

Schisma — Quid sit et quotuplex II, 199 — Poenae in schismaticos 200 — Non licet audire Missam in ecclesiis schismaticorum 560 — Quando Missionarii catholici missas celebrare queunt in templis acatholicorum 560 — Accessus Schismaticorum ad audiendam missam in ecclesiis catholicis 561 — Quid facere debeant catholici cum non habent nisi ecclesiam acatholicam et sacerdotem ritus schismatici 562 — Sacerdotes catholici circa absolutionem acatholicorum 562.

Schismatici — An possint adire templa catholicorum II, 561 — Absolutio sacramentalis schismaticorum a sacerdote catholico 562.

Sectae massonicae — Plura Decreta circa societates massonicas aliasque eiusdem generis II, 203 — Quid observandum circa absolutionem massonum 205 — Vid. *Syllabus.* — Excommunicatio per Constitutionem « Apostolicae Sedis » 238.

Seminarium — Regimen et administratio cui spectent III, 337 — Quid, si curae traditum sit Ordinis regularis 339 — Litterae Pii X (1904) pro Clericis Romam contendentibus 339.

Sepultura — Eius notio II, 768 — Propria, communis et electiva 769 — Clericorum, Cardinalium et Papae 769 s. — Uxor, ubinam sepeliri potest 770 — Viatores, hospites, peregrini 770 — Regulares professi 771 — Decedentes extra monasterium 771 — In monasterio alterius Ordinis 772 — Expulsi et electi 772 — Novitii, oblati, donati et saeculares intra claustra residentes 773 — educandae in monasteriis Monialium 776 — Tertiarii aliaeque personae, quae in ecclesiis Regularium tumulari debent 774 — quinam possunt eligere, et conditiones, ut sit electio valida 777 — Puberes possunt eligere 777, 787 — Quid circa hoc possunt haeredes et parentes 777 — Vendere sepulturas quoad Fratres Minores 781 — Non sunt inducendi fideles ad eligendam sepulturam 781 — Quid de his, qui hoc Romae faciunt 782 — Sepultura in ecclesiis Monialium 787 — Ius sepulturae ecclesiasticae habent catholici pie demortui 804 — Separati ab ecclesiae Communione, non baptizati, haeretici, schismatici, apostatae, excommunicati notorii, interdicti nominatim 805 — Impoenitentes et quinam tales considerari debeant 807 s. — Quid, si catholici proprium non habeant coemeterium 807 — An aliquid exigi possit ratione sepulturae 808 — Vexilla sodalitatum laicarum et massonicarum in funeribus 808 s. — Vexillum nationale et eius benedictio 810.

Servi Dei — Nondum beatificati coli non possunt cultu publico II, 766.

Simonia — Eius notio II, 151 — Quotupliciter res spiritualis temporali adnecti possit 151 — Quotuplex sit pretium temporale 153 — Divisio simoniae 153 — Poenae contra simoniacos 154 — Simonia realis relate ad Ordines 155 — Poenae latae ob simoniam in collatione Ordinum commissa 156 — Simonia realis relate ad Beneficia 159 — Poenae contra simoniam confidentialem 160 — Simonia ob ingressum Ordinis religiosi 160 — Licitum est exigere

ab ingredientibus necessaria ad sustentationem 161 — Quid circa ingressum Monialium 161 — Poenae contra simoniam realem commissam ob ingressum in Religionem 162 — Simonia in administratione Sacramentorum 162 — Quo titulo clerici aliquid accipere possint pro administratione Sacramentorum et ceterarum functionum spiritualium 163 — Labor intrinsecus et extrinsecus 164 — Casus pro praxi quoad simoniam 165 — Sacerdos, qui Missae stipendium supra taxam exigit 167 — An in simonia dari possit parvitas materiae 168 — An et cui restituendum sit simoniace acceptum 168 — Alii casus simoniae 169 — Simonia in electionibus ad Praelaturas regulares 170 — Simonia confidentialis vel confidentia Beneficii 154 — Simonia realis relate ad Beneficia 159 — Poenae contra simoniam confidentialem 160 — Quando Beneficia simoniace commutentur et conferantur 169.

S. Franciscus Assis. — Indulgentiae in eius festo II, 409.

S. Franciscus Xaverius — Preces novendiales in eius honorem II, 424.

Socialismus — *v. Syllabus.*

Societas civilis — Errores circa societatem civilem II, 224.

Sorores in propriis domibus degentes — Conditio et privilegia I, 342 — *v. Moniales* et *Tertiarii.*

Status Foederati Americae — Indulgentiae pro Missionibus Fratrum Minorum ibidem II, 410.

Status vitae — Notio; tres sunt praecipue I, 1 — *Status religiosus.* Definitio 2 — A Christo Domino institutus 5 — Errores politicorum quoad abrogationem 6 — Est indefectibilis 7 — Litterae Leonis XIII (1901) ad Superiores Ordinum 8 — Pendet ab Ecclesiae approbatione 15 — Sufficitne simplex approbatio Pontificia 16 — Essentia 19 — Non requiritur, ut vota sint solemnia 20 — Componi potest cum officiis clericalibus 80 — Cum munere parochiali 82 — Indiget tamen dispensatione Apost. 85.

Subsidium charitativum — quid sit I, 731 — Qui ad id ius habeant 731 — Qui habent debitum 732 — In qua quantitate et quo tempore 733 — Obolus S. Petri 734.

Supellectilia — Sacra esse debent ex lino aut cannabe II, 595 — Cingulum 596 — Stola quoad usum 598 — Albae quomodo esse debeant 601 — Usus amictus a Regularibus in Missa 602 — Tobaleae — Corporalia — Pallae — Purificatorium — Manutergium — Superpelliceum — Calceamenta clericorum 603 s. — Calix et patena 605 — Tactus vasorum sacrorum a saecularibus et a laicis Religiosis 606 — Consuetudo ponendi calicem in manibus sacerdotis defuncti 712.

Superiorissa — *v. Abbatissa.*

Surdo-muti — quoad lucrationem indulgentiae II, 413, 354.

Suspensiones — latae sententiae Summo Pontifici reservatae II, 243 — a Concilio Tridentino impositae 245.

Syllabus — Propositiones damnatae a Pio IX Encyclica « Quanta cura » II, 219.

Synodus Dioecesana — quid sit III, 199 — Quis eam indicere possit 199 — Qui vocandi sint 200, 202 — Potestas Episcopi 201, 203 — Obiectum 203 — Numerus iudicum et examinatorum 204 — Locus et tempus 205 — Officiales 206 — Monitum Benedicti XIV 207 — An Regulares teneantur interesse 208 — An et Abbates 209 — Declaratio S. Congreg. 210.

Stylus — Curiae Romanae III, 26.

Syndicus — *v. Legata.*

T

Tabernaculum — pro conservatione Eucharistiae ubi esse debeat et quomodo II, 573 — Reliquiae et imagines super Tabernaculum — Vas florum ibidem 578, 580, 605 — Quomodo esse debet in interiori parte 604 — Aperire pro sua privata devotione 766 — Conopeum 573 s.

Temperantia — Societas a Temperantia nuncupata II, 396.

Terra sancta — Eleemosynae collectae pro Terra S. in alios usus converti non possunt I, 669 — Pium opus III, 557.

Tertiarii — In communitate viventes et votorum simplicium nuncupantes quoad indulgentias et gratias spirituales II, 470 — Institutum Sororum Tert. Franciscalium a Missionibus 472.

Tertius Ordo S. Francisci — Est verus Ordo II, 426 — Eius natura 427 — Differentia ab Ordinibus Regularibus et Confraternitatibus 427 — A confraternitate chordigerorum 428 — Novitiatus Tertii Ordinis 449 — Qui accipit habitum a PP. Capuccinis vel Conventualibus professionem emittere potest in manu Minoritarum et viceversa 451 — Sanatio in radice receptionum, tyrociniorum et professionum invalide factarum 454 — Summarium indulgentiarum pro Tertiariis S. Francisci 443 — Breve Leonis XIII 438 — Ubi non est ecclesia franciscana, lucratur indulgentias visitando ecclesiam parochialem 449 — Etiam quocumque die infra octiduum festi 448 — Infirmi et convalescentes, qui recitant quinquies Pater et Ave 448 — Privilegia sacerdotum Tertii Ordinis Franciscani 452 — Praecedentia inter diversos Ordines Tertios 434 — Non habent inter se communicationem indulgentiarum et gratiarum 455.

Tertiarii de Monte Carmelo — Summarium indulgentiarum II, 461 — Privilegia et indulta 464.

Tertiarii Sancti Augustini — Summarium indulgentiarum II, 457 — Privilegia et indulta 460.

Thurificatio — SS. Sacramenti II, 590, 709 s. — Canonicorum aliorumque sacerdotum 591 — Imaginis divini Infantis 761.

Titulus Ordinationis — *v. Ordinatio.*

U

Unctio extrema — Eius materia III, 317 — Quo loco S. Oleum teneri 318 — quomodo ministrari debeat 318 An cum instrumento II, 710 — Sine licentia parochi eam conferre Regularibus prohibetur sub poena excom. I, 551.

Unio pia — S. Antonii eiusque indulgentiae III, 531.

V

Via Crucis — Quoad facultatem erectionis, methodum etc. III, 541 s. — Sodalitates piae Viae Crucis perpetuae 549 — Viae Crucis viventis 553.

Viaticum — Deferre aegrotis a Regularibus sine licentia parochi prohibitum est I, 551 — Quae personae exemptae sint 553 — Onus parochi illud deferre infirmis III, 312.

Vicaria — Quid est, eius divisio I, 572.

Vicarius *Apostolicus* — Qui sint et quot III, 111 — Quid agere possint 140 — Quas indulgentias concedere possint 165.

V. Capitularis — A quibus, et quando eligendus III, 190 — Quomodo 192 s. — Dotes 194 — Potestas 195 — Quoad indulgentias, Missam et honores 197.

V. Foraneus — Quis sit III, 262 — Officia 263.

V. Generalis — Quis sit III, 183 — Qualitates 183 — Iurisdictio 185 — Quae non possit sine speciali mandato 185 — Quoad sedem et praeeminentiam 186 — Quomodo et quibus de causis cesset eius iurisdictio 188 — An sua potestas sit ordinaria vel delegata 189 — Potest absolvere a censuris iure communi episcopis reservatis II, 282 — Quando edicere possit processiones 736.

Parochialis — regularis quis, an possit revocari I, 91.

Vinum — illi addi potest aliquam quantitatem alcohol II, 728 — ex musto obtentum per evaporationem igneam 729 — Quid de ordinatione, cum in calicem infusa fuerit quinta pars aquae 732.

Visitatio *Apostolica.* — Bulla Pii X (1903) III, 72 — Decretum S. Cong. 84 — Regulae 86.

Canonica — Quid sit I, 696 — Cui competat 697, 703 — A quonam, quando et quomodo facienda 703, 705 — Expensae visitationis 705 — Quae eximantur a solvenda procuratione 709 — An Episcopus remittere possit procurationes 710 — Visitans gravibus sub poenis accipere non potest ullam retributionem 707 — An et per quot dies visitationem protrahere possit 710.

Regularium — quid sit et quomodo dividatur I, 712 — Visitatores 712 — Quoties visitare debeant 713 — Quomodo et quando 714 s. — Quomodo subditi comportare se debeant 715 — Visitatores recusari non possunt 717 — Non possunt munera recipere 717 — Quid de impertienda absolutione 719.

Monialium — Notio, quis eam facere possit I, 230, 235 — Quomodo

peragenda a praelato regulari 231 s. — Ab Episcopo 239 — Sorores votorum simpl. 243.

S. *Liminum* — Quid sit et quando incepit I, 719 — Constitutio Sixti V (1585) 719 — Episcopi et Abbates visitationem peragere tenentur 720 — An Episcopi titulares 721 — An Vicarii Apostolici 722 — A quo die obligare oportet 723.

Vita Communis — Notio; non est de iure divino — Ab omnibus Regularibus observanda I 42 — Decretum Pii Papae IX (1851) 46 — Responsa S. Congr. 47.

Vivae vocis Oracula — II, 24.

Votum — Eius notio et divisio II, 67 — Solemne et simplex 68 — Personale et reale quomodo implendum 71 — Conditiones ad validitatem 69 — Obligatio voti 69 — Cessatio per extinctionem 72 — Per irritationem 72 — Puberes et impuberes 73 — Quinam possint irritare 75 — Sine causa 77 — Dispensatio votorum 78 — Quinam possint iure ordinario dispensare 78 — Confessarii Mendicantes 80, 92 — Causae legitimae dispensandi 83 — Regulae observandae 84 — Romano Pontifici reservata 80 — Commutatio quotupliciter fieri possit 86 — Quinam possint commutare 86 — Quando ipse vovens 86 — An causa ad validam et licitam commutationem requiratur 87 — Aliqua pro praxi 88.

Vota *Simplicia* — quid importent I, 250 — Possunt fieri solemnia 28 — Reddunt illicitum matrimonium idque dirimere possunt 29 — in quo simplicia differant a solemnibus 64 — Quoad paupertatum 65 — In quo differant a votis privatis 67 — Quis possit dispensare 69 — Lex Pii IX (1857) 103 — Natura et qualitas 119.

Solemnia — pendent ab institutione ecclesiastica 21 — Responsa S. Congr. 22 s. — In quo consistat solemnitas vot. 27 — Dirimunt matrimonium non consummatum, impediunt subsequens 27 — Possunt fieri simplicia 28 — Effectus 30 — Debent emitti post vota simpl. 117 — In qua aetate et quomodo quoad leges civiles 125 — Prius renunciari debet dominio rerum 124.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
K322 C001 V003
IURISPRUDENTIA ECCLESIASTICA AD USUM ET
3 0311 00069 5291

KBU 160 .M62 1904 v.3
Mocchegiani, Pietro.
Iurisprudentia ecclesiastica
ad usum et commoditatem

DEMCO

46636

3 0311 00069 5291